This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



L 571.




From the
Library Fund
Subscribed in 1842
Rec'd June 14,
1844

# SCRIPTORES HISTORIAE ROMANAE MINORES SEX.

C. VELLEIUS PATERCULUS.
L. ANNAEUS FLORUS.
EUTROPIUS.
SEX. AURELIUS VICTOR.
SEX. RUFUS.
MESSALA CORVINUS.

---

BREVES DE VITIS ET LIBRIS SCRIPTORUM NARRATIONES PRAEMISIT ET SECUNDUM OPTIMAS EDITIONES IN USUM SCHOLARUM CURAVIT

FRANCISCUS FIEDLER,
PHILOS. DR. AA. LL. MAGISTER, GYMNASII VESALIENSIS COLLEGA.

*EDITIO NOVA.*

---

LIPSIAE
APUD CAR. CNOBLOCHIUM.
MDCCCXXXIII.

16 gr.

£571.

# BENEVOLO LECTORI

## S. D.

## *FR. FIEDLER.*

Populorum veterum res gestae et virorum illustrium vitae ut ex ipsis antiquis, id est, Graecis atque Romanis scriptoribus a studiosis litterarum bonarum cognoscantur, neve solum e summariis sive breviariis, recentiori quidem aevo et vernaculo sermone scriptis, discantur, a magistris, qui antiquitatis et historiae studia in scholis regant, quam diligentissime curandum esse, nemo non concedet, qui scholasticae institutionis, qualis nostra quidem aetate conformata est, subtilitatem atque ambitum, disciplinaeque puerilis severitatem ac gravitatem comprobaverit. Etenim quid est, quod et ad accuratam historiae antiquae scientiam comparandam aptius, ad linguarum veterum cognitionem augendam magis frugiferum, et ad intimam cum antiquitate erudita illa familiaritatem ineundam efficacius esse possit, quam ex fontibus ipsis, quibus vera et accurata rerum gestarum narratio contineatur, antiquae historiae notitiam haurire? Quibus caussis permoti, praestantissimi historiarum praeceptores ad hoc studium iuvandum promovendumque libros scripserunt, in quibus capita, cognitione dignissima, ex summis auctoribus, et Graecis et Romanis, excerpta et ad temporis ordinem apte disposita ederent. Ita *Io. Godofr. Eichhorn*, *Aug. Matthiae*, *Frid. de Raumer*, *Frid. Iacobs*, egregie de historiae studio meritos esse, quis est, qui ignoret, eorumque libros, quorum titulos infra descriptos habes *), denuo etiam atque etiam commendare, ab hoc quidem loco non alienum esse existimavi. Quorum virorum consilium imita-

*) Antiqua historia ex ipsis veterum scriptorum latinorum narrationibus contexta. Ed. *Io. Godofr. Eichhorn.* T. I. Hist. Asiae et Africae. T. II. Hist. Europae. Gottingae 1811. 8.— *Eiusdem* Antiqua historia ex ipsis veterum scriptorum Graecorum narrationibus contexta. Lipsiae 1812. IV. Voll. 8.

tus, quo emolumenti aliquid studiis historiae, praesertim Romanae, in scholis adferrem, *Scriptores rerum Romanarum*, quos propter librorum exiguitatem et formam compendiariam *minores* vulgo vocant, Vellcium Paterculum dico, Florum, Eutropium, Sex. Aurelium Victorem, Sex. Rufum, Messalam Corvinum, qui falso dicitur auctor libelli de Augusti progenie, in scholarum et iuventutis studiosae litterarum, quae ab humanitate nomen traxerunt, usum et commodum denuo edendos curavi. Exstant quidem plurimae illorum scriptorum editiones, et nostro aevo quibusque nundinis librariis catervatim quasi emittuntur, propter pretii quoque exiguitatem facile cuivis comparabiles, et quae formae minutae, qualem nostrates magnopere amare coeperunt, commoditate possint commendari. Nihilominus tamen illos historicos, quos supra nominavi, neque omnes in discipulorum manibus esse, neque ab iis legi, non sine magno dolore neglecti historiae antiquae studii animadverti. Cuius rei caussam in eo mihi reprehendisse videor, quod illi libri singulatim editi sunt; pueri contra, vel potius eorum patres vel tutores emtionem multorum librorum, si ad scholarum usum maxime necessarios exceperis, evitare et quasi horrere solent. Quod quidem non de omnibus parentibus dictum velim, at, mihi crede, haud paucos, quibus est tam sordida cura peculi, cognovi. Iam pia quasi fraude quadam agendum mihi duxi, ut tenaces isti patres unius libri emtione plures simul scriptores comparare possint, eosque ad historiam Romanam accurate discendam omnium iudicio probatissimos animisque puerilibus perquam aptos, etiam ad Latinae linguae cognitionem comparandam utilissimos, utpote ab omnibus, qui ingenuis puerorum excolendis rebusque scholae operam navarunt et adhuc in hoc officio desudant, per omnem medii et recentioris aevi decursum commendatos. Videbar igitur operae pretium facturus esse, si historicos Romanos minores uno volumine coniunctos ederem, praesertim qui cursim, hoc est, non negligenter aut oscitantur, sed ut sapere inde et fari discant,

---

Historiae Graecae capita praecipua, seu excerpta ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, ed. *Aug. Matthiae*. Lips. 1809. 8.

Handbuch merkwürdiger Stellen aus den lateinischen Geschichtschreibern des Mittel-Alters, von *Friedrich von Raumer*. Breslau 1813. 8.

Klio der Römer, oder Auswahl aus den vorzüglichsten Geschichtschreibern Roms, mit erläuternden Anmerkungen von *Friad. Jacobs*. Jena 1805. 8.

hos scriptores legere voluerint, aut qui eos domestico sive privato, ut vulgo dicitur, studio tractandos destinaverint.

In edendis his scriptoribus id maxime respexi, ut, remotis coniecturis et verborum mutationibus, aut non necessariis, aut a codicum et editionum principum lectionibus nimis recedentibus, verba scriptorum et emendata et pura, uti nunc in praestantissimis editionibus leguntur, accurate redderentur. Quae verba aut spuria habentur, aut varie leguntur, interdum uncis [ ], a quibus signa parentheseos ( ) discernas, inclusa apposui, ut puerorum ingenia acuerentur, et ipsi iudicare, quid verum sit, quid falsum, in legendo discerent. Ita assidua historicorum minorum lectio pueris, qui antiquitatis doctae alimentis nutriuntur, et humanitati et reipublicae educantur, ad maiores et difficiliores rerum Romanarum scriptores intelligendos viam muniat, animosque iuveniles ad historiae, quae *vitae magistra* a Cicerore praedicatur, fructus quam uberrimos capiendos et ad iucunditatem inde hauriendam suaviter alliciat.

Ne tamen equidem plane ἀσύμβολος in his libris edendis appaream, observationes aliquot addidisse iuvat, quae ad lectionem constituendam spectent et a me receptam defendant. Igitur locos aliquot, de quibus adhuc sub iudice lis est, diligentius examinandos elegi; ut paucos tantum et breviter quidem attingerem, angustiores fines, quibus haec praefatiuncula erat circumscribenda, postulabant.

VELLEII PATERCULI Lib. I. c. 18. leguntur vulgo haec: *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia, operibusque floruit, adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.* Ita habet Ed. pr. et ex ea sequentes. De variis huius loci emendandi et mutandi tentaminibus vide *I. Fr. Gronovium* in Observatt. II, 23. p. 311 sqq. Is nihil mutandum esse censet. Manutius minima mutatione, *eloquentia* pro *eloquentiae* hoc totum restituisse opinatur. Acidalius veriorem putat suam scripturam: *eloquentia — operibus, floruit. Opera* de rebus gestis explicat. Schegkius eadem ratione locum correxit. Lipsius scripsit: — *eloquentia, quam u. G. uberiusque floruit.* Quae emendatio Vossio videtur insignis. Aus. Popma legit: *operibus usque floruit adeo.* Heinsio legere placet: — *eloquentiae, quam universa Graecia, ope uberiusque.* Gronovius vulgatam defendens, *annos eloquentiae* intelligit, ut apud Ciceronem legitur *erudita tempora*, saecula ingeniis et gignendis et nutriendis continuata: *opera* sunt scripta edita. Dicit ergo Velleius et temporibus eruditis et scriptis ab Attica sola superari universam Graeciam. Krause vocem aliquam, ut *ingeniis*, ante *operibusque* excidisse putat. Quae ratio Ruhnkenio dura videtur, quare ipse feliciter emendasse ait locum ita:

*Una urbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, operibus efforuit.* Quam lectionem in textum recepit ed. Bip. alt. Cludius ita mutavit: *pluribus artis et eloquentiae, q. u. Gr. operibus floruit.* Iam vero editionis primae, quae instar codicis manu scripti habenda est, lectio *annis eloquentiae — operibusque* locum tenere nequit, et aut *annis*, aut *eloquentiae* mutandum est, aut *que* in voce *operibus* delendum, quod idem etiam antiquitus lectum est. Recens. Berolin. in Biblioth. univ. Germ. T. XLVIII. coniicit: *plus studiis eloquentiae*, et intactum relinquit *operibusque*. Equidem, si quid video, nodus loci latet in voce *annis*, quae [illegible]re nequit. Etenim non longinquitatem temporis, per quod eloquentia Athenis fluerit, Velleius vult commemorare, sed nihil aliud dicere, quam quod in una urbe eloquentia magis floruerit, quam in universa Graecia. Ruhnkenii coniectura mihi, ingenue fateor, non placet. Neque enim video, cur eloquentiam auctor dixerit *sanam*, ac si in ceteris Graeciae urbibus fuerit *insana*, quae tamen non fuit. Quod si vox *annis* orta fuerit ex compendio scribendi, ex quo permulta vitia in Velleium irrepserunt, et correctione facili et sensu commodo, suspicor, scripsisse Nostrum: *pluribus artibus eloquentiae — operibusque.* Quam correctionem textui intuli eodem iure, quo alii editores suam, donec a feliociore critico viro expellatur. *Artes eloquentiae* sunt disciplinae et praecepta ad varia dicendi genera spectantia; quo sensu apud Ciceronem in Bruto cap. 12. legitur, ubi Isocratem ait *totum se ad artes componendas transtulisse. Opera* de scriptis editis intelligo, praeeunte Gronovio. Floruerunt igitur Athenae et pluribus generibus et maiori dicendi arte, quam universa Graecia, et pluribus scriptis oratoriis.

Lib. II. cap. 2. Non adsentior Lipsio, qui in scriptura Ed. pr. *omnibus statim concupiscentibus* vitium odoratus emendationem suam, quam palmariam Ruhnkenius dicit, textu reposuit: *omnium* (sc. optimatium) *statum* (conditionem, fortunas) *concutientibus.* Quod editor Bip. mutavit in: *omnibus statum concupiscentibus*, eique *status* est melior fortunae conditio; *omnes* sunt Itali et plebs Romana tenuior. Sed defendi potest lectio Ed. pr. Tib. Gracchus pollicitus toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, summa imis miscuit, *omnibus* sc. plebeiis civibus et pauperibus *statim* i. e. illico *concupiscentibus* sc. illarum legum exsecutionem, agrorum divisionem promissam. Neque tamen repugnaverim, si quis *statum* reposuerit, qua voce usus est Noster II, 7. *quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus.* Ita dicitur *status orbis, reipublicae, civitatis,* apud Tacitum, Ciceronem, Ovidium, Livium, quorum locos indicavit ad h.l. Heinsius.

Lib. II. cap. 28. Locus vexatissimus in Ed. pr. ita exstat: *cuius honoris* (sc. dictaturae) *usurpatio per annos CXX intermissa; nam proximus post annum, quam Hannibal excesserat; uti adpareat populum Rho. usum dictatoris aut metu desideras Tullio Cos. timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia musieranteo immodicae crudelitatis licentia.* Longum est, omnium criticorum, quotquot in hoc loco

corruptissimo emendando desudarunt, mutationes et inventa hic commemorare; sufficiat indicasse, unde orta sit ea lectio, quam equidem posui. Primum post *excesserat* uncis inclusa est vox *fuit*, quod periisse opinatur Cludius ob sequens *uti*; quare addidit. Sed facile subintelligi et salvo sensu abesse potest. Sequuntur: *ut appareat, populum Romanum usum dictatoris haud metu desiderasse.* Vossius et Gronovius coniecere: *haud ita*, Heinsius: *in metu*, Ruhnkenius: *ut in otio.* Nihil mutandum puto praeter *aut* in *haud*. *Metu* est *metu commotus.* Velleii sententia est: Quum dictatura per annos CXX intermissa fuerit, patet, populum Romanum haud metu commotum, quamquam per tanti spatii decursum multi metuendi essent viri, et res adversae metum interdum iniicere potuissent, dictatoris usum desiderasse, *sed Sullae Consulis timuisse potestatem.* Is enim fuit, cuius consularem potestatem quam maxime timerent, et ita quidem, ut nihil ei resisterent, quum se ipsum Dictatorem diceret. Cf Plutarch. in Sulla c. 33. Ἔξω δὲ τῶν φονικῶν καὶ τὰ λοιπὰ τοὺς ἀνθρώπους ἐλύπει. Δικτάτωρα μὲν γὰρ ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε, δι' ἐτῶν ἑκατὸν εἴκοσι τοῦτο τὸ γέρας τῆς ἀρχῆς ἀναλαβών. *Desiderasse* facile oritur ex *desideras*, quod Ed. pr. habet, et ex *Tullio* feci *Sullae*, paucis litteris mutatis. Alii alia inde extorserunt: Ruhnken. *ut in otio*; Ed. Bip. *sed in loco*; Rosenheyn: *ita in otio*; Cludius: *ita ultra consularem* (ex seq. *Cos.*). Inter verba: *desideras Tullio* facile excidere potuit *sed.* Diu multumque locum versavi, ut si fieri posset, minima litterarum mutatione, dum vestigia Ed. principis sequor, genuinam Nostri scripturam restituerem; nulla enim adhuc proposita emendatio mihi satisfecit. Omnes in hoc loco emendando neglexerunt primam scripturam: *Tullio Cos.* quod recte monuit Cludius, corrigens *ita ultra Consulis* s. *consularem*; nam saepius in Codd. fuit *Cos.* pro *consularis.* Ipse tamen non animadvertit, nomen proprium inesse verbo *Tullio*, cui additur *Cos.* Quare rescripsi *Sullae*, de quo sermo est, et qui tunc consulatu fungebatur, antequam Dictator creatus est. Sed et alia ratione fortasse huic loco mederi possumus, siquidem *Tullio* intactum relinquamus et ad *potestatem* cogitatione addamus *Sullae.* M. Tullius Decula quidam Consul fuit eo ipso anno, quo Sulla Dictator imperio suo in immodicae crudelitatis licentiam usus est; qui fuit annus 672 p. R. c. 81. a. Chr. n. Vide *Theod. Ians. ab Almeloveen* Fastorum Rom. Coss. libri duo. Amstelod. 1705. pag. 56. Quo *Tullii* Consulis nomine restituto, omnium superiorum editorum inventa in auras evanescunt. Serior meditatio me movit, ut nunc lectionem Ed. pr. tuear, modo addita copula *sed* vel *at.* Sed iudicent peritiores et meliora proferant; nam, ingenue fateor, nondum hoc in loco mihi satisfacio.

Eodem capite legitur in Ed. pr. *historiarum ex alto*, unde Ed. Basil. refinxit: *histrioni exoleto*; Ruhnken. *exacto.* Defendi potest *ex alto*, quod est, *e tribunali*; contrarium est *e plano* apud Sueton. in Tib. 33. *Iudicesque aut e plano, aut e Quaestoris tribunali admonebat.* Cludius addidit sine auctoritate Ed. pr. *e scena*, quia in *historiarum* plus esse videatur, quam *histrioni.* Heinsius scripsit: *histrioni rarum.* Equidem textu reposui *exacto*,

secutus Ruhnkenium et Bipont. Sermo est de histrione, qui a spectatore petulanter exactus i. e. explosus, exsibilatus est, et adversus conviciatorem coram iudicio potestatem agendi habet. Iniuriarum actio infami quoque personae, histrioni, dabatur.

Lib. II. c. 90. *Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus, coalescentibusque Reipublicae membris, et extera coiere, quae tam longa annorum series laceraverat.* Verba *et extera coiere* in Ed. pr. leguntur: *et coram alieno.* A multis varia ratione locus est tentatus. Vir doctus quidam coniecit, illud monstrum lectionis ortum esse ex glossemate *et eo iam altero*, a sciolo ad *bellis civilibus* in margine adscripto, dein iniquo loco in textum illato. Ruhnkenius nihil hic se praestare posse fatetur; sed laudat locum Pacati Paneg. c. 36. unde Velleius corrigi possit: *Iunguntur socia agmina, et sub uno capite divisa reipublicae membra coalescunt.* Cludius recepit Rosenheynii coniecturam: *et curatis aliis omnibus.* Magis secutus scripturam Cod. Nodellius in Obss. critt. Campis 1701. coniecit: *et coierunt alia, quae* ecc. Equidem scripsi: *et extera coiere*, sive transpositis verbis: *et coiere extera.* Similiter Noster dicit II, 61. *brevi in formam iusti coiere exercitus.* Tacitus Hist. I, 79. de rebus alienorum populorum dicit: *externa sine cura habebantur.* Unde Crollius emendaverat: *egit curam externorum* (alienorum). Sensus est perspicuus: Finitis bellis civilibus, et reipublicae partibus, hucusque divisis, rursus coniunctis, etiam externae Romani imperii partes et provinciae, quas longum bellorum civilium tempus laceraverat et disiunxerat, denuo additae sunt et in corpus Romani imperii coierunt.

FLORI Prooem. c. 3. *si pariter atque insimul — ostendero.* Gruterus ex Vineti Mss. adducit *insemel*, unde *insemet* vulgo legitur. Sed *insimul* Flori est proprium. II, 20, §. 1. Vide Indicem Freinshemii ad Florum.

Eiusd. Prooem. §. 8. *nisi quod sub Traiano principe movet lacertos.* Magna est inter VV. DD. dubitatio, utrum *movit* legendum sit, an *movet*. Seebodius, novissimus editor, praetulit *movit*, cum Nazariano Cod., Camerte, Salmasio aliisque. Sequens tamen praesens *revirescit* me movit, ut illud *movet* utpote veram lectionem textu reponerem. Dicit Florus a Caesare Augusto in suum saeculum haud multo minus annos ducentos esse, et secundum Eusebii computationem ab initio imperii Augusti usque ad finem Traiani sunt fere anni CLXXVIII, et menses VI. Quamquam verisimile est, Nostrum sub Hadriano vixisse, tamen et suum saeculum Traiani antecedentis tempora dicere et praesenti uti potuit. Similiter alio loco, quem in constituenda Nostri aetate neglexerunt VV. DD., praesenti utitur, quum historia rei praeteritum flagitare videatur. Est locus lib. IV, c. 12. §. 37. Sermo est de clade Variana et de aquilis a Germanis captis: *Signa et aquilas duas adhuc barbari possident.* Ex his colligi potest, Flori aetate duas illas aquilas a Romanis nondum recuperatas fuisse. At contra dicunt Tacitus Annal. I, 60. et Dio Cassius in Hist. LX. c. 8. Alteram aquilam legionis undevicesimae, cum Varo amissam, L. Stertinius, missu Germanici, inter caedem Bructerorum et praedam reperit; alteram Gabinius,

Claudio Imp., recuperavit, quae sola de clade Variana supererat. Sed variae sunt de his aquilis narrationes. Vide quae notavi in: *Röm. Denkmäler der Gegend von Xanten u. Wesel.* Essen 1824. p. 52. Quid vero? nisi Tacito et Dioni omnem fidem abrogare velimus, Florus aut falsa tradidit, aut non Traiani et Hadriani aetate, sed Augusto imperante vixit, et quidem ante aquilam a Germanico in Marsorum terra repertam scripsit. Sed de his certi aliquid ponere difficile est.

Flori lib. II. c. 2. §. 2. *ceteraque populi Romani sacerdotia — descripsit*, Codex Nazarianus refert: *ceteraque per sacerdotia.* Unde Salmasius rescribendum putavit: *ceteraque fere sacerdotia.* Camers edidit: *ceterosque per sacerdotia*; Vinetus: *ceteraque sacerdotia evulgavit.* Rutgersius vero, commonitus a Scriverio in Variarum lib. I. c. 18. proposuit legendum: *ceteraque P. R sacerdotia*, i. e. populi Romani sacerdotia. Solent enim eiusmodi aliaeque formulares voces singulariis litteris a veteribus scribi. Quod quum non perciperet librarius, quod genus hominum litterarum paene rude fuisse constat, ex P. R. *per* efformasse est verisimile. Palmariam emendationem Rutgersii recepit Seebodius, quem sequi non dubitavi.

AUR. VICTOR de Or. G. R. c. X. Sermo est de Sibylla, futura praecinente in oppido, quod vocatur *Cimbarionis.* Quod nomen Arntzenius emendavit: *Cumarum urbs*, vel *Cumaea urbs*, quod ut ob antecedens vocabulum, *oppido*, ferri possit, veretur Grunerus, qui legere mavult: *quod vocatur Cumae ab incolis*; comparatis locis Sallustii c. 20. Livii XXVIII, 3. Equidem recepi Heynii coniecturam, *Cimmerion*, ut est apud Tibull. IV, 1, 64.

*Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras.*

Ibi vulgo legitur *Cimmeriorum*, sed multi habent Cimmerion, genitivo Graeco. De hoc nomine Campaniae apud poetas obvio vide Heynium ad Tibulli l. l. In editione, quae prodiit Marburgi 1818. offertur coniectura *Cerberionis*; quum Cerberion, Plinio teste H. N. VI, 6. vetus nomen Cimmerii fuerit. Sed ibi sermo est de oppido in ipso ore lacus Maeotidos sito. Mela I, 19, 15.

Aur. Victor de Or. G. R. c. XI. Caput falsa et scriptura et interpunctione depravatum ita restituendum curavi, ut et paucissima lectionis vulgatae verba mutarentur, et membra orationis recte discernerentur. Iam singula videamus. Inde a *quippe* usque ad *fore* signa parentheseos posui. Continent verba inclusa explicationem verbi *coniiciente*, et caussam, qua motus Anschises, coniecerit, illam (crustam scilicet de farreis mensis, aut Italiae oram, quod utrumque antecedenti capite commemoratur) esse miseriarum finem. *Incientem* est Schotti coniectura, explicatque hanc vocem Festus: *propinquam partui.* Ex veteris codicis lectione *intimentem* effingere in animo fuit *intumescentem* i. e. foetu tumidam, gravidam, ut Ovidius alicubi: *intumuit venter.* *Et* post *immolarent* uncis inclusi: ex postremis litteris antecedentis verbi ortum esse videtur et alienum est ab orationis nexu. *Eripuisset* in duas voces dissolvi, *eripuisse et.* Pro *tum simulacris* cum Arntzenio scripsi *cum*; deinde *atque illum* mutavi cum Grunero in *atque urbem*; porro ex *postquam* feci *quam* (scil. urbem) post-

Quae huius capitis verba, oratione obliqua, quam dicunt, expressa, si recta eloqui volueris, ita fere constituenda sunt: Tum, Anchisa coniiciente, illam esse miseriarum errorisque finem, scrofa etiam inciens (gravida), quam quum e navi produxissent, ut eam immolarent, se ministrorum manibus eripuit, et Aeneas, recordatus, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem fore, cum simulacris Deorum Penatium prosecutus, atque urbem, ubi illa procubuit enixaque est porculos XXX, ibidem auspicatus [est], quam post Lavinium dixit.

Aur. Victor de Viris ill. c. II. §. 3. *ut omnibus nuptiis Talassii nomen vocaretur.* Vulgo *invocaretur.* Codd. Leid. I. Palat. II. Havniensis et editio princeps Raesingeri habent receptam lectionem, quae re ipsa confirmatur, non enim invocatur, sed iteratur et saepe vocatur Talassii nomen. Cf. Liv. I, 9. Plutarch. in Rom. c. XV. Lectio *iteraretur* pro glossa habenda est, quae ad marginem Cod. Palat. scripta exstat. Huius receptae lectionis auctorem lubens nomino Seebodium, virum de bonis litteris iisque propagandis merentissimum, cuius observationibus, quas in Censura duarum edd. Aur. Victoris edidit (*Krit. Bibl. für das Schul- und Unterrichtswesen. B. II. H. IV.* No. 10. *Hildesheim*, 1819. *p.* 928 sqq.) magnopere me adiutum esse, grato animo fateor.

Eodem Victoris libro cap. XXIII. §. 3. leguntur: *Legati Deum* (anguem Epidaurium) *vehentes Antium profecti sunt: ubi per malaciam maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit.* Edd. habent *mollitiem* seu *mollitiam*, quod idem ac tranquillitatem significare dicunt. Sed loco I. Caesaris adductus, qui exstat de B. G. III, 15. *tanta subito malacia et tranquillitas exstitit* — illam vocem inter scriptoris verba ponere non dubitavi. Est enim *malacia* verbum proprium de hac re, quae latine *flustra* dicuntur, *quum*, ut Festus ait, *in mari fluctus non moventur, quam Graeci γαλαξίαν vocant.* Hanc Sulpicius Severus Dialog. I, 4. ut Graecae vocis vim exprimeret, *mollitiem maris* nuncupavit. Etiam in Caesaris l. l. codex Leidensis I. habet *mollities*; alii Mss. et Edd. *malicia* et *malitia* inepte. Propter litterarum et soni similitudinem malacia et mollities facile commutari potuerunt. Librarii aut notiorem sibi vocem in textu reposuerunt, aut ad marginem adscripserunt, unde inter scriptoris verba est posita. Fortasse etiam *maris* ab aliena manu profectum est.

Eodem libro cap. XXXIII. leg. *M.'* sive *Manius*, quod constans praenomen est Curii Dentati, ut in Fastis et ceteris Hist. Rom. monumentis videre licet. Librarius potius mihi errasse videtur, quam Victor, cui hoc nomen notum esse debuit, in quovis scriptore, ex quo sua excerpsit, obvium.

Aur. Victor de Caesaribus cap. I. §. 4. *Mores viro* (Augusto) *civiles lepidique; flagrante haud modice luxuria, ludorumque cupidine aleaeque ad summum intemperantia.* Antea postrema verba perverse legebantur: *atque ad somnum intemperantie.* Scribendum putat Caspar Barthius in Observationibus a me editis pag. 148. *aleaeque ad summum intemperantie*, quod equidem recepi. Summum crimen, quod Augusto obiici poterat ex vero, aleae fuisse

dicit Victor. Cf. Epit. I. §. 21. Consentit Suetonius in Augusto c. 71. ubi ipsum *aleae rumorem non declinasse* scribit.

Ibid. cap. XXXIX. §. 21. *Carausius — Britanniam hausto imperio capessivit.* Malim legere *augusto imperio.* Insolenter dictum est *imperium haurire.* At quae Imperatoris sunt, *augusta* dicuntur, ut c. XXXVIII. §. 1. *augusto habitu*, et c. XLI. §. 1. XLII. 20. *augustum imperium.* Carausium *Augusti* titulum usurpasse, docent nummi. Vid. Rasche Lex. numar. T. I. P. II. p. 381.

In Epitome cap. XII. §. 6. ad verba: *Hic iurgiorum disceptator et scientissimus et frequens fuit.* Walchius, doctissimus editor Agricolae Tacitei, ad lib. laud. cap. XIV. p. 423. adnotat incommodum esse vocabulum *disceptotor*, et reponere mavult *dispensator*, quod uncis inclusum vulgatae lectioni apposui, ne lectores nova de hoc loco coniectura defraudentur.

In SEXTI RUFI cap. XXVII. locum varie tentatum ita reddidi, uti eum G. Münnich, Rufi editor accuratissimus, emendavit. Equidem quid de hoc loco constituendo sentiam, paucis exponam. Rufus narrat, Constantium ipsum praesentem bis interfuisse veris et gravibus pugnis. Iam quae fuerint pugnae, ipse declarat, Singarena et Constantiniensis. Quae sequuntur: *et quum Amida capta est, grave — accepit* — cum antecedentibus non cohaerent, sed novum aliquid continent. Itaque maiore interpunctione recte separantur. Praecedentia vero librariorum negligentia et additamentis maxime depravata vides. Quibus eiectis, haec vera auctoris verba esse statuerim: *nimirum Singarenae, et iterum Constantiniensi quoque. Et quum Amida cet.* Verba *praesente Constantio* plane superflua sunt, quam statim praecesserit *praesens adfuit.* Deinde *Singarenae*, vel ut vulgo legitur, *Singarena* repetitionem esse prioris nominis, incuria librariorum factam, apparet. Editio antiquissima, quam Münnich in praef. edit. suae descripsit et nomine Gottingensis insignivit, ita locum exhibet: *Singarena praesente Constantiensi quoque et cum amica capta est. Grave cet.*

Sed haec sufficiant, quum me ultra propositos fines iam progressum esse sentiam. Tu vero, candide Lector, sicubi me quum festinatione, tum imbecillitate humana errantem deprehenderis, ut satisfacientem muneris scholastici officiis et plurimis aliis occupationibus distentum excuses et doctrina Tua corrigas, meamque operam, quam iuventuti historiarum studiosae aliquantulum profuturam spero, ea, qua par est, indulgentia excipias, uti ex animo opto, ita humanissimis verbis Te rogatum esse volui. Scripsi Vesaliae ad Rhenum inferiorem. Kal. Sextil. MDCCCXXVIII.

# I.

## DE VELLEIO PATERCULO.

De Velleii vita rebusque gestis et scriptis ea tantum scire licet, quae ipse de se scripsit, quum nullus veterum scriptorum eius faciat mentionem, uno Tacito excepto, qui libro III. Ann. cap. 39. P. Velleium praesidem exercitus Philippopolim, Thraciae urbem, ab obsidione liberasse narrat, de quo tamen ambigitur, fueritne historicus noster, an eius pater. Praeter Tacitum Priscianus grammaticus lib. VI. exiguum e Velleii historiae libro primo deperdito fragmentum servavit. Memorabile est, tam obscurum Velleii nomen, raram eius mentionem iam apud veteres scriptores, eiusque opus haud celebratum esse. Cuius rei caussas in ipso scriptore eiusque libro quaeras. Nimia laude Seianum, infamem illum nequitiarum Tiberianarum ministrum, Velleius sustulit. Post huius viri scelestissimi supplicium aequales metu coacti Velleium, auctorem tantae laudis, ne in Tiberii suspicionem inciderent, spreverunt, certe lectionem eius, ut periculosam, reformidaverunt. Nimia deinde adulatione Tiberium ipsum prosecutus est. Quo mortuo, posteri eum scriptorem detestati sunt, qui tam detestabilem Imperatorem plus aequo laudare potuerit. Ita factum esse videtur, ut Velleii historia negligeretur, raro a librariis describeretur. Neque tamen plane contemtus est, mitigato Tiberii odio, et cognitis scriptoris nostri virtutibus, et studiosissimum aemulum nactus est Sulpicium Severum, hominem Christianum, et Neronis aetate Lucanus poëta quaedam a Nostro mutuatus est. Vitam Velleii pro temporum ratione accuratissime primum disposuit Henricus Dodwellus, Anglus, in Annalibus Velleianis, e quibus haec excerpta sunt: Maiores Velleii partim Capua, partim Asculo, partim Neapoli ortos fuisse, ipse narrat. Quae eius patria fuerit, ignoratur. Natus est anno U. 735. Q. Lucretio Cinna et C. Sentio Saturnino Coss. i. e. eo anno, quo P. Virgilius Maro mortem obiit, sive a. 19. p. Chr. n. Anno U. 749. togam virilem sumsit et aetatis XV. anno inchoato militiae equestris tirocinium iniit. Primum praefecturam cohortis, deinde tribunatum accepit, adsumto laticlavio. Anno U. 753. Caium Caesarem, Iuliae filium, in Parthiam secutus est, et interfuit, quum ille cum rege Parthorum in Euphratis ripa congrederetur (II, 101.). Ex tribunatu Praefectus equitum factus, cum Tiberio, ab Augusto adoptato a. U. 757. in Germaniam profectus est et per continuum novennium patrono suo adfuit. Falsa verborum coniunctione deceptus (II, 104.), Dodwellus inanem movit quaestionem de castrorum tribunatu, qui nullus umquam exstitit. Iteratur fabula a Cludio, Velleii editore recentissimo,

sufmet ipsius oblito, quippe qui in contextu, qui dicitur, recte interpunxerit. In qua expeditione Germanica ornatus est alae equestris praefectura. Iam Quaestor designatus, legionem recens conscriptam ad Tiberium contra Dalmatas et Pannonios tunc pugnantem duxit et eius anni (759) hibernis est praefectus. Sequentis anni initio ad quaesturam ineundam Romam profectus est; deinde ad Tiberium in Pannoniam rediit, meruitque sub Germanico, qui bellum Pannonicum gerere coeperat, a Tiberio anno U. 761. confectum. Post cladem Vari in saltu Teutoburgiensi cum Tiberio in Germaniam profectus est. Quum Tiberius anno U. 765. triumpharet, et Velleius, et frater eius, Magius Celer, militaribus donis insigniti, illum secuti sunt. Finitur hoc anno continuum illud, quod in Tiberii satellitio egit Velleius, novennium. Sub fine anni d. X. Dec. iniit tribunatum plebis; post (767) Praetor designatus est cum fratre Magio, ab Augusto ipso et a Tiberio commendati. Ex praetura, qua functus est anno U. 768. maiores honores Velleius non adsecutus esse videtur, nec quidquam de provincia praetoria, nedum de consulatu eius memoriae proditum est. Studiis sine dubio et vitae deliciis, fortasse apud Tiberium in insula Capreis, indulsit. Quum M. Vinicius, quem Tacitus libro VI, 15. Ann. praedicat, Consul factus esset a. U. 783. sive a. 30 p. Chr. n., in eius gratiam hanc historiam rerum gestarum populi Romani compendiariam conscripsit. Annum aetatis XL. agens, a. U. 784. occisus est, ut visum est VV. DD. propter amicitiam Seiani, in quem, ut in eius domum et amicos, eodem anno crudelissime saevitum est. Quae de argumento et fatis libri Velleiani dici possint, audias velim a Beato Rhenano, Selestadiensi, (Bilde von Rheinach aus Schlettstadt im Elsass) principe et doctissimo editore Velleii, cuius verba ex dedicatione operis ad Illustr. Saxoniae Ducem, Fridericum, Princip. Elect. anno 1520. scripta apposuisse iuvat: *Describit is (Velleius) res Romanas castissimo stilo per epitomen ab urbe condita ad suam usque aetatem, hoc est, tempora Tiberii Caesaris: nam sub hoc floruit, ut in vita annotavimus. Meminit quorundam, quae nullorum sunt prodita litteris, saltem qui hodie extent. Qualis est deletarum cum Varo legionum Arminio duce historia, et quae de Marobodvo Marcomanorum rege scribit, haud dubie tuae celsitudini tanto gratiora futura, quanto minus etiam doctissimis viris hactenus fuere cognita. Num prioris rei tantum in transcursu meminit Florus. Tanta autem facundia his referendis utitur, ut quemadmodum ipse Caesari proximum a Tullio locum tribuit, sic eum Caesari parem faciam, aut saltem proximo statuam loco. Quod si integer extaret, et a mendis purus, haud ambigerem, quin doctissimus quisque meo subscriberet iudicio: nunc quando mendis vitio vetustatis non caret, aliena culpa dignitatem aestimationis apud quosdam forsan amittet. Equidem abhinc annos ut puto quinque, cum primum hunc in Murbacensi bibliotheca *) reperissem, et viderem tam prodigiose corruptum, ut omnia resti-*

*) Hoc coenobium Benedictinorum Murbacense situm est in Alsatia superiore.

*tuere non foret humani ingenii, properanter ac infeliciter ab amico quodam descriptum, premendum plane censebam, donec melioris nobis codicis fieret copia, quem acceperam haberi Mediolani inventum olim a Georgio Merula.* [*Codex Mediolanensis numquam apparuit, et fuit haud dubie falsus ille rumor.*] *Verum dum frustra iam treis annos exspectamus, interim doctissimus quisque mecum expostulat, cur tam insignem autorem studiosis communicare tamdiu differam. Addunt convicia quidam, dictitantes, illum in hoc a me premi, ut olim alienum opus tanquam ingenii mei foeturam gloriabundus in publicum emittam. Proinde nunc edidimus omnium eruditorum votis expetitum et ante promissum, ne studiosos diutius huius desiderio maceremus.*" — De qua editione Petrus Burmannus in Praefatione suae editionis haec refert: „*Vitam, vel potius ex tenebris, quibus per tot secula tectus latuerat, in lucem reditum debet Velleius Beato Rhenano Selestadiensi, viro in primis illis renascentium litterarum per Germaniam initiis, diligentia, eruditione, et quod primarium in hoc studio est, fide praecipuo, et principibus bonarum artium instauratoribus adnumerando: qui, ut plurimis industriae et doctrinae monumentis immortalem sibi apud posteros laudem pareret, id unice agebat, ut ex monasteriorum recessibus, ubi pulvere et situ obsiti veteris aevi codices putrescebant, protraheret eruditi quondam temporis reliquias, et cum orbe erudito communicaret. Is in coenobii Morbacensis pluteis cum antiquissimum Velleii, cuius vix nomen eruditis, nedum inertibus et ignavis monachis, auditum erat, exemplar reperisset, illud describi typis Frobenianis (Basileae) anno* cIↃDXX *iussit. Cui editioni paullo post Iohannes Albertus Burerius, qui quis, qualisve fuerit parum mihi constat, adiecit emendationes Velleianas, ex ipso illo unico, ut iactat codice, accuratissime collato, petitas. Sed qui fidem et integritatem sequentibus Velleii interpretibus vix probare potuit.*" Burerius in Praefatione „*Praeterea cum hunc recentem vetustō Vellei codici conferrem*, inquit, *non modo versum versui, sed etiam syllabam syllabae, et* (*quod alicui plus quam curiosum ac pene stultum videri queat*) *etiam literam literae contuli, ne quid non ageretur in rem studiosorum. Valete.*" Fuit autem ille membranaceus, sed vetustate, maxime in fine, ita arrosus, uti vix, quid scriptum fuerit, appareret. Litteris minusculis scriptus, atque ex tali transscriptus. Vetustius illis vero exemplar exaratum fuisse videtur litteris maiusculis. Ita in vetustissimo exemplari apparuit INASIAMACNESIAM, unde descriptum: in Asiam ac Nesiam, quod Rhenanus feliciter emendavit: in Asia Magnesiam. Scriptus fuit vocibus disiunctis absque punctis et distinctionibus, licet Burerius interpunctionem saepe notaverit. Neque caruit compendiis scribendi. Testatur Rhenanus, eum, qui illum cod. descripserit, ne verbum quidem intellexisse; fuit enim ille prorsus ineruditus; quare interdum scripsit, quae omni carent sensu; quaedam omisit; alia bis posuit; alia, quae praetermissa animadvertit, ubi libuit, addidit: ita ut tanta verborum et litterarum immutatio et confusio orta sit, quantam in nullo codice manu scripto alius veteris scriptoris facile reperias.

*B. Rhenani* editio princeps codicis loco nobis esse debet, quum

is, cuius apographum nactus erat Rhenanus, nusquam adhuc repertus sit, Ruhnkenio per amicos in Alsatiae bibliothecis et monasteriis frustra indagante. Post Rhenanum et Burerium multos nactus est Velleius editores et interpretes et criticos, qui in nullo alio scriptore, quam in hoc, artem suam melius liberiusque exercere potuerunt. Praestantissimae editiones fere hae sunt: *Iuntina* 8. cum Iustino et Nepote. Florentiae per heredes Phil. Iuntae. a. D. 1525. *Avenionensis*, fol. cur. Ant. Bonhommaeo. 1532. quae editio rarissima est. *Parisiensis*, a Vascosano curata, quae adhaeret Appiano latine excuso Parisiis 1538. fol. *Basileensis* 1546. fol. apud Frobenium, cum C. Suetonio, Aelio Spartiano etc. *Aldina*, 8. Venetiis 1571. *Frid. Sylburgi* in Tom. I. Scriptt. hist. Rom. Francof. 1588. fol. *Iac. Schegkii* eod. l. 1589. 12. ed. rariss. Porro nominandae sunt *Acidalii*, Patavii 1590. 12 *Iusti Lipsii* 1591. *Iani Gruteri*, Francofurti 1607. 16. et in Scriptt. hist. Augustae ab eod. editos Hanoviae 1611. fol. *Gerardi Vossii*, Lugd. Bat. 1639. 12. *Nic. Heinsii* Amstelod. ap. Elzevir. 12. *Petri Burmanni*, Lugd. Bat. 1719. 8. *Io. Frid. Gruneri*, Coburgi 1762 8. *Davidis Ruhnkenii*, Lugd. Bat. 1779 2 voll. 8. *Bipontina* 1780. 8. repet. auct. et emend. 1811. *Christ. David. Iani* et *Io. Chr. Henr. Krausii* ed. maior. Lipsiae 1800. 2 voll. 8. *Krausiana minor*, ibid. 1803. *Arminii Heimarti Cludi*, Hanoverae 1815. 8. Versio Germanica elegantissima est *Fr. Iacobsii*, Lipsiae, 1793. 8.

## II.

## DE L. ANNAEO FLORO.

De L. Annaei Flori, qui in aliis codd. L. Iulius Florus, in aliis L. Annaeus Florus dicitur, patria, genere, aetate, vita reliqua, nihil certi affirmaverim. Alii Augusto, alii Tiberio, alii Traiano et Hadriano aequalem eum faciunt; alii propter ipsius Flori verba, in quibus Hispaniae laudes continentur (II, 6, 38. III, 22.), Hispanum, et fortasse ex ipsa Annaeorum, id est, Senecarum gente oriundum, alii Gallum seu Trevirum (Taciti Ann. III, 40.) eum esse voluerunt. Italus tamen civisque Romanus fuisse videtur, nisi forte eius dicendi genus fucatusque orationis color barbarum quid et, nisi fallor, Hispanum olet. Eum Augusti aevo vixisse, Titzius, celeberrimus Flori editor, ex ipso scriptore (IV, 3, 5, 12.) probare studet. Ad Lucium Iulium Florum quendam Horatius Epist. II, 2. I, 3. scripsit. De prooemii genuitate, in quo *Traiani* aetas et populus *bis revirescens* indicatur, inter VV. DD. adhuc dubitatur. Spartianus, unus ex historiae Augustae scriptoribus, in vita Hadriani cap. XVI. Florum poëtam commemorat eiusque versiculos in Imperatorem scriptos:

*Ego nolo Caesar esse,*
*Ambulare per Britannos,*
*Scythicas pati pruinas.*

Quibus Hadrianus ita respondit:

*Ego nolo Florus esse,*
*Ambulare per tabernas,*
*Latitare per popinas,*
*Culices pati rotundos:*

Quem Annaeum Florum Charisius grammaticus poëtam vocat, et ex eius ad Hadrianum epistola lib. I. p. 38. citat illa verba: *Poematis delector*, et eod. lib. p. 113. *quasi de Arabe aut Sarmata manubias.* Nostrum autem scriptorem poëtica oratione usum esse, quis est, qui non animadvertat? Eidem Epitomae ex Livii historiarum libris conscriptae attribuuntur. Propter oratorium vel potius declamatorium scribendi genus in Flori libro non historia, quae vere dicitur, sed panegyricus in populum Romanum inesse non temere iudicatur. Lactantius lib. VII, c. 15. Institutionum Divinarum eum scriptorem, qui Romanae urbis tempora in aetates distribuit, Senecam appellat. Sed verba Senecae a Lactantio allata licet similia sint verborum Flori, tamen non sunt eadem, et Senecae divisio paullo alia est atque Flori in prologo historiae. *Iulium Florum*, qui declamator sub Tiberio vixit, nominat M. Seneca in Controvers. XXV. eundemque Fabius Quinctilianus lib. X. cap. 3. mirae facundiae virum dicit *Iulium Secundum.* Alius *Florus* sub Nerone vixit, de quo Arrianus Diss. Epicteteor. lib. I. cap. 2. Diversi tamen illi a nostro Floro esse videntur. Huius habemus *Epitomen de gestis Romanorum* sive *rerum Romanarum libros IV.* ab Urbe condita usque ad Iani templum prima vice clausum sub Augusto Imperatore; quod factum esse constat p. U. c. 725. Flori perpetuus imitator est Iornandes sive Iordanes, qui saeculo VI. de rebus Geticis scripsit; multa etiam Freculfum in Chronico, et Iulium Celsum sive Fr. Petrarcham in Hist. Iulii Caesaris e nostro hausisse apparet. Ex Iusti Lipsii iudicio Florus composite, diserte, eleganter scripsit; subtilitate quidem et brevitate interdum mira; sententiarum quibusdam gemmulis cum iudicio insertis. Et Ioannes Freinshemius historicum nostrum artificiosa brevitate, puritate et elegantia sermonis, sententiarum acumine et pondere satis commendabilem praedicat. Cui laudi non plane adsenserim. Severum censorem nactus est Florus Io. Georg. Graevium in Praefatione ad eius editionem, qui multa in Floro ait passim occurrere, quae minime ferent aures teretes et religiosae; et tam in sententiis, quam in verbis esse multa *καχόζηλα*, insana, *μειραχιώδη*. Ultra modum enim eius sunt hyperbolae, ut I, 13, 17. II, 17, 12. IV, 11, 5. III, 10, 19. 5, 19. II, 6, 14. (si quidem locus est genuinus.) Putide etiam nonnumquam eruditionem ostentat et non suo loco, ut I, 17, 6. (locus est dubius) II, 2, 14., inepte dicta et quae ab emendate loquentium consuetudine aliena sunt; alia porro non observata temporis ratione narrantur, alia omittuntur, quae a lectore aegre desiderantur. Sed singulos locos, in quibus Florum peccasse dicunt, longum est hic enumerare. Monuisse sufficiat,

Florum depravata declamatorum aetatis suae dicendi consuetudine depravatum multum descivisse a nativa illa et infucata castitate et candore sermonis Latini, qui in Tulliani et Augustei seculi scriptoribus effulget; alioquin eum esse non plane contemnendum historiae Romanae epitomatorem, dignum eum, qui a pueris, brevem et florida, interdum poetica, dictione compositam historiam rerum a Romanis gestarum, qualis est Flori, desideranti-bus, studiose legatur. Mirum Cl. Salmasio videtur, Grammaticis tam invisum esse hoc Flori opus, ut nusquam aliquid ex eo ad testimonium citent. Eius tamen imitatio, quae inde a Iornande in multis historiae recentiorum nationum compendiis apparet, et editionum multitudo docent, eum a multis et omnibus tempori-bus quidem lectum fuisse et adhuc legi.

Princeps Flori editio est *Parisiensis* sine temporis, loci et typographi nota, cur. *Rob. Gaguino.* (*Gering*) in 4. Pertinet ad annum 1470—1472. Deinde secutae sunt editiones *Coloniensis*, s. a. l. et typogr. *Romana* per Conr. Sweynheim et Arn. Pannartz. 1472. *Lipsiensis* 1487. *Florentina* ex typogr. Phil. Iuntae. 8. 1510. Deinde exstiterunt hi editores: *Io. Ricutius Vellinus*, vulgo dictus *Camers*, Viennae. 1511. 4. *Elias Vinetus*, Pictavis 1554. 4. *Io. Stadius*, Antverpiae ex off. Plantiniana 1567. 8. *Io. Freinshemius*, Argentorati 1632. 8. *C. A. Duckerus*, Lugd. Bat. 1722. 1744. 2 Tom. 8. *Io. Georg. Graevius*, Ultraiecti 1680. 8. Amstelod. 1702. 8. *Io. Frid. Fischerus*, Lipsiae 1760. 8. *Bipontina Societ.* 1783. ed. sec. 1810. 8. Nostro saeculo de Floro meriti sunt *Franc. Nicol. Titzius*, Pragae 1819. 8. *Seebodius*, Hannoverae 1818. Germanicae versiones factae sunt a C. F. Kretschmanno, Lipsiae 1785. 8. et a Bertrando Francof. ad M. 1789. 8. Accuratissimam de Flori vita, aetate, scriptis disquisitionem instituit *F. N. Titzius* in libello, cui titulus est: *De Epitomes Rerum Romanarum, quae sub nomine L. Annaei sive Flori sive Senecae fertur, aetate probabilissima, vero auctore, operis antiqui forma, Quaestionum novarum Libri III.* Lincii 1804. 8.

# III.

## DE EUTROPIO.

De Eutropii natalibus et patria nihil certi constat; coniecturis et opinionibus nituntur, quae de eo feruntur. Nomen Eutropii Graecam originem prodit, et licet Eutropii quidam a saeculo inde quarto in Romana historia prodire coeperint, tamen dubium manet et incertum, an noster Eutropius inter eos inveniri possit. Flavii praenomen Eutropio cuidam Consuli in Fastis praeponitur. Si credere licet Anonymo in Antiquitatibus Constantinopolitanis, ἐπιστολογράφος seu Epistolaris Constantini Imp. fuit. Deinde Iulianum Imp. Parthis bellum inferentem, comitatus est; *cui*

*expeditioni*, inquit, (lib. X, c. 16.) *ego quoque interfui*. Iuliano interfecto redux factus sub Imp. Valente floruit. Post bellum Gothicum primum, a Valente contra Athanaricum a. 369 p. Chr. n. gestum, quod in fine operis sui innuere videtur, circa annum 370. p. Chr. n. supremum diem obiisse est verisimile. Alii eundem Proconsulem sub Valente fuisse autumant, teste Ammiano Marcellino XXIX, 1. alii eum Proconsulem Asiae, quem Libanius Sophista commemorat; alii Praefectum Praetorio anno 381. p. Chr. n. uti e Codice Theodosiano colligitur. Sed pariter a vero aberrant, qui Eutropium nostrum Augustini discipulum faciant, quod propter utriusque aevum esse non potuit. Neque Christi assecla fuisse videtur, quod nonnulli ex eius verbis de Iuliano (X, 16.) coniiciunt. Iussu Valentis Imp. breviarium historiae Romanae in libros X descriptum confecit, in quo inde a primo Urbis exordio narratione perpetua strictim breviterque Romanorum res gestas ad Valentis aetatem deduxit. In conscribenda historia maxime secutus est Fabium Pictorem, Livium (ἐπιτέμνων Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον. Suidas.), Sallustium, Suetonium, Historiae Augustae scriptores, alios, quos nominatim non commemorat, quibuscum tamen accurate consentit, ita ut aute oculos habuisse eos appareat. Oratio eius est tenuis, aperta et perspicua, vitiis aetatis suae adhaerentibus. Nihilominus tamen Eutropii libellus in magno semper honore habitus est diligentique lectione versatus, et in imitationem quoque vocatus, ut a Sexto Rufo, Orosio, Chronicorum scriptoribus, auctore Historiae Miscellae. Graecam versionem habemus a *Paeanio* quodam, qui non multo post Eutropium vixisse videtur, confectam, quam alii referunt ad Capitonem Lucium, qui, Suida teste, nostrum Graece convertit. Duas olim exstitisse versiones Graecas, a se invicem maxime discrepantes, Tzschuckius demonstravit. Praeter breviarium etiam alios libros scripsit, Suida auctore; qui tamen fuerint, ignoratur. An maius illud opus, cuius spem in fine breviarii movet, perfecerit, non constat. De Constantinopolis instauratione Eutropium scripsisse, Anonymus, qui supra laudatur, tradit. Sed de his, quum ea temporis iniuria perierint, nihil certi afferri potest.

Editio princeps Eutropii prodiit *Romae*, *G. Lauer*, die 20. Maii 1471. in 4. mai. Deinde plurimae sunt secutae, inter quas eminent: *Ant. Schonhovii*, Basileae 1546. 8. *El. Vineti*, Pictavii 1553. 8. *Henr. Glareani*, Friburgi 1554. 8. *Sylburgii* in Scriptt. hist. Tom. min. Francof. 1588. T. III. p. 559. *Paul. Merulae*, Lugd. Bat. 1592. *Christ. Cellarii*, cum Paeanii metaphrasi Graeca, Cizae 1678. 8. Ed. *in usum Delphini*, Parisiis 1683. 4. *Sigeb. Havercampi*, Lugd. Bat. 1729. 8. *Io. Fr. Gruneri*, Coburgi 1752. 8. *Henr. Verheykii*, Lugd. Bat. 1762. *Bipontina* 1789. 8. in Hist. Rom. scriptt. minoribus. *C. H. Tzschuckii* ed. maior. Lipsiae 1796. 8. ed. minor, Lipsiae 1804. *Godofr. Seebodii*, Hannoverae 1817. *Fierichti*, Vindobonnae 1821. 8. *Paeanii versionem* e codice ἀκοψράφῳ primus edidit *Sylburgius* in Scriptt. supra laudatis. Post repetita est a *Schmidio*, Lauenburgi 1736. Brunsvici 1763. 8. *a Kaltwassero*, Gothae 1780. 8. Antiquissima versio

Germanica exstat sine anni locique nota sub hoc titulo: *Flavii Eutropii Römische Historien und Chronick.* Recentiore aetate Eutropium fecerunt Germanicum *Hausius*, Francof. 1790. rec. ed. 1821. 8. *Büchlingius*, Lipsiae, 1794.

# IV.

## DE SEX. AURELIO VICTORE.

Quatuor librorum, qui sub S. Aurelii Victoris nomine aetatem tulerunt, et licet non ab uno auctore profecti, coniunctim uno volumine edi solent, ordinem ducit is, qui inscribitur: *De Origine Gentis Romanae.* In titulo, huic commentatiunculae, cuius non nisi principium exstat, praefixo, inter fontes, ex quibus sua hauserunt neoterici sive iuniores scriptores, Livius commemoratur, et, quod mirum est, Victor Afer. Sine dubio hic libellus, cuius auctorem nescimus, propter similitudinem argumenti a librariis adiungebatur libris S. Aur. Victoris de viris illustribus et de Caesaribus. Inde factum est, ut a Victore scriptus temere existimaretur. Inscriptio libelli non ab ipso auctore compositam, sed a recentiore manu additam esse, affirmavit Fabricius in Bibl. Lat. Vol. I. p. 571. Verisimile est, hanc de Origine G. R. commentatiunculam confectam esse ab aliquo, qui fuerit post Aurelium Victorem; atque idem epitomator, quicumque fuerit, scripsit, ut ipse testatur, *de Origine Gentis Patavinae.* Ceterum libellus dignus est, qui a iuvenibus historiae Romanae studiosis legatur, quum multa contineat, quae ex deperditis historicis excerpta, in scriptoribus adhue exstantibus non leguntur.

Qui sequitur libellus *de Viris illustribus*, incipit a Proca, rege Albanorum, et vita Pompeii finitur. Quod adiungi solet additamentum, continet vitas I. Caesaris, Augusti, aliorum, denique Cleopatrae. Ex libris manu scriptis id primus edidit Andreas Schottus. De huius quoque libri vero auctore dissentitur, aliis Plinio iun. qui in septem codd. auctor nominatur, aliis Corn. Tacito, aliis Suetonio Tranquillo, aliis Corn. Nepoti eum tribuentibus. In nonnullis codicibus dicitur pars prior historiae abbreviatae Victoris, quem propterea genuinum eius auctorem esse Fabricius autumat. Si qui Victor scripserit de Viris illustribus, alius tamen esse videtur atque scriptor de Caesaribus. Propter rerum ubertatem atque utilitatem, aeque ac propter orationem rectam suavemque iuventuti studiosae commendatur.

Libri *de Caesaribus* auctorem S. Aurelium Victorem esse, certioribus argumentis confirmari potest. In eo enim de se suaque aetate auctor ipse quaedam narrat. *Rure se ortum tenuique indocto patre* testatur cap. XX, 5. et cap. XVI, 12, aetatem indicat commemoratione *Cerealis Consulis*, quem 358 p. Chr. Consulem fuisse Fasti docent. Deinde cap. XXVIII, 2. *consulatum*

*Philippi* commemorat, qui incidit in annum Christi 348. Porro ex cap. XL, 16. et XLI, 10. sub Constantino Imp. et Constantio Caesare eum scripsisse intelligitur, et cap. XLII, 20. narrat, Iulium Constantium annos tres atque viginti Augustum imperium regentem aegre ab armis abesse, quo annum 359 p. Chr. significat. Ammianus Marcellinus lib. XXI, cap. 18. de nostro Victore loqui videtur his verbis: *Imperator (Iulianus) revertitur Naessum copiosum oppidum, quo impraepedite cuncta disponeret suis utilitatibus profutura. Ubi Victorem apud Sirmium visum, scriptorem historicum, exindeque venire praeceptum, Pannoniae secundae Consularem praefecit, et honoravit aenea statua, virum sobrietatis gratia aemulandum, multo post Urbi praefectum.* In inscriptione antiqua, quae in Gruteri Corpore Inscriptt. p. CCLXXXVI. n. 5. legitur, *S. Aur. Victor Vir Consularis, Urbi praefectus et Iudex Sacrarum Cognitionum* commemoratur. Inscriptio haec est:

Priores versus desunt.
...IERVM. PRINCIPVM. CLEMENTIAM
...NCTITVDINEM. MVNIFICENTIAM
SVPERGRESSO
D. N. FL. THEODOSIO. PIO. VICTORI
SEMPER. AVGVSTO

SEX. AVR. VICTOR. V. C. VRBI. PRAEF.
IVDEX. SACRARVM. COGNITIONVM.

D. N. M. Q. E

Fragmentum est baseos, altum ped. b 1/2 effossum Romae in foro Traiani haud procul a columna eiusdem anno 1503. Litterae D. N. M. Q. E. significant: *Domino nostro maiestatique eius, vel expressum.* Victorem historicum Christi asseclam non fuisse, christianis hominibus tamen non inimicum, patet ex cap. XXXIX, 45. et XLI, 5. Inscriptio libelli de Or. G. R. eum natione Afrum fuisse prodit, quod, Vossio de Hist. Lat. lib. II. cap. 8. monente, a vero non abhorret, quando quidem multus est in Africa laudanda, atque eam appellat *terrarum decus* (de Caes. cap. XL, 19.). Barthio Advers. lib. LIV. cap. 13. est *summae autoritatis Historicus, Afrum in eo acumen, et dersitas sententiarum nodosa, et summo affectatoque studio difficilis.* In Adversariis ineditis Barthius dicit Victorem *maxime serium scriptorem, Graeculo (Herodiano) longe fide digniorem, bene cordatum prudentemque.*

Denique additur libellus, qui inscribi solet *Epitome*, cuius auctorem hodie plane ignoramus. In libris manuscriptis hic reperitur titulus: *Libellus de vita et moribus Imperatorum breviatus ex libris Sexti Aurelii Victoris a Caesare Augusto usque ad Theodosium.* Alii perhibent: *De vita et moribus Imperatorum Romanorum excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris a Caesare Augusto usque ad Theodosium Imperatorem.* Alii: *De vita et moribus Imperatorum Romanorum Epitome ex libris Sexti Aurelii Victoris a Caesare Augusto usque ad excessum Theodosii Imp.* In quibus nulla fit auctoris mentio. Libellus non ex solo Aurelio Victore

de Caesaribus ad verbum excerpta continet, sed multa etiam ex aliis scriptoribus, interdum aliter atque in illo libro res narrantibus, delibata. Epitomatorem Theodosio Imperatore, cuius faciem et habitum accurate, ut testis oculatus descripsit cap. XLVIII, 8. aetatem degisse, apparet ex fine libelli.

S. Aurelii Victoris editio princeps est *Sixti Ruesingeri* s. l. et a. (Romae circa a. 1472. 4, vel ut aliis videtur, Neapoli circa a 1471.) Sequuntur *Florentina* 1474. 8. et *Veneta* 1501. 4. *cum Plinii Epp.* librum de viris illustribus continens. *Aldina* I. Venetiis 1516. cum Eutropio, Historia Miscella et Suetonio. Deinde insigni cura emendatus Noster prodiit ex officina *Frobenii*, edente *Sigism. Gelenio*, Basileae 1532. fol. cum Eutropio et Hist. Misc. Parisiis ap. *Rob. Stephanum* 1544. 8. Novae aetatis princeps Aur. Victori factus est *Andreas Schottus*, Antverpianus, qui libellum de Viris ill. urbis Romae, falso hactenus Corn. Nepoti, vel C. Plinio inscriptum, vero auctori reddidit in editione, quae prodiit Duaci 1577. 4. cum notis. Idem primus edidit libellum de Origine gentis Romanae, et de Caesaribus et iunioris cuiusdam Victoris libellum, qui Epitome vulgo vocatur, cum ceteris in unum volumen coniunxit. Ita primus integer editus est S. Aur. Victor Antverpiae 1579. 8. ex off. Plantiniana cum notis *Andr. Schotti*. Haec editio saepe repetita est et singulatim et in collectionibus Historicorum Romanorum a *Sylburgio* et *Grutero* factis. Porro plurima debet Noster *Io. Arntzenio* Icto Amstelod. qui eum cum notis priorum interpretum et emendatum ex Codd. edidit. Amstel. et Trai. Bat. 1733. 4. Eius vestigia secutus est *Io. Frid. Gruner*, cum animadversionibus criticis atque historicis, Coburgi 1767. 8. Secundum eius recensionem factae sunt editiones *Erlangensis* 1787. 8. quam animadv. ornavit *Harles*, et *Bipontina*, 1789. 8. De Viris ill. libellum edidere *Wachler*, Lemgoviae 1792. 8. *I. B. Friese*, Altonae 1804. 8. *I. H. Ch. Barby*, Berolini 1818. Omnes libros scriptoris nostri continet editio *Marburgensis* c. notis criticis, 1817. 8. cuius auctor secutus est Grunerum et Harlesium. Vide *Seebodii Krit. Bibl.* I. Jahrg. Bd. II. St. 4. Nr. 10. Hildesh. 1819. p. 928 sqq. Versionem Germanicam totius Victoris habemus *Hildebrandii*, Leipzig 1795. 8. et libellus de Viris ill. Germanicus prodiit *Hof* 1789. 8.

## V.

## DE SEXTO RUFO.

De Sexto Rufo, quem alii *Rufum Festum*, alii *Festum Rufum Avienum* appellant, perpauca scimus. Ex inscriptione libelli apparet, eum sub Valente Imp. cui opusculum dedicavit, vitam egisse et Eutropio fuisse aequalem. Notae V. C. quas Rufi nomini appositas in dedicatione videmus, aut *Virum Consularem*,

aut *Virum Clarissimum* *) significant. In duobus codd. nominatur Festus Dictator. Valentis Imp. non Valentiniani, ut communi errore libri praeferunt, iussu impulsus, hoc *breviarium rerum gestarum populi Romani*, sive *de victoriis et provinciis P. R.* sensim per Reges, Consules, Imperatores usque ad Ioviani imperium prolatis libellum scripsit, Florum et Eutropium imitatus, cuius verba saepe refert. Ceterum quo anno Rufus natus, quove mortuus sit, qui fuerint parentes, quae patria, quos gesserit honores, ubi vitam degerit, plane nos latet. Exstat etiam Sexti Rufi nomine inscriptus libellus *de Regionibus urbis Romae*, quem primus edidit Onuphrius Panvinius, recentius optime Münnich. Non est, quod negemus illum eundem Rufum esse, qui et breviarium scripsit. *Ed. pr.* hic est titulus: Breviarium, c. vitis quibusdam Plutarchi parallelis latine factis et al. a. *I. A. Ant. Campano* edit. s. l. et a. (Romae, ante 1470?) in fol. Paullo post prodiit cura *Sixti Ruesingeri* s. l. et a. in 4. ad calcem Aurelii Victoris. Constat hanc editionem Neapoli circa annum 1471 factam esse. Deinceps editores secuti sunt plures, inter quos eminent *H. Meibomius*, Helmstadii 1588. 8. *Sylburgius*, in Scriptt. Hist. Rom. T. I. Francof. ad Moen. 1588. fol. *Cuspinianus*, ibid. 1601. fol. *Ian. Gruterus*, in Hist. Augustae scriptoribus Lat. Hanoviae 1610. fol. T. II. qui primus Rufi libellum in capita distinxit. *Cellarius*, Halae Sax. 1698. 8. *Sig. Havercampus* Lugd. Bat. 1729. 8. *H. Verheykius*, ibid. 1762. 8. *Bipontina Societas*, 1789. 8. *C. H. Tzschuckius*, Lipsiae 1793. 12. *G. Münnich*, Hannoverae 1817. 8. cui editioni praestantissimae larga variantium lectionum collectio adiecta est.

# VI.

## DE M. VALERIO MESSALA CORVINO.

M. Valerius Messala (Messalla in Fastis) Corvinus, nobili genere ortus, eodemque anno, quo Livius historicus, hoc est, 59 a. Chr. 695 p. U. c. C. Iulio Caesare et M. Calpurnio Bibulo Coss. natus est. Primum Triumviris adversarius et proscriptus, a Bruto Cassioque stetit, sed proelio ad Philippos commisso ad Antonium, mox ad Octavianum transiit, quocum consulatu functus est 723 p. U. c. et proelio apud Actium navali interfuit **). Octavianum primus in Senatu Patrem patriae salutavit ***). Quem

*) De titulo *Clarissimus*, quibusque dignitas *Clarissimatus* attributa sit, vide *Panciroli* ad Notitiam Dignitatum, in Graevii Thes. A. R. T. VII. p. 1343 sq.

**) Vellei. II, 72. Taciti Ann. XIII, 34. 84.

***) Sueton. Octav. 58.

deinde in Graeciam secutus, classi praefectus est, postea in Galliam pro Consule missus. De Aquitanis triumphum egit 727. p. U. c. Albius Tibullus poëta, qui in Messalae cohorte seu comitatu fuerat, quum is cum imperio extraordinario seu Legatus in Asiam profectus esset, ducem suum et patronum lib. I. el. VII. lib. IV. el. I. praeclare celebravit. Primus etiam Messala Praefectus Urbis fuit, sed sexto die magistratu eo se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans, aut quasi nescius exercendi *). Quum memoria maxime valeret, septuagenarium tanta oblivio cepit, ut vel nominis sui oblivisceretur. Cui malo, quum ulceris dolor acrior accessisset, inedia se confecit, annum aetatis LXXII. agens, 14 p. Chr. Insignis fuit orator „Cicerone melior et dulcior, et in verbis magis elaboratus", et doctissimus Musarum patronus, cui Virgilus iuvenile carmen Cirin dedicavit. Scripsit orationes, de Romanis familiis, de auspiciis, quum et Augur fuisset **). E scriptis eius nonnulla adhuc fragmenta supersunt. De progenie Augusti Caesaris libellus, cuius auctor Messala traditur, manifeste est spurius et suppositicius, medii aevi foetus, latinitatem illius aevi redolens, utilis tamen, qui brevem de rebus Aeneae et de Romanorum imperio conspectum, variasque ex historia Romana narrationes contineat, ex eoque libello decrescentis Latinitatis formam et rationem iuvenes intelligant. Qui verus fuerit auctor, plane ignoratur. Manuscriptus quum alibi exstat, tum Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis.

Libellum hunc primus in lucem produxit *Iacobus Bedrotus*, philologus Argentoratensis, in editione Flori, quae prodiit *Basileae, apud Ioh. Hervagium, Mense Martio Anno* MDXXXII. Deinde saepius editus est, Floro adnexus, *Parisiis*, 1539. *Moguntiae*, 1540. etc. Cum aliis scriptoribus historiae Romanae minoribus Messalae libellum edidere *Sylburgius* in opere saepe laudato, Tom. I. pag. 373 sqq. *Bipontina* VV. DD. *societas*, 1789. 8. *Hearnius*, cum Eutropio, *Oxonii* 1713. quam editionem repetiit *Havercampus*, *Lugduni Bat.* 1729. 8. *Tzschuckius* in Auctoribus Latinis minoribus, Tom. III. part. II. *Lipsiae* 1793. 12. et separatim eodem loco et anno. Ope codd. mss. restitutum esse Messalam in: *Effemeridi letterarie di Roma*, 1821. didici e *W. Hebenstreit* Dictionario edd. tum selectarum, tum optimarum auctorum class. et Gr. et Rom. Vindobonae 1828. p. 140.

*) Taciti Ann. VI, 11. ibique interppr.

**) Vellei. II, 36. Tacitus de Orat. 17. 18. Gellius N. A. XIII, 14. Heynius in Prooemio in Cirin Virgilii.

# C. VELLEII PATERCULI

# HISTORIAE ROMANAE

## LIBRI DUO.

# C. VELLEII PATERCULI

# HISTORIAE ROMANAE

## AD M. VINICIUM COS.

## LIBER I.

I. ** [Epeus] tempestate distractus a duce suo Nestore, Metapontum condidit. Teucer, non receptus a patre Telamone, ob segnitiam non vindicatae fratris iniuriae, Cyprum adpulsus, cognominem patriae suae Salamina constituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupavit; Phidippus Ephyram in Thesprotia. At rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi urbes statuit: duas a patriae nomine, unam a victoriae memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum. Idem mox scelere patruelis fratris Aegisthi, hereditarium exercentis in eum odium, et facinore uxoris oppressus occiditur. Regni potitur Aegisthus per annos VII. Hunc Orestes, matremque, socia consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi femina, obtruncat. Factum ejus a Diis comprobatum, spatio vitae et felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC, regnavit LXX, qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Nam quod pactae eius, Menelai atque Helenae filiae, Hermiones, nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit. Per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres quum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit. Pervectus in Italiam, et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum, filii eius, Penthilus et Tisamenus, regnavere triennio.

II. Tum, fere anno octogesimo post Troiam captam, centesimo et vicesimo, quam Hercules ad Deos excesserat, Pelopis progenies, quae omni hoc tempore, pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum abavus fuerat. Eodem fere tempore Athenae sub regibus esse desierunt: quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius; vir non praetereundus. Quippe, quum Lace-

daemonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores: deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium, de industria rixam ciens, imprudenter interemptus est. Codrum cum morte aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui his artibus mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quaeri solet? Huius filius Medon primus Archon Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidae, sed ii, insequentesque Archontes usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant. Peloponnesii, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem, condidere. Ea tempestate et Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniae tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gades condidit. Ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatique quum variis casibus, tum saevitia maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam.

III. Tum Graecia maximis concussa est motibus: Achaei ex Laconica pulsi, eas occupavere sedes, quas nunc obtinent: Pelasgi Athenas commigravere: acerque belli iuvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quae nunc ab eius nomine Thessalia appellatur, ante Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari convenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut Thessalia, commemorant. Quod quum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt: quibus minime id concedendum est. Nihil enim ex persona poëtae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerant, dixerunt. Quod si quis a Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit. Paulo ante Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quae antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum. Nam ex persona poëtae et hanc urbem et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur aetate eius, multo post Ilium captum conditae.

IV. Athenienses in Euboea Chalcida et Eretriam colonis occupavere; Lacedaemonii in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut praediximus, Atticis Hippocle et Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Huius classis cursum esse directum alii columbae antecedentis volatu ferunt, alii, nocturno aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit. Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dignissimas. Sed aliis [illis] diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos, Osca mutavit vicinia. Vires autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat moenium. Subsequenti tempore magna vis Graecae

iuventutis, abundantia virium sedes quaeritans, in Asiam se effudit. Nam et Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimae occupavere, quae hodieque appellatur Ionia; urbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, [Teum,] Erythram, Clazomenas, Phocaeam; multasque in Aegaeo atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Parum, Delum, aliasque ignobiles. Et mox Aeolii, eadem profecti Graecia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos; clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenenque, et alias [urbes,] quae sunt in Lesbo insula.

V. Clarissimum deinde Homeri inluxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari Poëta meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est. Neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, praeter Homerum et Archilochum, reperiemus. Hic longius a temporibus belli, quod composuit, Troici, quam quidam rentur, abfuit. Nam ferme ante annos DCCCCL floruit, intra mille natus est. Quo nomine non est mirandum, quod saepe illud usurpat, *διοι νῦν βροτοί εἰσι.* Hoc enim ut hominum, ita seculorum notatur differentia Quem si quis caecum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX, translatum est ad Medos, abhinc annos ferme DCCCLXX. Quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem, et nimium felicem malo suo, tertio et tricesimo loco ab Nino et Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut semper successor regni paterni foret filius, Arbaces [Pharnaces] Medus imperio vitaque privavit.

Ea aetate clarissimus Graii nominis Lycurgus, Lacedaemonius, vir generis regii, fuit severissimarum iustissimarumque legum auctor, et disciplinae convenientissimae inventor; cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit. Hoc tractu temporum, ante annos quinque et sexaginta, quam urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. Circa quod tempus Caranus, [vir generis regii,] sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniae occupavit. A quo magnus Alexander quum fuerit septimus decimus, iure, materni generis Achille auctore, paterni Hercule, gloriatus est. [Inter hoc tempus et initium Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt anni MDCCCCXCV.]

VII. Huius temporibus aequalis Hesiodus fuit, circa CXX annos distinctus ab Homeri aetate, vir perelegantis ingenii, et mollissima dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus; ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate proximus. Qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque et parentes testatus est; sed patriam, quia multatus ab ea erat, contumeliosissime.

Dum in externis moror, incidi in rem domesticam, maximique erroris et multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, huius temporis tractu, aiunt, a Tuscis Capuam, Nolamque conditam, ante annos fere DCCCXXX: quibus equidem adsenserim. Sed M. Cato quantum differt! qui dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX. Quod si ita est, quum sint a Capua capta anni CCXL: ut condita est, anni sunt fere D. Ego (pace diligentiae Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

VIII. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, et ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum, Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum Elium. Is eos ludos mercatumque instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, Consulatum inires, DCCCCXIII. Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos ferme MCCL Atreus, quum Pelopi patri funebres ludos faceret. Quo quidem in ludicro, [luctae] omnisque generis certaminum Hercules victor exstitit. Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, quum fuisset ultimus Alcmaeon, coeperuntque in denos annos creari. Quae consuetudo in annos LXX mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus Respublica. Ex iis, qui denis annis praefuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryxias: ex annuis, primus Creon.

Sexta Olympiade, post duos et viginti annos, quam prima constituta fuerat, Romulus, Martis filius, ultus iniurias avi, Romam urbem Parilibus in Palatio condidit; a quo tempore ad vos Coss. anni sunt DCCLXXXIII. Id actum post Troiam captam annis CDXXXVII. Id gessit Romulus, adiutus legionibus Latinis avi sui. Libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim: quum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Veientibus, aliisque, Etruscis ac Sabinis, cum imbelli et pastorali manu vix potuerit, quamquam eam, asylo facto inter duos lucos, auxit. Hic centum homines electos, appellatosque Patres, instar habuit consilii publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum * * *

[*Ingens lacuna, qua absorpta est historia usque ad annum, quo Perseus, rex Macedoniae, victus est. Ad hunc locum pertinet fragmentum, quod laudat Priscian. VI. p. 700. "M. Vellejus Paterculus primo:* Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon."]

IX. * * * quam timuerat hostis, expetit. Nam biennio adeo varia fortuna cum Coss. conflixerat, ut plerumque superior fuerit, magnamque partem Graeciae in societatem suam perduceret. Quin Rhodii quoque, fidelissimi antea Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt; et rex Eumenes in eo bello medius fuit animo; neque fratris initiis, neque suae respondit consuetudini. Tum Senatus populusque Romanus Aemilium Paullum, qui et Praetor et Consul triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, Consulem creavit; filium eius

Paulli, qui ad Cannas quam tergiversanter pernicioſam Reipublicae pugnam jnierat, tam fortiter in ea mortem obierat. Is Persen ingenti proelio, apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit; deletisque eius copiis, destitutum omni spe coëgit e Macedonia profugere. Quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius Praetor, qui classi praeerat, pervenit; et ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno et Octavii Praetoris navalis, et Anicii regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis fortunæ comes invidia, altissimisque adhaereat, etiam hoc colligi potest, quod, quum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: cuius tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniae, ut bis millies centies HS. aerario contulerit, et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.

X. Per idem tempus, quum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum inchoavit, tum rex Syriae, Ptolemaeum puerum Alexandriae obsideret, missus est ad eum legatus M. Popillius Laenas, qui iuberet incepto desistere. Mandataque exposuit, et regem, deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgula, iussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito arenae circulo. Sic cogitationem regiam Romana disiecit constantia; obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnae victoriae compoti, quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu maiores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis, vigoremque eloquentiae retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo: duos minores natu, praetextatos, quo tempore victoriam adeptus est, [domi] habuit. Is quum in concione extra urbem, more maiorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, Deos immortales precatus est, *ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent, quam in Rempublicam.* Quae vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui. Nam alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa haec tempora censura Fulvii Flacci et Postumii Albini fuit. Quippe Fulvii Censoris frater, et quidem consors, Cn. Fulvius, Senatu motus est ab iis Censoribus.

XI. Post victum captumque Persen, qui quadriennio post in libera custodia Albae decessit, Pseudophilippus, a mendacio simulatae originis appellatus, qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat, quum esset ultimae, armis occupata Macedonia, adsumtis regni insignibus, brevi temeritatis poenas dedit: quippe Q. Metellus Praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum erat, praeclara victoria ipsum gentemque superavit, et immani etiam Achaeos rebellare incipientes fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quae fuere circumdatae duabus

aedibus sine inscriptione positis, quae nunc Octaviae porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quae frontem aedium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. Cuius turmae hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, et ipsius quoque iis interponeret. Hic idem primus omnium Romae aedem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, [huius] vel magnificentiae vel luxuriae princeps fuit. Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, et principale in Republica fastigium, extentumque vitae spatium, et acres innocentesque pro Republica cum inimicis contentiones, quatuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites, et honoratissimos. Mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii: unus Consularis et Censorius, alter Consularis, tertius Consul, quartus candidatus Consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori.

XII. Universa deinde, ut praediximus, instincta in bellum Achaia, cuius pars magna eiusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat, maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis, instigantibus, destinatus ei bello gerendo Consul Mummius. Et sub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quidquid de Carthaginiensibus diceretur, credere, quam quia credenda adferebantur, statuit Senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit, quem, Paullo genitum, adoptatum a Scipione Africani filio, diximus, aedilitatem petens Consul creatus est. Bellum Carthagini, iam ante biennium a prioribus Consulibus illatum, maiore vi intulit: quum ante in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset; in Hispania vero etiam ex provocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset. Eamque urbem, magis invidia imperii, quam ullius eius temporis noxiae invisam Romano nomini, funditus sustulit: fecitque suae virtutis monumentum, quod fuerat avi eius clementiae. Carthago diruta est, quum stetisset annos DCLXXII, abhinc annos CLXXVII, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coss. Hunc finem habuit Romani imperii Carthago aemula; cum qua bellare maiores nostri coepere Claudio et Fulvio Coss. ante annos CCXCIV, quam tu, M. Vinici, Consulatum inires. Ita per annos CXVIII, aut bellum inter eos populos, aut belli praeparatio, aut infida pax fuit. Neque se Roma, iam terrarum orbe superato, securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis: adeo odium, certaminibus ortum, ultra metum durat;

et ne in victis quidem deponitur; neque ante invisum esse desinit, quam esse desiit.

XIII. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendae eius auctor, L. Censorino, M. Manlio Coss. mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum, post annos DCCCCLII, quam ab Alete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit. Uterque imperator, devictae a se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus. Nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia. Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut, capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro Republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

XIV. Quum facilius cuiusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhaereat; statui priorem huius voluminis posterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contracta, distinguere; atque huic loco inserere, quæ quoque tempore, post Romam a Gallis captam, deducta sit colonia jussu Senatus. Nam militarium et caussae et auctores et ipsarum praefulgent nomine. Huic rei per idem tempus civitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud intempestive subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli urbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est; et post annum Setia; novemque interiectis annis Nepe: deinde, interpositis duobus et triginta, Aricini in civitatem recepti. Abhinc annos autem CCCLXII, Sp. Postumio, Veturio Calvino Coss. Campanis data est civitas, partique Samnitium, sine suffragio: et eodem anno Cales deducta colonia. Interiecto deinde triennio Fundani et Formiani in civitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. Insequentibusque Coss. a Sp. Postumio, Philone Publilio, Censoribus, Acerranis data civitas, et post triennium Tarracina deducta colonia; interpositoque quadriennio Luceria; ac deinde, interiecto triennio, Suessa Aurunca; et Saticula, Interamnaque post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacaverunt. Tunc Sora atque Alba deductae coloniae, et Carseoli post biennium. At quintum Fabio, Decio Mure quartum Coss. quo anno Pyrrhus regnare coepit, Sinuessam Minturnasque missi coloni, post quadriennium Venusiam: interiectoque biennio, M. Curio et Rufino Cor-

nelio Coss. Sabinis sine suffragio data civitas. Id actum ante annos ferme CCCXX. At Cossam et Paestum abhinc annos ferme CCC, Fabio Dorsone et Claudio Canina Coss. interiecto quinquennio, Sempronio Sopho et Appio Caeci filio Coss. Ariminum, Beneventum, coloni missi; et suffragii ferendi ius Sabinis datum. At initio primi belli Punici Firmum et Castrum colonis occupata; et post annum Aesernia; postque XXII annos Aesulum et Alsium; Fregenaeque post biennium; proximoque anno, Torquato Sempronioque Coss. Brundisium; et post trienium Spoletium, quo anno Floralium ludorum factum est initium. Postque biennium ducta Valentia, et sub adventum in Italiam Hannibalis, Cremona atque Placentia.

XV. Deinde, neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacavit Romanis colonias condere; quum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus, et post bellum vires refovendae magis, quam spargendae. Cn. autem Manlio Volsone et Fulvio Nobiliore Coss. Bononia deducta colonia, abhinc annos ferme CCVII; et, post quadriennium, Pisaurum ac Potentia; interiectoque triennio Aquileja et Gravisca, et post quadriennium Luca. Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque et Buxentum missi coloni. Auximum autem in Picenum, adhinc annos CLXXXVII, ante triennium, quam Cassius Censor, a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit; cui inde moliendo eximia civitatis severitas et Consul Scipio restitere; quod ego inter clarissima publicae voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui, Sallues apud Aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, Consulibus, Fabrateria deducta est, abhinc annos ferme CLIII; et post annum, Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia; Carthagoque in Africa, prima, ut praediximus, extra Italiam colonia condita est. De Dertona ambigitur. Narbo autem Martius in Gallia, Porcio Marcioque Coss., abhinc annos circiter CLIII, deducta colonia est. Post tres et viginti annos in Bagiennis Eporedia, Mario sexiens, Valerioque Flacco Coss. Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

XVI. Quum haec particula operis velut formam propositi excesserit, quamquam intelligo, mihi in hac tam praecipiti festinatione, quae me rotae pronive gurgitis ac vorticis modo nusquam patitur consistere, paene magis necessaria praetereunda, quam supervacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem, saepe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stilo. Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eandem formam, et in idem artati temporis congruerint spatium; et quemadmodum clausa capso, aliove septo, diversi generis animalia, nihilo minus separata alienis, in unum quaeque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem et temporum et profectuum semet ipsa ab aliis separaverunt? Una, neque multorum annorum spatio divisa,

aetas, per divini spiritus viros, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustravit tragoediam: una priscam illam et veterem sub Cratino, Aristophane et Eupolide comoediam: ac novam comicam Menandrus, aequalesque eius aetatis magis quam operis, Philemon ac Diphilus, et invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post eius auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem omnium, quos paulo ante enumeravimus, aevum artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint.

XVII. Neque hoc in Graecis, quam in Romanis, evenit magis. Nam, nisi aspera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, in Accio circaque eum Romana tragoedia est; dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt. Historicos (ut et Livium quoque priorum ætati adstruas) præter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus LXXX annis circumdatum aevum tulit: ut nec poëtarum in antiquius citeriusve processit ubertas. At oratio ac vis forensis, perfectumque prosae eloquentiæ decus, ut idem separetur Cato, (pace P. Crassi, Scipionisque, et Laelii, et Gracchorum, et Fannii, et Servii Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribusque, si quis temporum institerit notis, reperiet, et eminentiam cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdatam. Huius ergo recedentis in suum seculum ingeniorum similitudinis, congregantisque semet in studium par et emolumentum, caussas quum semper requiro; numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles; inter quas has maxime. Alit aemulatio ingenia; et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit; naturaque, quod summo studio petitum est, ascendit in summum; difficilisque in perfecto mora est; naturaliterque, quod procedere non potest, sequi desinet, et, velut occupatam relinquens materiam, quaerit novam; praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus; sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.

XVIII. Transit admiratio a conditione temporum ad urbium. Una urbs Attica pluribus artibus eloquentiae, quam universa Graecia, operibusque floruit; adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates; ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, neminem Argivum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum. Quae urbes et civitates talium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum os Pindari illuminaret; nam Alcmana Lacones falso sibi vindicant.

# C. VELLEII PATERCULI
# HISTORIAE ROMANAE
## AD M. VINICIUM COS.

## LIBER II.

I. Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, sublataque imperii aemula, non gradu, sed praecipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. Tum Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum, quas prædiximus, Metellus, tum in Circo Cn. Octavius multo amoenissimam, moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Triste deinde, et contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriatho, secutum est, quod ita varia fortuna gestum est, ut saepius Romanorum gereretur adversa. Sed interemto Viriatho, fraude magis quam virtute Servilii Caepionis, Numantinum gravius exarsit. Haec urbs numquam plura quam X millia propriae iuventutis armavit; sed, vel ferocia ingenii, vel inscitia nostrorum ducum, vel fortunae indulgentia, quum alios duces, tum Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit foedera, (hic primus e Pompeiis Consul fuit,) nec minus ad turpia ac detestabilia Mancinum Consulem. Sed Pompeium gratia impunitum habuit: Mancinum verecundia, culpae poenam non recusando, perduxit huc, ut per Fetiales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus. Quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, *publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.*

II. Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Afriani ex filia nepos, quo Quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel iudicii vel poenae metuens discrimen, Tribunus plebis creatus, (vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit) P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio Coss. abhinc annos CLXII descivit a bonis. Pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statim [statum] concupiscentibus [concutientibus], summa imis miscuit; et in praeruptum atque anceps peri-

culum adduxit Rempublicam: Octavioque collegae, pro bono publico stanti, imperium abrogavit: Triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creavit se, socerumque suum, Consularem Appium, et Gracchum fratrem, admodum juvenem.

III. Tum P. Scipio Nasica, eius, qui optimus vir a Senatu iudicatus erat, nepos; eius qui Censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui, privatusque et togatus, quum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi praeferens, et quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans, (ob eas virtutes primus omnium absens Pontifex Maximus factus est,) circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, *qui salvam vellent Rempublicam, se sequerentur.* Tum optimates, Senatus atque equestris ordinis pars melior et maior, et intacta perniciosis consiliis plebs, irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et concientem paene totius Italiae frequentiam. Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior: discordiaeque civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro diiudicatae; bellaque non caussis inita, sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt; sed, quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: et, ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur: nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

IV. Interim dum haec in Italia geruntur, Aristonicus, qui mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hereditate relicta erat, sicut relicta postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiae stirpis originem, armis eam occupaverat; is victus a M. Perpenna, ductusque in triumpho, sed a M.' Aquillio, capite poenas dedit; quum initio belli Crassum Mucianum, virum iuris scientissimum, decedentem ex Asia Proconsulem, interemisset. Et P. Scipio Africanus Aemilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Consul, missusque in Hispaniam, fortunae virtutique, expertae in Africa, respondit in Hispania: et intra annum ac tres menses, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam excisamque aequavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariori urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae. Quippe, excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante Tribuno Carbone, *quid de Tib. Gracchi caede sentiret?* respondit: *si is occupandae Reipublicae animum habuisset, iure caesum.* Et, quum omnis concio adclamasset: *Hostium*, inquit, *armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia?* Reversus in Urbem intra breve tempus, M.' Aquillio, C. Sem-

pronio Coss. abhinc annos CLVIII, post duos Consulatus, duosque triumphos et bis excisos terrores Reipublicae, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam elisarum faucium in cervice reperirentur notae. De tanti viri morte nulla habita est quaestio: eiusque corpus velato capite elatum est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae, mortem obiit; vitam certe dignissimam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme LVI. De quo si quis ambigat, recurrat ad priorem Consulatum eius, in quem creatus est anno XXXVIII: ita dubitare desinet.

V. Ante tempus excisae Numantiae praeclara in Hispania militia D. Bruti fuit, qui, penetratis omnibus Hispaniae gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero, aditis quae vix audita erant, Gallaeci cognomen meruit. Et ante eum paucis annis tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, quum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas praecipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire iuberet, facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseverantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit: tantum efficit mixtus timori pudor, spesque desperatione quaesita. Hic virtute ac severitate facti, at Fabius Aemilianus, Paulli exemplo, disciplinae, in Hispania fuit clarissimus.

VI. Decem deinde interpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem Caium, fratrem eius, occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus, quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem. Qui quum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia, vel praemuniendae regalis potentiae, eiusdem exempli tribunatum ingressus, longe majora et acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam paene usque Alpes; dividebat agros; vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus habere (quod aliquando lege Licinia cautum erat); nova constituebat portoria; novis coloniis replebat provincias; iudicia a Senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat; quin alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc L. Opimius Consul, qui Praetor Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium Flaccum, Consularem ac triumphalem virum, aeque prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, et eum socium regalis adsumserat potentiae, morte adficit. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum, idque auro repensurum proposuit. Flaccus in Aventino, armatos ad pugnam ciens, cum filio maiore iugalatus est. Gracchus profugiens, quum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit, qui non segnius se ipse

interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis Pomponii equitis Romani in Gracchum fides fuit, qui more Coclitis, sustentatis in ponte hostibus eius, gladio se transfixit. Ut Tib. Gracchi antea corpus, ita Caii, mira crudelitate victorum, in Tiberim deiectum est.

VII. Hunc Tib. Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male usi, vitae mortisque habuere exitum. Qui si civilem dignitatis concupissent modum; quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset Respublica. Huic atrocitati adiectum scelus unicum. Quippe iuvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. Quem quum haruspex Tuscus, amicus, flentem in vincula duci vidisset, *Quin tu hoc potius*, inquit, *facis?* protinusque, illiso capite in postem lapideum ianuae carceris, effusoque cerebro, exspiravit. Crudelesque mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt. Sed Opimium, virum alioqui sanctum et gravem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius saevitiae, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rupilium Popilliumque, qui Coss. asperrime in Tib. Gracchi amicos saevierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit invidia. Rei tantae parum ad notitiam pertinens interponatur. Hic est Opimius, a quo Consule celeberrimum Opimiani vini nomen: quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest; quum ab eo sint ad te, M. Vinici, Consulem, anni CLI. Factum Opimii, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas: et visa ultio privato odio magis, quam publicae vindictae data.

VIII. Subinde Porcio Marcioque Coss. deducta colonia, Narbo Martius. Mandetur deinde memoria severitas iudiciorum. Quippe C. Cato Consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, quum lis eius HS. XVIII millibus aestimaretur. Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum: factaque ad consilium dirigebant, et quid, non in quantum, admissum foret, aestimabant. Circa eadem tempora duo Metelli fratres uno die triumphaverunt. Non minus clarum exemplum, et adhuc unicum Fulvii Flacci, eius qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio Consulatus fuit. Adoptivus in Acidini Manlii familiam datus. Nam censura Metellorum, patruelium, non germanorum, fratrum fuit; quod solis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri et Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus eius Minucii, qui porticus, quae hodieque celebres sunt, molitus est, e Scordiscis triumphus fuit.

IX. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, nec praetereundus Metellus Numidicus, et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius. Quorum aetati ingeni-

isque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius. Nam Q. Mucius iuris scientia, quam propriae eloquentiae nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Accii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum [Ennii]; adeo quidem, ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis. Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello, eques militaverat. Quo quidem tempore iuvenes adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis; sed opus belli civilis [socialis] Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Coelius; aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem aetate fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem.

X. Persequamur notam severitatem Censorum, Cassii Longini, Caepionisque, qui abhinc annos CLV, M. Lepidum Aemilium Augurem, quod sex millibus HS. aedes conduxisset, adesse iusserunt. At nunc, si quis tanti habitet, vix ut Senator agnoscitur: adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur. Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis, et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio, Paulli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiae familiae peculiaris quaedam, et ut clarissima, ita artata numero felicitas. Septem ante hunc, nobilissimae simplicitatis iuvenem, Cn. Domitium, fuere singuli [singulis] omnino parentibus geniti; sed omnes ad Consulatum Sacerdotiaque, ad triumph autem paene omnes pervenerunt insignia.

XI. Bellum deinde Iugurthinum gestum est per Q. Metellum, nulli secundum seculi sui. Huius Legatus fuit C. Marius, quem praediximus, natus equestri loco, hirtus atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, [insatiabilis,] impotens, semperque inquietus. Hic per publicanos, aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem, effecit, ut, quum, commeatu petito, Romam venisset, Consul crearetur, bellique paene patrati a Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum ipsi virtute cognomen Numidici inditum. Ut paulo ante Domitiae familiae, ita Caeciliae notanda claritudo est. Quippe intra XII ferme annos huius temporis Coss. fuere Metelli, aut Censores, aut triumpharunt, amplius [duodecies]; ut appareat, quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium, nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

XII. At C. Marius L. Sullam, iam tunc, ut praecaventibus fatis, copulatum sibi Quaestorem habuit, et per eum missum ad regem Bocchum, Iugurtha rege, abhinc annos ferme CXXXVIII,

potitus est. Designatusque iterum Consul in Urbem reversus, secundi Consulatus initio Kalend. Ian. eum in triumpho duxit.

Effusa, ut praediximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Caepionem Manliumque Coss. et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, et exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium Consularem, et alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, est ratus. Tum multiplicati Consulatus eius. Tertius in apparatu belli consumtus: quo anno Cn. Domitius, Tribunus plebis, legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet. Quarto, trans Alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, amplius CL millia hostium priore ac postero die ab eo trucidatis: gensque excisa Teutonum. Quinto, circa Alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse Consul, et Proconsul Q. Lutatius Catulus, fortunatissimo decertavere proelio: caesa aut capta amplius CC millia hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati Rempublicam poeniteret, ac bono malis repensasse. Sextus Consulatus veluti praemium ei meritorum datus. Non tamen huius Consulatus fraudetur gloria, quo Servilii Glauciae, Saturninique Apuleii furorem, continuatis honoribus Rempublicam lacerantium, et gladiis quoque et caede comitia discutientium, Consul armis compescuit, hominesque exitiabiles in Hostilia curia morte multavit.

XIII. Deinde interiectis paucis annis Tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, usus. Qui quum Senatui priscum restituere cuperet decus, et iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros saevierant, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant;) in iis ipsis, quae pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandae illiciendaeque multitudinis caussa fieri, ut minoribus perceptis maiora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum ejus, quam optime ab ipso cogitata, Senatus probaret magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; iniurias, quae ab illis intendebantur, aequo animo reciperet; et huius summae gloriae invideret, illorum modicam ferret.

XIV. Tum conversus Drusi animus, quando bene coepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae. Quod quum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suae cultello percussus, qui adfixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Sed quum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium moerentiumque frequentiam, effudit vocem conveniențissimam conscientiae suae: *Ecquandone*, inquit, *propinqui ami-*

*cique, similem mei civem habebit Respublica?* Hunc finem clarissimus iuvenis vitae habuit: cuius morum minime omittatur argumentum. Quum aedificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennae est; promitteretque ei architectus, *ita se eam aedificaturum, ut libera a conspectu, immunisque ab omnibus arbitris esset* [*neque quisquam in eam despicere posset*]; *Tu vero*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit.*

XV. In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id maiores, quum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocaea, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali solo, diligenter vitaverant, et cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* condita est. Mors Drusi iam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. Quippe L. Caesare et P. Rutilio Coss. abhinc annos CXX, universa Italia, quum id malum ab Asculanis ortum esset, qui Q. Servilium Praetorem, Fonteiumque legatum occiderant, ac deinde a Marsis exceptum in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum ut fortuna atrox, ita caussa fuit iustissima: petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur: *per omnes annos atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in eius civitatis ius recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium, ex quo homines eiusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset.* Id bellum amplius CCC millia iuventutis Italicae abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo praediximus, L. Sulla, anno ante Praetura functus, Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate a L. Saturnino, Tribuno plebis, quod solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, auctoritate Senatus, consensu populi Romani, restituit patrem. Nec triumphis honoribusque, quam aut caussa exilii aut exsilio aut reditu, clarior fuit Numidicus.

XVI. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Popaedius, Herius Asinius, Insteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilus. Neque ego verecundia, domestici sanguinis gloriae quidquam, dum verum refero, subtraham; quippe multum Minatii Magii, atavi mei, Aeculanensis, tribuendum est memoriae, qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque occuparet. Cuius de virtutibus quum alii, tum maxime dilucide Q. Hortensius in Annalibus suis retulit. Cuius illi [illustri] pietati plenam populus Romanus gratiam retulit; ipsum viritim civitate donando, duos filios eius creando Praetores, quum seni adhuc crearentur. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit,

ut per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur; utque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicam. Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectae sunt, Pompeio Sullaque et Mario fluentem procumbentemque Rempublicam populi Romani restituentibus.

XVII. Finito ex maxima parte, nisi quae Nolani belli manebant reliquiae, Italico bello, (quo quidem Romani victis adflictisque ipsi exarmati, quam integri integris universis civitatem dare maluerunt) Consulatum inierunt Q. Pompeius, et L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, quum familiae eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi Consulatum cogitationem habere videretur. Deinde post Praeturam illustratus bello Italico, et ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumsit, petensque Consulatum, paene omnium civium suffragiis factus est. Sed eum honorem undequinquagesimo aetatis suae anno adsecutus est.

XVIII. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus litteris, ingenti cum pollicitatione praemiorum, interimi iusserat: (quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit. Horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit: qui M.' Aquillium, aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in unius Theophanis gratiam, postea a Pompeio restituta est.) Quum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia provincia. Is, egressus Urbe, quum circa Nolam moraretur, quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut poeniteret eius fidei, quam omnium sanctissimam bello praestiterat Punico: P. Sulpicius, Tribunus plebis, disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, quum antea rectissima voluntate apud populum maximam quaesisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum; et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, C. Mario, post LXX annum, omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum. Aliasque leges perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberae civitati, tulit: quin etiam Q. Pompeii Consulis filium, eundemque Sullae generum, per emissarios factionis suae interfecit.

XIX. Tum Sulla contracto exercitu ad Urbem rediit, eamque armis occupavit: XII auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicio, Urbe exturbavit, ac lege lata exsules fecit. Sulpicium etiam adsecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulavere, caputque eius, erectum et ostentatum pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum Consulatum, annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricae, in quam se, fugiens consectantes Sullae equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium iussu Duumviri perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno eiulatu, expromente indignationem casu tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere. Tum cives ab hoste, misereri paulo ante principis viri, docti, instructum eum viatico, collataque veste, in navem imposuerunt. At ille, adsecutus circa insulam Aenariam filium, cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit: quum Marius, adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

XX. Hoc primum anno, sanguine Consulis Romani, militis imbutae manus sunt. Quippe Pompeius, collega Sullae, ab exercitu Cn. Pompeii Proconsulis, seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est. Non erat Mario, Sulpicioque, Cinna temperatior. Itaque, quum ita civitas Italiae data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. Quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in Urbem acciverat. E qua pulsus collegae optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate Senatus Consulatus ei abrogatus est, suffectusque in eius locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Haec iniuria homine, quam exemplo dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo Centurionibus ac Tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Is quum universus in verba eius iurrasset, retinens insignia Consulatus, patriae bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium: e quorum delectu CCC amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat. Opus erat partibus auctoritate, gratia: cuius augendae, C. Marium cum filio de exsilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.

XXI. Dum bellum autem infert patriae Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater (cuius praeclara opera bello Marsico, praecipue circa Picenum agrum, ut praescripsimus, usa erat Respublica, quique Asculum ceperat, circa quam urbem, quum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, V et LXX millia civium Romanorum, amplius LX millia Italicorum, una die conflixerant,) frustratus spe continuandi Consulatus, ita se dubium mediumque partibus praestitit, ut omnia ex proprio

usu ageret, temporibusque insidiari videretur, et huc atque illuc, unde spes maior affulsisset potentiae, se exercitumque dellecteret. Sed ad ultimum magno atrocique proelio cum Cinna conflixit. Cuius commissi patratique sub ipsis moenibus oculisque urbis Romanae, pugnantibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, quum utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit. Cuius interitus voluptas, amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est: populusque Romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duae, seu tres Pompeiorum fuere familiae, primus eius nominis, ante annos fere CLXVII, Q. Pompeius cum Cn. Servilio Consul fuit. Cinna et Marius, haud incruentis utrimque certaminibus editis, Urbem occupaverunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit.

XXII. Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta: neque licentia in mediocres saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis supplicio-rum generibus affecti. In iis Consul Octavius, vir lenissimi animi, iussu Cinnae interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnae Consulatu abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos saepe pro salute Reipublicae flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exsecrationem Cinnae partiumque eius tum precatus, optime de Republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, conclusit se loco, nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant praecipitia in Republica: nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut saevitiae caussam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur; et qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces; nec quidquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.

XXIII. Secundum deinde Consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit. Cuius initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua *creditoribus quadrantem solvi* iusserat: cuius facti merita eum poena intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis praefectis circa Athenas Boeotiamque et Macedoniam ita dimicavit, ut et Athenas reciperet,

et plurimo circa multiplices Piraeei portus munitiones labore expleto, amplius CC millia hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimium veri vetustatisque ignarus est. Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quidquid sincera fide gereretur, id Romani, Attica fieri, praedicarent. Ceterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimae conditionis, quum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, et animos extra moenia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ante omnia supplicemque Mithridatem invenit. Quem multatum pecunia ac parte navium, Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit; captivos recepit; in perfugas noxiosque animadvertit; paternis, id est Ponticis finibus contentum esse iussit.

XXIV. [At] C. Flavius Fimbria, qui Praefectus equitum ante adventum Sullae, Valerium Flaccum, Consularem virum, interfecerat, exercituque occupato Imperator appellatus, forte Mithridatem pepulerat proelio, sub adventum Sullae se ipse interemit; adolescens, quae pessime ausus erat, fortiter executus. Eodem anno P. Laenas, Tribunus plebis, Sex. Lucilium, qui priore anno Tribunus plebis fuerat, saxo Tarpeio deiecit; et quum collegae eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, quum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum venissent, et in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, *coelestem eius vitam et memoriam futuram*, revectus in Italiam, haud plura quam XXX armatorum millia adversum CC millia amplius hostium exposuit Brundisii. Vix quidquam in Sullae operibus clarius duxerim, quam quod, quum per triennium Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec, quod erat in manibus, omisit; existimavitque ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem; repulsoque externo metu, ubi, quod alienum esset, vicisset, superavit, quod erat domesticum. Ante adventum L. Sullae, Cinna, seditione orta, ab exercitu interemtus est: vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum. De quo vere dici potest, ausum eum, quae nemo auderet bonus, perfecisse, quae a nullo nisi fortissimo perfici possent, et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno Consul fuit.

XXV. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam; tentavitque iustis legibus et aequis conditionibus bellum componere: sed iis, quibus et pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullae exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo. Felici deinde circa

Capuam eventu Scipionem Norbanumque Coss. superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est. Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vinceret, iustissimo lenior; post victoriam audito fuerit crudelior. Nam et Consulem, ut praediximus, exarmatum, Q. Sertorium, proh quanti mox belli facem! et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. Post victoriam, qua defendens [descendens] montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, et agros omnes addixit Deae. Huius gratae religionis memoriam et inscriptio templi adfixa posti hodieque, et tabula testatur aerea intra aedem.

XXVI. Inde Coss. Carbo III, et C. Marius, septies Consulis filius, annos natus XXVI, vir animi magis, quam aevi paterni, multa fortiterque molitus, neque usquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus a Sulla acie, Praeneste, quod ante, natura munitum, praesidiis firmaverat, se exercitumque contulit. Et ne quid usquam malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus; optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus. Quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus Praetor Domitium, Scaevolam etiam, Pontificem Maximum et divini humanique iuris auctorem celeberrimum, et C. Carbonem praetorium, Consulis fratrem, et Antistium aedilitium, velut faventes Sullae partibus, in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antistii, quae iugulato, ut praediximus, viro, gladio se ipsa transfixit. Quantum huius gloriae famaeque accessit! nunc virtute eminet, patria latet.

XXVII. At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir animi bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter XL millibus fortissimae pertinacissimaeque in retinendis armis iuventutis, Carbone ac Mario Coss. abhinc annos CXI, Kalendis Novembribus, ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et Rempublicam perduceret. Quae non maius periculum adiit, Hannibalis intra tertium milliarium castra conspicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque, *adesse Romanis ultimum diem*, vociferabatur, *eruendam delendamque Urbem*; adiiciens, *numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.* Post primam demum horam noctis et Romana acies respiravit, et hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum praeferens: cuius abscisum caput ferri gestariique circa Praeneste Sulla iussit. Tum demum desperatis rebus suis, C. Marius adolescens per cuniculos, qui miro opere fabricati in diversas agrorum partes ferunt, conatus erumpere, quum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemtus est. Sunt, qui sua manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fra-

tre Telesini, una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint. Utcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur eius memoria. De quo iuvenc quid existimaverit Sulla, in promtu est. Occiso enim demum eo, Felicis nomen adsumsit: quod quidem usurpasset iustissime, si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem Praenestis ac Marii praefuerat Ofella Lucretius; qui quum ante Marianarum fuisset partium Praetor, ad Sullam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, qui sub eius nomine [Sullanae victoriae] celebrantur.

XXVIII. Paulo ante quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis proeliis partium eius viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam. Videbantur finita belli civilis mala, quum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe Dictator creatus, (cuius honoris usurpatio per annos CXX intermissa; nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat, [fuit]; uti appareat, populum Romanum usum dictatoris haud metu desiderasse, sed Sultae Cos. timuisse potestatem;) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis Remp. usi erant, eo in immodicae crudelitatis licentiam usus est. Primus ille, et utinam ultimus! exemplum proscriptionis invenit, ut, in qua civitate petulantis convicii iudicium histrioni exacto [ex alto] redditur, in ea iugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret praemium; fieretque quisque merces mortis suae. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes saevitum. Adiectum etiam, *ut bona proscriptorum venirent: exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum bonorum iure prohiberentur: simulque*, quod indignissimum est, *senatorum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent.*

XXIX. Sub adventum in Italiam L. Sullae, Cn. Pompeius, (eius Cn. Pompeii filius, quem magnificentissimas res in Consulatu gessisse bello Marsico praediximus,) XXIII annos natus, abhinc annos CXIII, privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit exercitum. Cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque, quae in illam conveniens amplitudinem fortunamque, eum ad ultimum vitae comitata est diem; innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius; potentiae, quae honoris caussa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissimus; civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione

facillimus; potentia sua numquam aut raro ad impotentiam usus; paene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium, indignari, quum omnes cives iure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere. Hic a toga virili adsuetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia coluerat: ita ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

(*Plurima deesse videntur, quae de Sertorio et bello Sertoriano scripsisse auctorem verisimile est.*)

XXX. Tum M. Perperna, Praetorius, e proscriptis, gentis clarioris, quam animi, Sertorium inter coenam Oscae interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. Metellus et Pompeius ex Hispanis triumphaverunt: sed Pompeius hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam Consulatum iniret, curru Urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summam fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Caesaris in altero Consulatu petendo, Senatum populumque Romanum rationem habere? Adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere et invidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem personasque dirigere. Hoc Consulatu Pompeius Tribunitiam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem sine re [inanem] reliquerat.

Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, LXIV fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere; mox crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus affecere Italiam. Quorum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie, XL millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Huius patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox Reipublicae omnium principem.

XXXI. Converterat Cn. Pompeii persona totum in se terrarum orbem, et per omnia maiore vi habebatur. Qui quum Consul perquam laudabiliter iurasset, se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum, idque servasset: post biennium A. Gabinius Tribunus legem tulit, ut, quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, iam non furtivis expeditionibus, piratae terrerent, quasdamque etiam Italiae urbes diripuissent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; esseteque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum Proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari. Quo Senatusconsulto paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonio Praetore decretum erat. Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. Id in Antonio homines aequo animo passi erant: raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contra in iis hominès extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri aut retenturi videntur, et

modum in voluntate habent. Dissuadebant optimates; sed consilia impetu victa sunt.

XXXII. Digna est memoria Q. Catuli quum auctoritas, tum verecundia: qui quum dissuadens legem in concione dixisset, *esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae Reipublicae, neque omnia in uno reponenda*: adiecissetque, *si quid huic acciderit, quem in eius locum substituitis?* succlamavit universa concio, *Te Q. Catule.* Tum ille victus consensu omnium, et tam honorifico civitatis testimonio e concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi iustitiam mirari libet: huius, quod non ultra contendit; plebis, quod dissuadentem et adversarium voluntatis suae vero testimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sulla ab illis ad Senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est; Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompeius, multis et praeclaris viris in id bellum adsumtis, descriptoque in omnes recessus maris praesidio navium, brevi, inexsuperabili manu, terrarum orbem liberavit; praedonesque per multa maria multis locis victos, circa Ciliciam classe adgressus fudit ac fugavit. Et quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque a mari loco, in certa sede constituit. Sunt, qui hoc carpant. Sed quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret. Data enim facultate siue rapto vivendi, rapinis arcuit.

XXXIII. Quum esset in fine bellum Mithridaticum, et L. Lucullus, qui ante septem annos ex Consulatu sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatem saepe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem, regum maximum, in Armenia vicerat, ultimamque bello manum paene magis noluerat imponere, quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, et bello paene invictus, pecuniae expellebatur cupidine, idem bellum adhuc administraret; Manilius, Tribunus plebis, semper venalis, et alienae minister potentiae, legem dulit: *ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur.* Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores iurgiis: quum Pompeius Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem obiiceret imperii; neuterque ab eo, qui arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, ut primum ad Rempublicam adgressus est, quemquam animo parem tulit; et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat; neque eo viro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo; et quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. Et Lucullus, summus alioqui vir, profusae huius in aedificiis convictibusque et apparatibus luxuriae primus auctor fuit. Quem ob iniectas moles mari, et receptum suffossis montibus

in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius *Xerxen togatum* vocare adsueverat.

XXXIV. Per id tempus a Q. Metello Creta insula in populi Romani potestatem redacta est. Quae ducibus Panare et Lasthene, XXIV millibus iuvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab huius quidem usura gloriae temperavit animum Cn. Pompeius, quin victoriae partem conaretur vindicare. Sed et Lucullí et Metelli triumphum quum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem.

Per haec tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae, et ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, Consul, Sergii Catilinae Lentulique et Cethegi et aliorum utriusque ordinis virorum coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque aperuit. Catilina metu consularis imperii Urbe pulsus est: Lentulus, Consularis et Praetor iterum, Cethegusque, et alii clari nominis viri, auctore Senatu, iussu Consulis in carcere necati sunt.

XXXV. Ille Senatus dies, quo haec acta sunt, virtutem M. Catonis, iam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, in altissimo luminavit. Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiae Porciae, homo virtuti consimillimus, et per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior; qui numquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Hic Tribunus plebis designatus, adhuc admodum adolescens, quum alii suaderent, ut per municipia Lentulus coniuratique custodirentur, paene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, et ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consilii suspectam fecit; sic impendentia ex ruinis incendiisque Urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita Consulis virtutem amplificavit, ut universus Senatus in eius sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, censeret; maiorque pars ordinis eius Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segnius conata obiit, quam sceleris conandi consilia inierat: quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, proelio reddidit.

XXXVI. Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus, abhinc annos LXXXII, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. Iam paene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium; anteque Crassum, Catonem, Sulpicium; moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum, et proximum Ciceroni Caesarem; eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asinium, aemulumque Thucydidis Sallustium; auctoresque carminum Varronem ac Lucre-

tium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum. Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio; inter quae maxime nostri aevi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consecutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui. Nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

XXXVII. Dum haec in Urbe Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires reparaverat, bellum gessit. At rex fusus fugatusque et omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque socerum petit, regem eius temporis, nisi qua Luculli armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad Pompeium: mox ipse supplex et praesens, se regnumque ditioni eius permisit, praefatus, *neminem alium, neque Romanum neque ullius gentis virum, futurum fuisse, cuius se societati commissurus foret, quam Cn. Pompeium: proinde omnem sibi vel adversam vel secundam, cuius auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram; non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas; neque ei inhoneste aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset.* Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia: quae omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in Quaestoris potestatem, ac publicis descripta litteris. Syria aliaeque, quas occupaverat, provinciae ereptae; et aliae restitutae populo Romano, aliae tum primum in eius potestatem redactae, ut Syria, quae facta est stipendiaria. Finis imperii regii terminatus Armenia.

XXXVIII. Haud absurdum videtur propositi operis regulae, paucis percurrere, quae cuiusque ductu gens ac natio, redacta in formulam provinciae, stipendiaria facta sit; ut facilius, quae partibus notavimus, simul universa conspici possint. Primus in Siciliam traiecit exercitum Consul Claudius, et provinciam eam, post annos ferme LII, captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. Primus Africam Regulus, nono ferme anno primi Punici belli: sed post CIX annos P. Scipio Aemilianus, erata Carthagine, abhinc annos CLXXV Africam in formulam redegit provinciae. Sardinia inter primum et secundum bellum Punicum, ductu T. Manlii Consulis recepit imperii iugum. Immane bellicae civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio Consule, tertium Augusto principe, certae pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit. In Hispanias primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos CCL. Inde varie possessa, et saepe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est. Macedoniam Paullus, Mummius Achaiam, Fulvius Nobilior subegit Aetoliam; Asiam, L. Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho: sed beneficio Senatus populique Romani mox ab Attalis possessam regibus, M. Perperna, capto Aristonico fecit tributariam. Cypri devictae nulli assignanda gloria est. Quippe Senatusconsulto, ministerio Catonis, regis morte, quam illi conscientia acciverat, facta provincia est. Creta Metelli ductu

longissimae libertatis fine multata est. Syria Pontusque Cn. Pompeii virtutis monumenta sunt.

XXXIX. Gallias primum a Domitio [et] Fabio, nepote Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra saepe et adfectavimus et amisimus. Sed fulgentissimum C. Caesaris opus in iis conspicitur: quippe eius ductu auspiciisque infractae, paene idem, quod totus terrarum orbis, in aerarium conferunt stipendium. Stipendiaria ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus, et post bellum Antiochinum Cn. Vulso Manlius Gallo-Graeciam. Bithynia, ut praediximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria. Divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, paene idem, facta Aegypto stipendiaria, quantum pater eius Gallia, in aerarium reditus contulit. At Ti. Caesar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat parens, [parem] Illyriis Dalmatisque extorsit. Rhaetiam autem et Vindelicos ac Noricos, Pannoniamque et Scordiscos, novas imperio nostro subiunxit provincias. Ut has armis, ita auctoritate Cappadociam populo Romano fecit stipendiariam. Sed revertamur ad ordinem.

XL. Secuta deinde Cn. Pompeii militia, gloriae laborisne maioris, incertum est. Penetratae cum victoria Media, Albania, Iberia; deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque et Achaeos. Et oppressus auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis. Mithridates, ultimus omnium iuris sui regum, praeter Parthicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque et civium voto maior, et per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam. Cuius reditum favorabilem opinio fecerat. Quippe plerique non sine exercitu venturum in Urbem adfirmabant, et libertati publicae statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior civilis tanti imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundisii dimisso exercitu, nihil praeter nomen Imperatoris retinens, cum privato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in Urbem rediit: magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum; longeque maiorem omni ante se illata pecunia in aerarium, [praeter quanta spolia,] ex manubiis intulit. Absente Cn. Pompeio, T. Ampius et T. Labienus, Tribuni plebis, legem tulerunt, ut in ludis Circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque aurea. Id ille non plus quam semel, et hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet; et quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae. Numquam eminentia invidia carent. Itaque et Lucullus, memor tamen acceptae iniuriae, et Metellus Creticus, non iniuste querens (quippe ornamentum triumphi eius, captivos duces, Pompeius subduxerat), et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut

promissa civitatibus a Pompeio, aut bene meritis praemia, ad arbitrium eius persolverentur.

XLI. Secutus deinde est Consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum iniicit, et quamlibet festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur; quum fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus, atque idem Cinnae gener (cuius filiam ut repudiaret, nullo metu compelli potuit: quum M. Piso Consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam), habuissetque fere XIIX annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullae adiutoribusque partium, quam ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste, dissimilemque fortunae suae indutus habitum, nocte Urbe elapsus est. Idem postea admodum iuvenis, quum a piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab his retentus est, apud eos gesit, ut pariter his terrori venerationique esset, neque umquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur, aut discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

XLII. Longum est narrare, quid et quoties ausus sit, quanto opere conata eius, qui obtinebat Asiam, magistratus proventu suo destituerit. Illud referatur documentum tanti mox evasuri viri. Quae nox eam diem secuta est, qua publica civitatum pecunia redemtus est, (ita tamen, ut cogeret ante obsides a piratis civitatibus dari,) contracta classe, et privata et tumultuaria, invectus in eum locum, in quo ipsi praedones erant, partem classis fugavit, partem mersit, aliquot naves multosque mortales cepit: laetusque nocturnae expeditionis, triumpho ad suos reversus est; mandatisque custodiae, quos ceperat, in Bithynia, perrexit ad Proconsulem Iunium, (tum idem enim Asiam eam quoque obtinebat) petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii. Quod quum ille se facturum negasset, venditurumque captivos dixisset (quippe sequebatur invidia inertiam); incredibili celeritate revectus ad mare, priusquam de ea re ulli Proconsulis redderentur epistolae, omnes, quos ceperat, suffixit cruci.

XLIII. Idem mox ad Sacerdotium ineundum (quippe absens Pontifex factus erat in Cottae Consularis locum, quum, paene puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id Sacerdotium,) festinans in Italiam, ne conspiceretur a praedonibus, omnia tunc obtinentibus maria et merito iam infestis sibi, quatuor scalmorum navem, una cum duobus amicis decemque servis in-

gressus, effusissimum Hadriatici maris traiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, quum exuisset vestem alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunae parans, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antennarum praebuisse imaginem. Reliqua eius acta in Urbe, nobilissimaque Dolabellae accusatio, et maior civitatis in eo favor, quam reis praestari solet; contentionesque civiles cum Q. Catulo, atque aliis eminentissimis viris, celeberrimae; et ante Praeturam victus Maximi Pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione Senatus princeps; et restituta in Aedilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii; simulque revocati ad ius dignitatis proscriptorum liberi; et Praetura, Quaesturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, (quum esset Quaestor sub Vetere Antistio, avo huius Veteris Consularis atque Pontificis, duorum Consularium et Sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest); quo notiora sunt, minus egent stilo.

XLIV. Hoc igitur Consule inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae Urbi orbique terrarum, nec minus diverso quoque tempore ipsis, exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius caussam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis (quibus, ut praediximus, multi obtrectabant,) per Caesarem confirmarentur Consulem: Caesar autem, quod animadvertebat, se cedendo Pompeii gloriae acturum suam, et, invidia communis potentiae in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Caesaris. Affinitas etiam inter Caesarem Pompeiumque contracta nuptiis: quippe filiam C. Caesaris Cn. Magnus duxit uxorem. In hoc Consulatu Caesar legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter XX millia civium eo deducta, et ius civitatis restitutum post annos circiter CLII, quam bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat. Bibulus, collega Caesaris, quum actiones eius magis vellet impedire, quam posset, maiore parte anni domi se tenuit. Quo facto dum augere vult invidiam collegae, auxit potentiam. Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae.

XLV. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti reus ob initum inter religiosissima populi Romani sacra adulterium; quum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) et a patribus ad plebem transiret, legem in Tribunatu tulit: *Qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur.* Quibus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir optime meritus de Republica conservatae patriae pretium calamitatem exsilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod

inter XX viros dividendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium sera Cn. Pompeii cura, verum, ut cupiit, intenta, votisque Italiae ac decretis Senatus, virtute atque actione Annii Milonis, Tribuni plebis, dignitati patriaeque restitutus est. Neque post Numidici exsilium aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est laetius. Cuius domus, quam infeste a Clodio disiecta erat, tam speciose a Senatu restituta est. Idem P. Clodius [in Senatu] sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a Republica relegavit. Quippe legem tulit, *ut is Quaestor cum iure praetorio, adiecto etiam Quaestore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemaeum*, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed ille, sub adventum Catonis, vitae suae vim intulit: unde pecuniam longe sperata maiorem Cato Romam retulit. Cuius integritatem laudari, nefas est: insolentia paene argui potest, quod una cum Coss. ac Senatu effusa civitate obviam, quum per Tiberim subiret navibus, non ante iis egressus est, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

XLVI. Quum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Caesar in Gallia ageret; nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque caesis et captis hostium millibus, etiam in Britanniam trajecisset exercitum, alterum paene imperio nostro ac suo quaerens orbem: invictum par Consulum, Cn. Pompeius et M. Crassus, alterum iniere Consulatum; qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. Caesari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatae in idem spatium temporis provinciae: Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. Qui vir, cetera sanctissimus immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus, Tribuni plebis frustra retinere conati. Quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo valuissent, utile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset Reipublicae. Transgressum Euphraten Crassum petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes una cum parte maiore Romani exercitus interemit. Reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum Quaestor, conservavit; Syriamque adeo in populi Romani potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu, fugaret ac funderet.

XLVII. Per haec, insequentiaque, et quae praediximus tempora, amplius CCCC milia hostium a C. Caesare caesa sunt, plura capta. Pugnatum saepe directa acie, saepe in agminibus, saepe eruptionibus; bis penetrata Britannia. Novem denique aestatibus vix ulla non iustissimus triumphus est emeritus. Circa Alesiam vero tantae res gestae, quantas audere vix hominis, perficere, paene nullius, nisi Dei, fuerit. Septimo ferme anno Caesar morabatur in Galliis, quum medium iam, ex unitate potentiae ac familiae cohaerentis, inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus, Iulia, uxor Magni, decessit; atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius

quoque parvus Pompeii, Iulia natus, intra breve spatium obiit. Tum in gladios caedesque civium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur nec modus, tertius Consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium antea dignitati eius iudicio, delatus est. Cujus ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime a C. Caesare alienatus est. Sed eius Consulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit.

Quo tempore P. Clodius a Milone, candidato Consulatus, exemplo inutiliter facto salutari Reipublicae, circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, iugulatus est. Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas. Quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia. Qui si maturius tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum, probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior Reipublicae, neque bonis inimicior vixerat.

XLVIII. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia: quum iustissimus quisque et a Caesare et a Pompeio vellet dimitti exercitus. Quippe Pompeius in secundo Consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac praesidens Urbi, per Afranium et Petreium, Consularem ac Praetorium, Legatos suos, administrabat; et iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur; iis, qui ab ipso quoque, adversabatur. Qui si ante biennium, quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri et aliorum operum, quae ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania, (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute eius, primi omnium civium, suscepit;) defuisset fortunae destruendi eius locus, et quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. Bello autem civili, et tot, quae deinde per continuos XX annos consecuta sunt, malis, non alius maiorem flagrantioremque, quam C. Curio, Tribunus plebis, subiecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico; cuius animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro Republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. Id gratis, an accepto centies HS fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum saluberrimas et coalescentis conditiones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat, et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiae publicae. Harum praeteritarumque rerum ordo quum iustius aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.

XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur; si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque et Hortensio: qui quum sine invidia in Republica floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta, aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.

Lentulo et Marcello Coss. post Urbem conditam annis DCCV,

et ante LXXVIII, quam tu, M. Vinici, Consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis caussa melior videbatur: alterius erat firmior. Ille omnia speciosa: illic valentia. Pompeium Senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia. Consules Senatusque caussae, non Pompeio, summam imperii detulerunt. Nihil relictum a Caesare, quod servandae pacis caussa tentari posset; nihil receptum a Pompeianis, quum alter Consul iusto esset ferocior, Lentulus vero salva Republica salvus esse non posset; M. autem Cato *moriendum ante, quam ullam conditionem eius accipiendam Reipublicae*, contenderet; vir antiquus et gravis Pompeii partes laudaret magis, quam prudens sequeretur Caesaris; et illa gloriosa, haec terribiliora duceret. Ut deinde, spretis omnibus, quae Caesar postulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciae, privatus in Urbem veniret, et se in petitione Consulatus suffragiis populi Romani committeret, decrevere: ratus bellandum Caesar, cum exercitu Rubiconem transiit. Cn. Pompeius Consulesque et maior pars Senatus, relicta Urbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium.

L. At Caesar Domitio legionibusque Corfinii, quae una cum eo fuerant, potitus, duce aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium, ita ut appareret, malle, integris rebus et conditionibus, finire bellum, quam opprimere fugientes, quum transgressos reperisset Consules, in Urbem revertit: redditaque ratione consiliorum suorum in Senatu et in concione, ac miserrimae necessitudinis, quum alienis armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem itineris eius aliquamdiu morata Massilia est, fide melior, quam consilio prudentior: intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus hi se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio Consulari ac Petreio Praetorio fuerat, ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus, se Caesari tradidit. Uterque Legatorum, et quisquis cuiusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium.

LI. Proximo anno, quum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio castris Pompeii teneretur, (qui accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque, tetrarcharum, simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, et mare praesidiis classium, ut rebatur, sepserat, quo minus Caesar legiones posset transmittere) sua et celeritate et fortuna C. Caesar usus, nihil in mora habuit, quo minus eo, quum vellet, ipse exercitusque classibus perveniret, et primo paene castris Pompeii sua iungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quam obsessis, erat gravior. Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, saepiusque cum Lentulo collocutus Consule, dubitante, quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniensis natus, sed Hispanus in triumphum et Pontificatum adsurgeret, fieretque ex privato Consul. Variatum deinde proeliis,

sed uno longe magis Pompeianis prospero, quo graviter impulsi sunt Caesaris milites. Tum Caesar cum exercitu fatalem victoriae suae Thessaliam petiit.

LII. Pompeius, (longe diversa aliis suadentibus, quorum plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret; neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit: alii, ut bellum traheret, quod dignatione partium in dies ipsis magis prosperum fieret) usus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam, et illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, et collisa inter se duo Reipublicae capita, effossumque alterum Romani imperii lumen, tot talesque Pompeianarum partium caesos viros, non recipit enarranda hic scripturae modus. Illud notandum est: ut primum C. Caesar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quidquam habuit, quam in omnes partes (ut militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret. Pro Dii immortales! quod huius voluntatis erga Brutum suae postea vir tam mitis pretium tulit! Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem, nisi acie consumtum, civem patria desideravit: sed munus misericordiae corrupit pertinacia; quum libentius vitam victor iam daret, quam victi acciperent.

LIII. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis Consularibus, Sextoque filio, et Favonio Praetorio, quos comites ei fortuna aggregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, in qua fidelissimum partium suarum haberet regem Iubam, suadentibus, Aegyptum petere proposuit; memor beneficiorum, quae in patrem eius Ptolemaei, qui tum puero quam iuveni propior regnabat Alexandriae, contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam, aut quando Fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam a Mytilenis Corneliam uxorem receptam in navem, fugae comitem habere coeperat) consilio Theodoti et Achillae exciperent, hortarentur, ut ex oneraria in eam navem, quae obviam processerat, transcenderet. Quod quum fecisset, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Aegyptii mancipii, C. Caesare, P. Servilio Coss. iugulatus est. Hic post tres Consulatus et totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac praestantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitae fuit exitus: in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in aetate tanti et paene nostri seculi viri fefellit quinquennium? quum a C. Atilio et Q. Servilio Coss. tam facilis esset annorum digestio. Quod adieci, non ut arguerem, sed ne arguerer.

LIV. Non fuit maior in Caesarem, quam in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. Quippe quum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum, alteri superstiti, meritas poenas luere supplicüis. Nusquam erat Pompeius

corpore, adhuc ubique vivebat nomine: quippe ingens partium eius favor bellum excitaverat Africum. Quod ciebat rex Iuba et Scipio, vir Consularis, ante biennium, quam exstingueretur Pompeius, lectus ab eo socer. Eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, quum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit.

LV. Admonet promissae brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Caesar, perveçtus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus. Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua: inclinataeque hostium copiae. Nec dissimilis ibi adversus victos, quam in priores, clementia Caesaris fuit. Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriae eius adstruxit,) quod Cn. Pompeius, Magni filius, adolescens, impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat: undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est: sed nullum umquam atrocius periculosiusque ab eo initum proelium, adeo ut, plus quam dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denunciaret militibus, *vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem et quo loco Imperatorem deserturi forent.* Verecundia magis quam virtute, acies restituta est a duce, quam a milite, fortius. Cn. Pompeius, gravis vulnere, inventus inter solitudines avias, interemtus est. Labienum Varumque acies abstulit.

LVI. Caesar omnium victor, regressus in Urbem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit; et magnificentissimis gladiatorii muneris, naumachiae, et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit. Pecunia ex manubiis lata paulo amplius sexies millies HS. Neque illi tanto viro, et tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit. Quippe quum mense Octobri in Urbem revertisset, Idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto et Cassio, quorum alterum promittendo Consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat; adiectis etiam consiliariis caedis familiarissimis omnium et fortuna partium eius in summum evectis fastigium, D. Bruto et C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemtus est. Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, Consulatus collega, imponendo capiti eius, Lupercalibus sedentis pro Rostris, insigne regium; quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.

LVII. Laudandum experientia consilium est Pansae atque Hirtii, qui semper praedixerant Caesari, *ut principatum armis quaesitum armis teneret.* Ille dictitans, *mori se, quam timere*

*malle*, dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est; quum quidem plurima praesagia atque indicia Dii immortales futuri obtulissent periculi. Nam et haruspices praemonuerant, *ut diligentissime Iduum Martiarum caveret diem*; et uxor Calpurnia territa nocturno visu, *ut ea die domi subsisteret*, orabat; et libelli coniurationem nuntiantes, dati ab obvio, neque protinus lecti erant. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

LVIII. Quo anno id patravere facinus M. Brutus et C. Cassius, Praetores erant; D. Brutus Consul designatus. Hi una cum coniurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere, quum Consul Antonius (quem quum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Caesaris abolendum, Brutus repugnaverat; dictitans: *nihil amplius civibus praeter tyranni*, ita enim appellari Caesarem facto eius expediebat, *petendum esse sanguinem*,) convocato Senatu, quum iam Dolabella, quem substituturus sibi Caesar designaverat Consulem, fasces atque insignia corripuisset Consularia, velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit. Et illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis praeteritarum rerum, decreto Patrum comprobatum est.

LIX. Caesaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octavium, nepotem sororis suae Iuliae, adoptabat. De cuius origine, etiamsi praenitet, pauca dicenda sunt. Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic Praetor inter nobilissimos viros creatus, primo loco, quum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea Imperator, decedens ad petitionem Consulatus obiit, praetextato relicto filio. Quem C. Caesar, maior eius avunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit ut suum, natumque annos XVII, Hispaniensis militiae, adsecutum se, postea comitem habuit, numquam aut alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo: Pontificatusque sacerdotio puerum honoravit. Et patratis bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolis iuvenem, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut est nuntiatum de caede avunculi, quum protinus ex vicinis legionibus Centuriones suam suorumque militum operam ei pollicerentur, neque eam spernendam Salvidienus et Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in Urbem, omnem ordinem ac rationem et necis et testamenti Brundisii comperit. Cui, adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia; et quum intraret Urbem, Solis orbis [super caput eius] curvatus aequaliter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

LX. Non placebat Atiae matri, Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosae fortunae Caesaris: sed asserebant salutaria

Reipublicae terrarumque orbi fata conditorem conservatoremque Romani nominis. Sprevit itaque coelestis animus humana consilia; et cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi, maluitque avunculo et Caesari de se, quam vitrico credere; dictitans, *nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus, semetipsum sibi videri indignum.* Hunc protinus Antonius Consul superbe excipit; (neque is erat contemtus, sed metus;) vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit: mox etiam, velut insidiis eius petitus, sceleste insimulare coepit; in quo turpiter deprehensa eius vanitas est. Aperte deinde Antonii ac Dolabellae Consulum ad nefandam dominationem erupit furor. HS. septies millies, depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio: actorum eiusdem, insertis falsis, civitatibusque * * * corrupti commentarii: atque omnia pretio tentata, vendente Rempublicam Consule. Idem provinciam D. Bruto designato Consuli decretam, Galliam occupare statuit: Dolabella transmarinas decrevit sibi. Interque naturaliter dissimillimos, ac diversa volentes crescebat odium: eoque C. Caesar iuvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.

LXI. Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas; indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat: quum C. Caesar, XIX. annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, maiorem Senatu pro Republica animum habuit. Primumque a Calatia, mox a Casilino, veteranos excivit paternos: quorum exemplum secuti alii, brevi in formam iusti coiere exercitus. Mox quum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmariuis provinciis Brundisium venire iusserat, legio Martia et Quarta, cognita et Senatus voluntate et tanti iuvenis indole, sublatis signis ad Caesarem se contulerunt. Eum Senatus, honoratum equestri statua, quae hodieque in Rostris posita aetatem eius scriptura indicat, (qui honor non alii, per CCC annos, quam L. Sullae et Cn. Pompeio et C. Caesari contigerat) pro Praetore, una cum Coss. disignatis Hirtio et Pansa, bellum cum Antonio gerere iussit. Id ab eo annum agente vicesimum, fortissime circa Mutinam administratum est: et D. Brutus obsidione liberatus: Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam: Consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit.

LXII. Omnia ante quam fugaretur Antonius, honorifice a Senatu in Caesarem exercitumque eius decreta sunt, maxime auctore Cicerone; sed, ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciae, quas iam ipsi sine ullo S. C. occupaverant, decretae. Laudati quicumque his [se] exercitus tradidissent. Omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. Quippe M. Brutus et C. Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc ad augendam eius invidiam, simulantes se metuere, testati edictis, *libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dum Respublica constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui*, profecti Urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate pu-

blica, provincias exercitusque occupaverant, et *ubicumque ipsi essent*, praetexentes, *esse Rempublicam*, pecunias etiam, quae ex transmarinis provinciis Romam ab Quaestoribus deportabantur, a volentibus acceperant. Quae omnia Senatus decretis comprehensa et comprobata sunt. Et D. Bruto, quod alieno beneficio viveret, decretus triumphus: Pansae atque Hirtii corpora publica sepultura honorata: Caesaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur, summoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus. Nam, quum eam iniuriam dissimulando Caesar ferret, negavere milites, *sine Imperatore suo ulla se aduituros mandata*. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, *Caesarem laudandum et tollendum* censebat; quum aliud diceret, aliud intelligi vellet.

LXIII. Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo per colloquia repulsus a M. Lepido, qui Pontifex Maximus in C. Caesaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur, mox saepius in conspectum veniens militum, (quum et Lepido omnes imperatores forent meliores, et multis Antonius, dum erat sobrius,) per aversa castrorum, proruto vallo, militibus receptus est: qui titulo imperii cedebat Lepido, quum summa virium penes eum foret. Sub Antonii ingressum in castra Iuventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus, quum acerrime suasisset Lepido, *ne se cum Antonio, hoste iudicato, iungeret*, irritus consilii, gladio se ipse transfixit. Plancus deinde dubia, id est, sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor D. Bruti, designati Consulis, collegae sui, Senatuique se literis venditans, mox eiusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus proposito, et Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus; uterque exercitus tradidere Antonio.

LXIV. D. Brutus, desertus primo a Planco, post etiam insidiis eiusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hospitis cuiusdam, nobilis viri, nomine Camilli, domo, ab iis, quos miserat Antonius, iugulatus est; iustissimasque optime de se merito viro C. Caesari poenas dedit. Cuius quum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, et fortunae, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat: censebatque aequum, quae acceperat a Caesare, retinere; Caesarem, quia illa dederat, perisse. Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas. Sed hic fulgentissimo et coelesti ore; at Tribunus Canutius canina rabie lacerabat Antonium. Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed Tribuni sanguine commissa proscriptio; Ciceronis, velut satiato Antonio poena, finita. Lepidus deinde a Senatu hostis iudicatus est, ut ante fuerat Antonius.

LXV. Tum inter eum, Caesaremque et Antonium commercia epistolarum; et conditionum facta mentio. Quum Antonius subinde Caesarem admoneret, et quam inimicae ipsi Pompeianae partes forent, et in quod iam emersissent fastigium, et quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur; denunciaret-

que, *se cum Bruto Cassioque, qui iam decem et septem legionum potentes erant, iuncturum vires suas, si Caesar eius aspernaretur concordiam*, diceretque: *plus Caesarem patris, quam se amici ultioni debere*: tum inita potentiae societas. Et hortantibus orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam et Caesarem facta affinitas; quum esset privigna Antonii desponsa Caesari. Consulatumque iniit Caesar pridie, quam viginti annos impleret X. Kalend. Octobres, cum collega Q. Pedio, post U. C. annis DCCIX, ante LXXII quam tu, M. Vinici, Consulatum inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam Urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in ea Consularem praetextam iungentem Praetoria. Idem hic postea triumphavit.

LXVI. Furente deinde Antonio, simulque Lepido, quorum uterque, ut praediximus, hostes iudicati erant, quum ambo mallent, sibi nuntiari, quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Caesare, sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est. Abscisaque scelere Antonii vox publica est, quum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos publicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio:) nihil, inquam, egisti, mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam Reipublicae tantique Consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te Triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam. Dumque hoc vel forte vel providentia vel utcumque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume: comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur; tuum in eum factum exsecrabitur; citiusque in mundo genus hominum, quam ille cadet.

LXVII. Huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam: adeo difficilis est hominibus utcumque conceptae spei mora. Ne quid ullibi sanctum relinqueretur, velut in dotem invitamentumque sceleris, Antonius L. Caesarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater eius Plancus Plotius proscriberetur. Eoque inter iocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, et inter exsecrationem civium, usurpabant hunc versum:

*De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Consules.*

LXVIII. Suo praeteritum loco referatur; neque enim persona umbram actae rei capit. Dum in acie Pharsalica [Africaque] de

summa rerum Caesar dimicat, M. Caelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, quum ne modico quidem servari posset, (quippe peior illi res familiaris quam mens erat,) in Praetura novarum tabularum auctor exstitit; nequiitque Senatus et auctoritate Consulis deterreri: accito etiam Milone Annio, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus infestus erat, in Urbe seditionem, haud magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a Republica, mox Consularibus armis, auctore Senatu, circa Thurios oppressus est. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit; qui Compsam in Hirpinis oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum patriae, quam armis petebat, poenas dedit; vir inquies, et ultra fortem temerarius. Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur; immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Caesarem, Marullum Epidium, Flavumque Caesetium, Tribunus plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, paene vim dominationis expertos. In hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit, ut Censoria potius contentus nota, quam animadversione Dictatoria, summoveret eos a Republica, testaretürque, *esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.* Sed ad ordinem revertendum est.

LXIX. Iam et Dolabella in Asia C. Trebonium Consularem, cui succedebat, fraude deceptum Smyrnae occiderat, virum adversus merita Caesaris ingratissimum participemque caedis eius, a quo ipse in Consulare provectus fastigium fuerat. Et C. Cassius, acceptis a Statio Murco et Crispo Marcio, Praetoriis viris, imperatoribus quippe, validis in Syria legionibus, inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laodiceae, expugnata ea urbe, confecerat, (ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret), et decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat. Et M. Brutus C. Antonio, fratri M. Antonii, in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat; sed Antonium bello lacessierat, Vatinium dignatione obruerat; quum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, et Vatinius nulli nomini non esset postferendus. In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur: eratque septem legionibus validus. At lege Pedia, quam Consul Pedius, collega Caesaris, tulerat, omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, aqua ignique [damnatis] interdictum erat. Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis Senatorii, Agrippae subscripsit in C. Cassium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat: Brutus Lycios devicerat, et inde in Macedoniam exercitus traiecerant; quum per omnia repugnans naturae suae Cassius etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior Fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum et Cassium.

LXX. Tum Caesar et Antonius traiecerunt exercitus in Macedoniam, et apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque

acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus praerat, impulsis hostibus castra Caesaris cepit. Nam ipse Caesar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, *ne in castris remaneret*, manifeste denuntiatione quietis territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum ac male mulcatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegae aestimans, quum dimisisset evocatum, iussissetque nuntiare sibi, *quae esset multitudo ac vis hominum, quae ad se tenderet*, tardius eo nuntiante, quum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere facies aut signa denotari possent, existimans, hostes esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto praebuit. Deciderat Cassii caput, quum evocatus advenit, nuntians, *Brutum esse victorem*. Qui quum imperatorem prostratum videret, *sequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*; et ita in gladium incubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus: et victus acie, quum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetravit a Stratone Aegeate, familiari suo, ut manum morituro commodaret sibi; reiectoque laevo super caput brachio, quum mucronem gladii eius dextera tenens, sinistrae admovisset mammillae, ad eum ipsum locum, qua cor emicat; impellens se in vulnus, uno ictu transfixus exspiravit protinus.

LXXI [Corvinus] Messalla, fulgentissimus iuvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, quum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Caesaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Caesari quidquam ex victoriis suis fuit laetius, quam servasse Corvinum; aut maius exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Caesarem fuit. Non aliud bellum cruentius caede clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. Nam Varro ad ludibrium morituros Antonii, digna illo ac vera de exitu eius magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius, Iuliae Augustae pater, et Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit; Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu, quum se insignibus honorum velasset, iugulatus est.

LXXII. Hunc exitum M. Bruti partium, septimum et tricesimum annum agentis, Fortuna esse voluit: incorrupto animo eius in diem, quae illi omnes virtutes unius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus: e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium: in altero maior vis, in altero virtus. Qui si vicissent; quantum Reipublicae interfuit, Caesarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset habere Brutum quam Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitii, nuper a nobis visi, eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis viri, avus huius Cn. Domitii, clarissimi iuvenis, occupatis navibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugae fortunaeque se commisit, semetipso contentus duce partium. Statius Murcus, qui classi

et custodiae maris praefuerat, cum omni commissa sibi parte exercitus naviumque Sex. Pompeium, Cn. Magni filium, qui ex Hispania revertens, Siciliam armis occupaverat, petit. Ad quem et e Brutianis castris et ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos praesenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus; quum fortuna non electionem daret, perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

LXXIII. Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promtus, cogitatu celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis. Quem Senatus, paene totus adhuc e Pompeianis constans partibus, post Antonii a Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decreverat, revocatum ex Hispania, ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius Praetorius gesserat, in paterna bona restituerat, et orae maritimae praefecerat. Is tum, ut praediximus, occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat: perque Maenam et Menecratem, paternos libertos, Praefectos classium, latrociniis ac praedationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, quum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

LXXIV. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius transmarinas obiturus provincias substitit; Caesar in Italiam se recepit, eamque longe quam speraverat tumultuosiorem reperit. Quippe L. Antonius Consul, vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui iusta [instituta] divisione praediorum nominatisque coloniis, agros amiserant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat. Ex altera parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre praeter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat. Haec belli sedem Praeneste ceperat: Antonius pulsus undique viribus Caesaris Perusiam se contulerat: Plancus, Antonianarum adiutor partium, spem magis ostenderat auxilii, quam opem ferebat Antonio. Usus Caesar virtute et fortuna sua, Perusiam expugnavit; Antonium inviolatum dimisit. In Perusinos magis ira militum, quam voluntate saevitum ducis. Urbs incensa; cuius initium incendii principes eius loci fecit Macedonicus; qui, subiecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammae intulit.

LXXV. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tib. Claudius Nero, Praetorius et Pontifex, Tib. Caesaris pater, magni vir animi doctissimique ingenii. Id quoque adventu Caesaris sepultum atque discussum est. Quis fortunae mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diversa praesentibus contrariaque exspectatis aut speret, aut timeat? Livia nobilissimi et fortissimi viri, Drusi Claudiani, filia, genere, probitate, forma Romanarum emi-

nentissima, quam postea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui, Caesaris arma, minus bimum hunc Tiberium Caesarem, vindicem Romani imperii, futurumque eiusdem Caesaris filium, gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

LXXVI. Quod alieno testimonium redderem, eo non fraudabo avum meum. Quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX iudices loco a Cn. Pompeio lectus, eiusdem, Marcique Bruti ac Tib. Neronis Praefectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cuius, ob singularem cum eo amicitiam, partium adiutor fuerat, gravis iam aetate et corpore, quum comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inviolatam excedere Italia Caesar passus Fulviam, Plancumque muliebris fugae comitem. Nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque eius regionis urbes, editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum e Brutianis castris post caedem eius praediximus, et propriae classis factum ducem, consiliis suis illectum, ac fide data, iunxit Antonio. Quo facto, quisquis aequum se praestiterit, sciat, non minus a Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem, esse collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii, praeparatusque contra eum Caesaris, habuit belli metum; sed pax circa Brundisium composita. Per quae tempora Rufi Salvidieni scelesta consilia patefacta sunt. Qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa accepisse, et proximus a Cn. Pompeio ipsoque Caesare, ex equestri ordine Consul creatus esse, nisi in id ascendisset, e quo infra se et Caesarem videret et Rempublicam.

LXXVII. Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat, infesto mari, annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita; qui haud absurde, quum in navi Caesaremque et Antonium coena exciperet, dixit, *in Carinis suis se coenam dare*, referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis foedere placuit Siciliam Achaiamque Pompeio concedere. In quo tamen animus inquies manere non potuit: id unum tantummodo salutare [adventu suo] patriae attulit, quod omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis caussis fugerant, reditum salutemque pactus est. Quae res et alios clarissimos viros, et Neronem Claudium, et M. Silanum, Sentiumque Saturninum, et Aruntium, ac Titium, restituit Reipublicae. Statium autem Murcum, qui adventu suo classisque celeberrimae vires eius duplicaverat, insimulatum falsis criminationibus, quia talem virum collegam officii Maena et Menecrates fastidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat.

LXXVIII. Hoc tractu temporum Octaviam, sororem Caesaris, M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias. Quas magnis momentis

Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, perducto eorum exercitu in Syriam, interfectoque Legato Antonii, concusserat: qui virtute et ductu Ventidii, una cum Parthorum copiis, celeberrimoque iuvenum Pacoro, regis filio, exstinctus est. Interim Caesar per haec tempora, ne res disciplinae inimicissima, otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus, patientia periculorum bellique experientia durabat exercitum. Eadem tempestate Calvinus Domitius, quum ex Consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit. Quippe primipili Centurionem, nomine Vibillium, ob turpem ex acie fugam, fusti percussit.

LXXIX. Crescente in dies et classe et fama Pompeii, Caesar molem belli eius suscipere statuit. Aedificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque adsuescendo certaminibus atque exercitationibus, praefectus est M. Agrippa, [vir] virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus; et per omnia extra dilationes positus, consultisque tacta coniungens. Hic in Averno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam et militaris et maritimae rei perduxit scientiam. Hac classe Caesar, quum prius, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, auspicatis Reipublicae omnibus duxisset uxorem, Pompeio Siciliaeque bellum intulit. Sed virum humana ope invictum, graviter eo tempore fortuna concussit. Quippe longe maiorem partem classis, circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi laceravit ac distulit. Ea patrando bello mora fuit, quod post industria, et interdum ancipiti fortuna gestum est. Nam et classis eodem loco vexata est tempestate, et ut navali primo praelio apud Mylas ductu Agrippae pugnatum prospere, ita inopinato classis [adversae] adventu gravis sub ipsius Caesaris oculis circa Tauromenium accepta clades: neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quae cum Cornificio erant, Legato Caesaris, expositae in terra, paene a Pompeio oppressae sunt. Sed ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta. Explicatis quippe vtriusque partis classibus, paene omnibus exutus navibus Pompeius Asiam fuga petivit: iussuque M. Antonii, cuius opem petierat, dum inter ducem et supplicem tumultuatur, et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio iugulatus est. Cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompeii faciens, exsecratione populi, spectaculo, quod praebebat, pelleretur.

LXXX. Acciverat, gerens contra Pompeium bellum, ex Africa Caesar Lepidum cum XII semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Caesaris auctoritatem ac fidem, sibi iunxerat: inflatusque amplius XX legionum numero, in id furoris processerat, ut inutilis in aliena victoria comes, quam diu moratus erat, dissidendo in consiliis Caesari, et semper di-

versa his, quae aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretaretur: audebatque denuntiare Caesari, *excederet Sicilia.* Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortius, quam tunc a Caesare. Quippe quum inermis et lacernatus esset, praeter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quae iussu hominis pravissimi tela in eum acta erant, quum lacerna eius perforata esset lancea; aquilam legionis rapere ausus est. Scires quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt; decimoque anno, quam ad dissimillimam vitae suae potentiam pervenerat, Lepidus et a militibus et a fortuna desertus; pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens, genibus eius advolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri non poterat, dignitas.

LXXXI. Subita deinde exercitus seditio (qui plerumque contemplatus frequentiam suam, a disciplina desciscit, et, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet) partim severitate, partim liberalitate discussa Principis. Speciosumque per id tempus adiectum supplementum Campanae Coloniae. Agri eius relicti erant publici: pro his longe uberiores reditus duodecies HS. in Creta insula redditi, et aqua permissa, quae hodieque singulare et salubritatis instar et amoenitatis ornamentum est. Insigne coronae classicae, quo nemo umquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Caesar reversus in Urbem, contractas emtionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est; templumque Apollini, et circa porticus, facturum promisit, quod ab eo singulari extructum munificentia est.

LXXXII. Qua aestate Caesar tam prospere Lepidum in Sicilia debellavit, fortuna in Caesare et Republica militavit ad Orientem. Quippe Antonius cum XIII [XVI] legionibus ingressus Armeniam, ac deinde Mediam, et per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obvium. Primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis tormentisque et Statiano Legato amisit: mox saepius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula, e quibus servari se posse desperaverat; amissaque non minus quarta parte militum, captivi cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide servatur: qui clade Crassiani exercitus captus, quum fortunam, non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam; praedixitque, *ne destinatum iter peterent, sed diverso silvestrique pervaderent.* Hoc M. Antonio ac tot illis legionibus saluti fuit: de quibus tamen, totoque exercitu, haud minus pars quarta, ut praediximus, militum, calonum servitiique desiderata tertia est, impedimentorum vix ulla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. Qui tertia aestate reversus in Armeniam, regem eius Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit. Crescente deinde et amoris in Cleopatram incendio, et vitiorum, quae semper fa-

cultatibus licentiaque et assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriae inferre constituit; quum ante. Novum se Liberum patrem appellari iussisset. Tum redimitus hederis, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens cothurnisque succinctus [suras vinctus], curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriae.

LXXXIII. Inter hunc apparatum belli, Plancus, non iudicio recta legendi, neque amore Reipublicae aut Caesaris, (quippe haec semper impugnabat,) sed morbo proditor, quum fuisset humillimus assentator reginae, et infra servos cliens, quum Antonii librarius, quum obscoenissimarum rerum et auctor et minister, quum in omnia et omnibus venalis, quum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio, refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem. Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dictitans, *id probatum a Caesare*, cui ille ignoverat. Mox autem hunc avunculum Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir Praetorius gravissimus, P. Silli socer, quum recens transfuga, multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in Senatu obiiceret; *Multa*, inquit, *me hercules fecit Antonius, pridie quam tu illum relinqueres.*

LXXXIV. Caesare deinde et Messalla Corvino Coss. debellatum apud Actium; ubi longe ante, quam dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator; illa marcebant omnia: hinc remiges firmissimi; illinc inopia adfectissimi: navium hinc magnitudo modica cum celeritate adversa; illa specie terribilior: hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique in ore atque oculis Antonianae classis per M. Agrippam Leucas expugnata, Patrae captae, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas, meliora et utiliora secutus, nam Deillius, exempli sui tenax, ut a Dolabella [ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit] ad Caesarem: virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, numquam reginam, nisi nomine, salutavit, maximo et praecipiti periculo transmisit ad Caesarem.

LXXXV. Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Caesar Antoniusque, productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum navium Iulianarum cornu M. Lurio commissum, laevum Aruntio, Agrippae omne classici certaminis arbitrium. Caesar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat: classis Antonii regimen Publicolae Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Caesaris, Antonii regebat Canidius. Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil praeter milites. Prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis reginae, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit; et imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia: et desperata

victoria, in mortem dimicabatur. Caesar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque et ostendens, *fugisse Antonium*, quaerebat, *pro quo et cum quo pugnarent?* at illi, quum diu pro absente dimicassent duce, aegre submissis armis cessere victoriam: citiusque vitam veniamque Caesar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Quis dubitet, suo, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad eius arbitrium direxit fugam? Idem locatus in terra fecit exercitus, quum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium.

LXXXVI. Quid ille dies terrarum orbi praestiterit, ex quo in quem statum pervenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima: nec quisquam interemtus est, nisi paucissimi, et hi, qui ne deprecari quidem pro se sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis Philippiis, si sic licuisset, victoriae suae facturus fuerit modum. At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate celeberrimi, fides, mox diu [cum] clementia luctatus sua Caesar, servavit incolumem. Non praetereatur Asinii Pollionis factum et dictum memorabile. Namque quum se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset umquam reginam, aut post enervatum amore eius Antonii animum, partibus eius se miscuisset, rogante Caesare, *ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum*; *Mea*, inquit, *in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimini vestro me subtraham, et ero praeda victoris.*

LXXXVII. Proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandriam, ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit; adeo ut multa desidiae crimina una morte redimeret. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, morsus eius, sane expers muliebris metus spiritum reddidit. Fuitque et fortuna et clementia Caesaris dignum, quod neme ex his, qui contra eum arma tulerant, ab eo iussuve eius sit interemtus. D. Brutum Antonii interemit crudelitas. Sex. Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, quum dignitatis quoque servandae dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus et Cassius, ante quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonii Cleopatraeque quis fuisset exitus, narravimus. Canidius timidius decessit, quam professioni eius, qua semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Caesaris Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat [primus] Trebonius.

LXXXVIII. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius, qui Triumvir fuerat Reipublicae constituendae, filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Urbem revertisset, Caesaris consilia inierat. Tunc Urbis custodiis praepositus C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens,

atque agendi scfens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens: non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus (quippe vixit angusti clavi paene contentus); nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. Hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia iuvenis, et mira celeritate nullaque perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. Et ille quidem male consultorum poenas exsolvit. Aequetur praedictae iam Antistii, Servilia Lepidi uxor, quae vivo igni devorato, praematuram mortem immortali nominis sui pensavit memoria.

LXXXIX. Caesar autem reversus in Italiam atque Urbem, quo occursu, quo favore omnium hominum, aetatium, ordinum exceptus sit, quae magnificentia triumphorum eius, quae fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi, digne exprimi potest. Nihil deinde optare a Diis homines, nihil Dii hominibus praestare possunt; nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Urbem, Reipublicae populoque Romano terrarumque orbi repraesentaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa; revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, Senatui maiestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo Praetoribus allecti duo; prisca illa et antiqua Reipublicae forma revocata. Rediit cultus agris, sacris honos, severitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatae utiliter, latae salubriter; Senatus sine asperitate nec sine severitate lectus; principes viri, triumphisque et amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Urbem illecti sunt. Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret, quum saepe obnitens repugnasset, impetrari potuit. Nam Dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit. Bella sub Imperatore gesta, pacatusque victoriis terrarum orbis, et tot extra Italiam domique opera, omne aevi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigent. Nos memores professionis, universam imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus.

XC. Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus, coalescentibusque Reipublicae membris, et extera coiere, quae tam longa annorum series laceraverat. Dalmatia, viginti et ducentos annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii. Alpes, feris inultisque nationibus celebres, perdomitae. Hispaniae, nunc ipsius praesentia, nunc Agrippae, (quem usque in tertium Consulatum, et mox collegium Tribunitiae potestatis, amicitia Principis evexerat) multo varioque Marte pacatae. In quas provincias quum initio, Scipione et Sempronio Longo Coss., primo anno secundi [belli] Punici, abhinc annos CCL, Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione, Africani patruo, per annos CC in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis nonnuli Romani imperatoribus exercitibusque, saepe con-

tumelia, [etiam] nonnumquam periculum Romano inferretur imperio. Illae enim provinciae Scipiones consumserunt; illae contumelioso X annorum bello sub duce Viriatho maiores nostros exercuerunt; illae terrore Numantini belli, populum Romanum concusserunt; in illis turpe Q. Pompeii foedus turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: illa tot Consulares, tot Praetorios absumsit duces; patrumque aetate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium diiudicari non potuerit, Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme L perduxit Caesar Augustus, ut, quae maximis bellis numquam vacaverant, eae sub C. Antistio, ac deinde P. Silio Legato ceterisque postea, etiam latrociniis vacarent.

XCI. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius eius Phraates ceperant, Augusto remissa sunt: quod cognomen illi viro, Planci sententia, consensus universi Senatus populique Romani indidit. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Quippe L. Murena, et Fannius Caepio, diversis moribus, (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et hoc ante pessimus,) quum inissent occidendi Caesaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, iure passi sunt. Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam Senatori propior, collecto in Aedilitate favore populi, quem extinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei Praeturam continuaret, mox etiam Consulatum petere ausus, quum esset omnium flagitiorum scelerumque sentina emersus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret, aggregatis simillimis sibi, interimere Caesarem statuit, ut, quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri, et idem passurus, minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: addictusque carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit.

XCII. Praeclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturnini, circa ea tempora Consulis, ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar, circumferens terrarum orbi praesentia [sua] pacis suae bona: tum Sentius, forte et solus, et absente Caesare, Consul, quum alia, prisca severitate summaque constantia, veterum. Consulum more [ac severitate], gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam, regessisset in aerarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis praecipuum egit Consulem. Nam et Quaesturam petentes, quos indignos iudicavit, profiteri vetuit; et, quum id facturos se perseverarent, *consularem*, *si in campum descendissent*, *vindictam* minatus est; et Egnatium, florentem favore publico, sperantemque, ut Praeturam Aedilitati, Consulatum Praeturae se iuncturum, profiteri vetuit; et quum id non obtinuisset, iuravit, *etiam si factus esset Consul suffragiis populi, tamen se*

*eum non renuntiaturum.* Quod ego factum cuilibet veterum Consulum gloriae comparandum reor, nisi quod naturaliter audita visis laudamus libentius; et praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur; et his nos obrui, illis instrui credimus.

XCIII. Ante triennium fere, quam Egnatianum scelus erumperet, circa Murenae Caepionisque coniurationis tempus, abhinc annos L, M. Marcellus, sororis Augusti Octaviae filius, (quem homines ita, si quid accidisset Caesari, successorem potentiae eius arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam securo ei posse contingere non existimarent) magnificentissimo munere Aedilitatis edito, decessit admodum iuvenis; sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum, laetusque animi et ingenii, fortunaeque, in quam alebatur, capax. Post cuius obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam, ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones, praesenti se subduxerat tempori, reversus inde filiam Caesaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem, feminam neque sibi, neque Reipublicae felicis uteri.

XCIV. Hoc tractu temporum Tib. Claudius Nero, (quo trimo, ut praediximus, Livia, Drusi Claudiani filia, despondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Caesari nupserat,) innutritus coelestium praeceptorum disciplinis, iuvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, visuque praetulerit principem, Quaestor undevicesimum annum agens capessere coepit Rempublicam; maximamque difficultatem annonae, ac rei frumentariae inopiam, ita Ostiae atque in Urbe mandato vitrici moderatus est, ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Nec multo post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quae sub Oriente sunt, provincias, praecipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem populi Romani regnum eius, Artavasdi [ereptum, Tigrani] dedit. Quin rex quoque Parthorum, tanti nominis fama territus, liberos suos ad Caesarem misit obsides.

XCV. Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli molem experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius, Druso Claudio, quem intra Caesaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque, divisis partibus, Rhaetos Vindelicosque adgressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt. Ante quae tempora Censura Planci et Paulli, acta inter discordiam, neque ipsis honori, neque Reipublicae usui fuit: quum alteri vis censoria, alteri vita deesset; Paullus vix posset implere Censorem, Plancus timere deberet; nec quidquam obiicere posset adolescentibus, [aut obiicientes audire,] quod non agnosceret senex.

XCVI. Mors deinde Agrippae (qui novitatem suam multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut et Neronis es-

set socer; cuiusque liberos, nepotes suos, D. Augustus, praepositis Caii ac Lucii nominibus adoptaverat) admovit propius Neronem Caesari. Quippe filia eius Iulia, quae fuerat Agrippae nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum ab Agrippa, Marcoque Vinicio, avo tuo, Cos. magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiae, per Neronem gestum est. Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque nationes, situmque regionum ac fluminum, numerumque et modum virium, excelsissimasque et multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio loco explicabimus. Hoc opus servet formam suam. Huius victoriae compos Nero, ovans triumphavit.

XCVII. Sed dum in hac parte imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub Legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae, quam recte faciendi cupidiore, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo; amissaque legionis quintae aquila, vocavit ab Urbe in Gallias Caesarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit; cuius ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est: morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos aequa ac par sui aestimatio, inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternae fuit. Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniae, plurimo eius gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum inquitas, Consulem, agentem annum tricesimum, rapuit. Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua et virtute et fortuna administravit, peragratusque [pervagatusque] victor omnes partes Germaniae, sine ullo detrimento commissi exercitus (quod praecipue huic duci semper curae fuit,) sic perdomuit eam, ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae. Tum alter triumphus cum altero Consulatu ei oblatus est.

XCVIII. Dum ea, quae praediximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit. Quippe Legatus Caesaris triennio cum his bellavit, gentesque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum: eiusque patratione Asiae securiatem, Macedoniae pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate temperatissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quae agenda sunt, curet, sine ulla ostentione agendi.

XCIX. Brevi interiecto spatio Tib. Nero, duobus Consulatibus totidemque triumphis actis, Tribunitiae potestatis consortione aequatus Augusto, civium post unum (et hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere alterum Reipublicae lumen et caput, mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate, [cuius caussae mox

detectae sunt,] quum C. Caesar sumsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viribus, ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis, dissimulata caussa consilii sui, commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, quae digredientium a tanto viri omnium lacrimae, quam paene ei patria manum iniecerit, iusto servemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro Consulibus Legatique, in transmarinas profecti provincias, visendi eius gratia ad eum venissent, semper privato, si illa maiestas privata umquam fuit, fasces suos submiserint, fassique sint, otium eius honoratius imperio suo.

C. Sensit terrarum orbis, digressum a custodia Neronem. Nam et Parthus, desciscens a societate Romana, adiecit Armeniae manum; et Germania, aversis domitoris sui oculis, rebellavit. At in Urbe, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis, D. Augustus, abhinc annos XXX, se et Gallo Caninio Coss. dedicato Martis templo, animos oculosque populi Romani repleverat, foeda dictu memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunae suae peccandi licentia metiebatur; quidquid liberet, pro licito vindicans. Tum Iulius Antonius, singulare exemplum clementiae Caesaris, violator eius domus, ipse sceleris a se commissi ultor fuit: quem, victo eius patre, non tantum incolumitate donaverat, sed Sacerdotio, Praetura, Consulatu, provinciis, honoratum, etiam matrimonio sororis suae filiae in artissimam adfinitatem receperat: Quinctiusque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens, et Appius Claudius, et Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, utriusque ordinis viri, quasi cuiuslibet uxore violata, poenas pependere: quum Caesaris filiam et Neronis violassent coniugem. Iulia relegata in insulam, patriaeque et parentum subducta oculis, quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria exsilii permansit comes.

CI. Breve ab hoc intercesserat spatium, quum C. Caesar, ante allis provinciis ad visendum obitis, in Syriam missus, convento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, ut superiori, habuit, tam varie se ibi gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. Cum rege Parthorum iuvenis excelsissimus, in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriusque partis numero, coiit. Quod spectaculum stantis ex diverso, hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, quum duo inter se eminentissima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile, sub initia stipendiorum meorum, Tribuno militum mihi visere contigit. Quem militiae gradum ante sub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auspicatus, in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque, et omnibus ad Orientem visis provinciis, et ore atque

utroque maris, Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est.

CII. Quo tempore M. Lollii, quem veluti moderatorem inventae filii sui Augustus esse voluerat, perfida et plene subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata Caesari, fama vulgavit. Cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro. Sed quam hunc decessisse laetati homines, tam paullo post, obisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde [Caius] ingressus, prima parte introitus prospere rem gessit; mox in colloquio, cui se temere crediderat, circa Artageram graviter a quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minus habile, ita animum minus utilem Reipublicae habere coepit. Nec defuit conversatio hominum, vitia eius assentatione alentium. Etenim semper magnae fortunae comes adest adulatio. Per quae eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quam Romam regredi mallet. Diu deinde reluctatus, invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciae (Limyra nominant) morbo obiit; quum ante annum ferme L. Caesar, frater eius, Hispanias petens, Massiliae decessisset.

CIII. Sed fortuna, quae subduxerat spem magni nominis, iam tum Reipublicae sua praesidia reddiderat. Quippe, ante utriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio Consule, Tib. Nero, reversus Rhodo, incredibili laetitia patriam repleverat. Non est diu cunctatus Caesar Augustus. Neque enim quaerendus erat, quem legeret, sed legendus, qui eminebat. Itaque, quod post Lucii mortem, adhuc Caio vivo, facere voluerat, adeoque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, ut et Tribunitiae potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo quum domi, tum in Senatu recusante, et eum Aelio Cato et Sentio Coss. V. Kalend. Iul. post U. C. annis DCCLVII, abhinc annis XXVII, adoptaret. Laetitiam illius diei, concursumque civitatis, et vota paene inserentium coelo manus, spemque conceptae perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii, vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere: contenti simus, id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit. Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis, adeo, ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius.

CIV. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem post mortem Agrippae Iulia enixa erat. Sed in Neronis adoptione illud adiectum, his ipsis Caesaris verbis: *Hoc* [inquit] *Reipublicae caussa facio.* Non diu vindicem custodemque imperii sui morata in Urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. Erat id ab eo quibusdam in locis

gestum, quibusdam sustentatum feliciter: eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum ante Tribunatu, castrorum Ti. Caesaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione missus cum eo Praefectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, coelestissimorum eius operum per annos continuos IX. Praefectus aut Legatus, spectator et pro captu mediocritatis meae adiutor fui. Neque illi spectaculo, quo fructus sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi; quum per celeberrimam Italiae partem, tractumque omnem Galliae provinciarum, veterem Imperatorem et ante meritis ac viribus, quam nomine, Caesarem revisentes, sibi quisque, quam illi, gratularentur plenius. At vero militum conspectu eius elicitae gaudio lacrimae: alacritasque et salutationis nova quaedam exsultatio, et contingendi manum cupiditas, non continentium protinus, quin adiicerent, *Videmus te, Imperator? salvum recepimus?* ac deinde, *Ego tecum, Imperator, in Armenia, ego in Rhaetia fui; ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum*, neque verbis exprimi, et fortasse vix mereri fidem potest.

CV. Intrata protinus Germania; subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri; recepti Cherusci, et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis: penetrata ulteriora: quum omnem partem asperrimi et periculosissimi belli Caesar vindicaret; [in] iis, quae minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum Legatus patris eius in Germania fuerat, praefecisset, virum multiplicem [in] virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem; ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres. De cuius viri claro celebrique Consulatu praedixi mus. Anni eius aestiva, usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriae. Pietas sua Caesarem, paene obstructis hieme Alpibus, in Urbem traxit: ac tutela imperii eum veris initio reduxit in Germaniam; in cuius mediis finibus, ad caput Lupiae fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat.

CVI. Pro Dii boni, quanti voluminis opera insequenti aestate, sub duce Tiberio Caesare, gessimus! Perlustrata armis tota Germania est: victae gentes, paene nominibus incognitae: receptae Cauchorum nationes; omnis eorum iuventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, una cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal; fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior: denique quod numquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praefluit, Romanus cum signis perductus exercitus; et eodem, mira feliciate et cura ducis, temporumque observantia, classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito

ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Caesarique se iunxit.

CVII. Non temporo mihi, quin tantae rerum magnitudini hoc, qualecumque est, inseram. Quum citeriorem ripam praedicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium iuventute fulgeret, sub omen metumque nostrarum navium protinus refugientium, unus e barbaris, aetate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis, et petiit, *liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Caesarem.* Data [a Caesare] potenti facultas. Tum appulso lintre, diu tacitus contemplatus Caesarem. *Nostra quidem*, inquit, *furit iuventus, quae quum vestrum numen absentium colat, praesentium potius arma metuit, quam sequitur fidem. Sed ego beneficio ac permissu tuo, Caesar, quos ante audiebam, hodie vidi Deos: nec feliciorem ullum vitae meae aut optavi aut sensi diem.* Impetratoque, ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Caesarem, ripae suorum appulsus est.

Victor omnium gentium locorumque, quos adierat, Caesar, cum incolumi inviolatoque, et semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit; eadem, qua priore anno, festinatione Urbem petens.

CVIII. Nihil erat iam in Germania, quod vinci posset, praeter gentem Marcomannorum; quae Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in interiora refugiens, incinctos Hercynia silva campos incolebat. Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet. Maroboduus, genere nobilis, corpore praevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem et ex voluntate parentium constantem, inter suos occupavit principatum, sed certum imperium vimque regiam complexus animo, statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, ubi, quum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima.

CIX. Occupatis igitur, quos praediximus, locis, finitimos omnes aut bellodomuit, aut conditionibus iuris sui fecit: corpus suum custodia munivit: imperium, perpetuis armorum exercitiis exercitu paene ad Romanae disciplinae formam redacto, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium: gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret; et, si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi ostenderet. Legati, quos mittebat ad Caesares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis desciscentibus erat apud eum perfugium: totusque ex male dissimulato agebat aemulum: exercitumque, quem LXX millium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, maiori, quam quod obibat, operi praeparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, quum Germa-

niam ad laevam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum haberet Noricos, tamquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe quum a summis Alpium iugis, quae finem Italiae terminant, initium eius finium haud multo plus CC millibus passuum abesset. Hunc virum et hanc regionem proximo anno diversis e partibus Tib. Caesar adgredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Hercyniae silvis, legiones Boiohoemum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est) duceret: ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

CX. Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna. Praeparaverat iam hiberna Caesar ad Danubium, amotoque exercitu non plus quam quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum admoveri placuerat, cuius copiae, paene aequali divisae intervallo ab hoste, intra paucos dies in praedicto loco cum Caesare se iuncturae erant. Tum universa Pannonia, insolens longae pacis bonis, et aduta viribus Dalmatia, omnibusque tractus eius gentibus in societatem adductis, constitit et arma corripuit. Tum necessaria gloriosis praeposita: neque tutum visum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quae rebellaverant, omnis numerus amplius DCCC millibus explebat. CC fere peditum colligebantur, armis habilia; equitum novem. Cuius immensae multitudinis, parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreverat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio; pars in Macedoniam se effuderat; pars suis sedibus praesidio esse destinaverat. Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus auctoritas erat. Omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae: plerisque etiam litterarum usus, et familiaris animorum erat exercitatio. Itaque, hercules, nulla umquam natio tam mature consilio belli bellum iunxit, ac decreta patravit. Oppressi cives Romani; trucidati negotiatores; magnus vexillariorum numerus ad internecionem, ea in regione, quae plurimum ab Imperatore aberat, caesus; occupata armis Macedonia; omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata: quin tantus etiam huius belli metus fuit, ut stabilem illum, et firmatum tantorum bellorum experientia, Caesaris Augusti animum quateret atque terreret.

CXI. Habiti itaque delectus, revocati undique et omnes veterani; viri feminaeque ex censu libertinum coactae dare militem. Audita in Senatu vox Principis, *decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romae vénire conspectum.* Senatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae ex pollicitatione. Omnia haec frustra praeparassemus, nisi, qui illa regeret, fuisset. Itaque, ut praesidium militum, Respublica ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum. Finita

equestri militia, designatus Quaestor, necdum Senator aequatus Senatoribus, etiam designatis Tribunis plebis, partem exercitus ab Urbe, traditi ab Augusto, perduxi ad filium eius. In Quaestura deinde, remissa sorte provinciae, Legatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo anno acies hostium fudimus? quantis prudentiae ducis opportunitatibus furentes eorum vires universas evasimus partibus? quanto cum temperamento simul virtutis et utilitatis res auctoritate Imperatoris agi vidimus? qua prudentia hiberna disposita sunt? quanto opere inclusus custodiis exercitus nostri [hostis], ne qua posset erumpere, inopsque copiarum et intra se furens, viribus haustis, elanguesceret?

CXII. Felix eventu, forte conatu, prima aestate belli, Messalini opus mandandum est memoriae. Qui vir animo etiam, quam gente, nobilior, (dignissimus, qui et patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottae fratri relinqueret,) praepositus Illyrico, subita rebellione, cum semiplena legione vicesima, circumdatus hostili exercitu, amplius XX millia hostium fudit fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut, ubicumque Caesar esset, nihil in se spei reponerent. Pars exercitus eorum, proposita ipsi duci, et ad arbitrium utilitatemque nostram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque instantem sustinere, neque cum facientibus copiam pugnandi dirigentibusque aciem ausa congredi, occupato monte Claudio, munitione se defendit. At ea pars, quae obviam se effuderat exercitui, quem A. Caecina et Silvanus Plautius Consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumtusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque, et equitatu regio (quippe magnam Thracum manum, iunctus praedictis ducibus, Rhoemetalces, Thraciae rex, in adiutorium eius belli secum trahebat), paene exitiabilem omnibus cladem intulit. Fusa regiorum equestris acies, fugatae alae, conversae cohortes sunt, aputd signa quoque legionum trepidatum. Sed Romani virtus militis plus eo tempore vindicavit gloriae, quam ducibus reliquit: qui, multum a more Imperatoris sui discrepantes, ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Iam igitur in dubiis rebus semet ipsae legiones adhortatae, iugulatis ab hoste quibusdam Tribunis militum, interemto Praefecto castrorum, Praefectisque cohortium, non incruentis Centurionibus, e quibus etiam primi ordines cecidere, invasere hostes; nec sustinuisse contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaverunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, et iam ante biennium, qualis esset, apparere coeperat, mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus, patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi: moxque, crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo habuit exitum.

CXIII. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus, quique sub Caesare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, LXX amplius cohortibus, quatu-

ordecim alis, et pluribus quam decem veterannorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo umquam loco post bella fuerat civilia; omnes eo ipso laeti erant, maximamque fiduciam victoriae in numero reponebant. At Imperator, optimus eorum, quae agebat, iudex, et utilia speciosis praeferens, quodque semper eum facientem vidi in omnibus bellis, quae probanda essent, non quae cuique probarentur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat, ad refovendas ex itinere eius vires, moratus, quum eum maiorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit: prosecutusque longo et perquam laborioso itinere, cuius difficultas enarrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet adgredi, et partem digredientium, suorum quisque metu finium universi tentare non possent, remisit eo, unde venerant: et ipse asperrimae hiemis initio ingressus Sisciam, Legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis praefecit hibernis.

CXIV. O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus nemo e nobis, gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus, imbecillus fuit, cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Caesaris cura, tamquam distractissimus ille tantorum operum mole huic uni negotio vocaret animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata, cuius usum quum alii, tum ego sensi: iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc solum importatum instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant; ceterum nihil, quod ab illis aut praestari aut desiderari posset. Adiiciam illud, quod, quisquis illius temporis rebus interfuit, ut alia quae retuli, agnoscet protinus. Solus semper equo vectus est; solus cum iis, quos invitaverat, maiore parte aestivarum expeditionum, coenavit sedens; non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens inerat et castigatio, vindicta rarissima: agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli contulit. Sed insequenti aestate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot millium iuventutem, paulo ante servitutem minatam Italiae, conferentem arma, quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus Imperatoris, Batonemque et Pinnetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum a se deditum, iustis voluminibus ordine enarrabimus, ut spero. Auctumno victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis a Caesare M. Lepidus praefectus est, vir nominis ac fortunae Caesarum proximus: quem in quantum quis aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum iudicat.

CXV. Caesar ad alteram belli Dalmatici molem animum atque arma contulit. In qua regione [expeditione] quali adiutore

Legatoque fratre meo, Magio Celere Velleiano, usus sit, ipsius patrisque eius praedicatione testatum est, et amplissimorum honorum, quibus triumphans cum Caesar donavit, signat memoria. Initio aestatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras immunesque adhuc clade belli, et eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium Imperatorem, cum difficultate locorum et cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis aedificiis, eversis vicis, laetus victoria, praedaque onustus, pervenit ad Caesarem: et ob [ea,] quae si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio Principum voluntate Senatus, donatus est. Illa aestas maximi belli consummavit effectus. Quippe Perustae et Desitiates Dalmatae, situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, sed praecipue angustiis saltuum paene inexpugnabiles, non iam ductu, sed manibus atque armis ipsius Caesaris tum demum pacati sunt, quum paene funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius, aut mirari magis potui, quam quod Imperatori numquam adeo ulla opportuna visa est victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis. Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum; et ante conscientiae, quam famae, consultum: nec umquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.

CXVI. Magna in bello Dalmatico experimenta virtutis in incultos ac difficiles locos praemissus Germanicus dedit. Celebri etiam opera diligentiaque Vibius Postumus, vir Consularis, praepositus Dalmatiae, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non maioribus experimentis testatum esset, quantum in omni re fortuna posset! Sed in hoc quoque genere abunde agnosci vis eius potest. Nam et C. Sentius, vir antiquissimi moris, et priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania, Illyricoque, et mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est. Et A. Licinius Nerva Silanus, P. Silii filius, quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset, praereptus immature, et fructu amplissimae principis amicitiae et consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est. Quorum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet. Neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est.

CXVII. Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello Caesar manum, quum, intra quinque consummati tanti operis dies, funestae ex Germania epistolae, *caesi Vari*,

*trucidatarumque legionum trium totidemque alarum, et sex cohortium***:* velut in hoc salutem tantummodo nobis indulgente Fortuna, ne occupato duce ***. Sed caussa et persona moram exigit.

Varus Quinctilius, nobili magis, quam illustri ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore, ita animo immobilior, otio magis castrorum, quam bellicae adsuetus militiae; pecuniae vero quam non contemtor, Syria, cui praefuerat, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. Is quum exercitui, qui erat in Germania, praeesset, concepit esse homines, qui nihil praeter vocem membraque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, posse iure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine, trahebat aestiva.

CXVIII. At illi, quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, et nunc provocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod eas Romana iustitia finiret, feritasque sua suavitate incognitae disciplinae mitesceret, et solita armis discerni iure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium; usque eo, ut se Praetorem urbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniae finibus exercitui praeesse, crederet. Tum iuvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promtus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis eius filius, ardorem animi vultu oculisque praeferens, assiduus militiae nostrae prioris comes, [cum] iure etiam civitatis Romae ius equestris consecutus gradus, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est: haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; et frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilii recipit: opprimi posse Romanos et dicit et persuadet; decretis facta iungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem clarique nominis, Segesten, indicatur. Sed praevalebant iam fata consiliis; omnemque animi eius aciem praestrinxerant. Quippe ita se res habet, ut plerumque fortunam mutaturus Deus consilia corrumpat, efficiatque, quod misserrimum est, ut, quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, spemque in se benevolentiae ex merito aestimare profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus.

CXIX. Ordinem atrocissimae calamitatis, qua nulla, post Crassi in Parthis damnum, in exteris gentibus gravior Romanis fuit, iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere: nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, maroore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus, (quum ne pugnandi quidem aut egrediendi occasionis, in quantum voluerant, data esset immunis, castigatis etiam quibusdam gravi poena, quia Romanis et armis et animis usi

fuissent), inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit. Quippe paterni avitique exempli successor se ipse transfixit. At e Praefectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe C. Ceionius prodidit: qui, quum longe maximam partem absumsisset acies, auctor deditionis, supplicio quam proelio mori maluit. At Vala Numonius, Legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est. Quod factum eius fortuna ulta est. Non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis laceraverat feritas; caput eius abscisum, latumque ad Maroboduum, et ab eo missum ad Caesarem, gentilitii tamen tumuli sepultura honoratum est.

CXX. His auditis revolat ad patrem Caesar, perpetuus patronus Romani imperii, adsuetam sibi caussam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, praesidia munit; se magnitudine sua, non fiducia ducis metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabatur, ultro Rhenum cum exercitu transgreditur. Arma infert hosti, quem arcuisse pater et patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios: maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna revertitur. Reddatur verum L. Asprenati testimonium. Qui Legatus sub avunculo suo Varo militans, nava virilique opera duarum legionum, quibus praeerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit; matureque ad inferiora hiberna descendendo vacillantes iam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Lucii etiam Caedicii, Praefecti castrorum, eorumque, qui una circumdati Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est. Qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentia nisi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum sane gravem et bonae voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum. Quum in captivos saeviretur a Germanis, praeclari facinoris auctor fuit Caldus Coelius, adolescens vetustate familiae suae dignissimus: qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas illisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret.

CXXI. Eadem et virtus et fortuna subsequenti tempore [ingressa animum] Imperatoris Tiberii fuit, quae initio fuerat. Qui concussis hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, quum res Galliarum maximae molis, accensasque plebis Vien-

nensium dissensiones, coercitione magis quam poena mollisset, et Senatus populusque Romanus, postulante patre eius, *ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi*, decreto complexus esset: (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quae ab illo vindicabantur; et qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem:) in Urbem reversus, iampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum. Cuius magnificentiam quis miretur in Caesare? Fortunae vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnes eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit. Quem mihi, fratrique meo, inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.

CXXII. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tib. Caesaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod, quum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, et ex rege ei praeposito, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare debuerit? et, Vindelicorum Rhaetorumque victor, curru Urbem ingredi? fractis deinde post adoptionem continua triennii militia Germaniae viribus, idem illi honor et deferendus et recipiendus fuerit? et post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum eventu eadem excisa Germania triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an, quod honorum temperavit.

CXXIII. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Caesar Augustus, quum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quae bello subegerat; prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certamini ludicro, quod eius honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam. Quamquam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit: at ingravescente in dies valetudine, quum sciret, quis volenti, omnia post se salva remanere, arcessendus foret, festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius. Tum securum se Augustus praedicans, circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox quum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Appuleioque Coss. septuagesimo sexto anno, animam coelestem coelo reddidit.

CXXIV. Quid tunc homines timuerint, quae Senatus trepidatio, quae populi confusio, quis orbis metus, in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo. Cuius orbis ruinam timueramus, eum ne

commotum quidem sensimus; tantaque unius viri maiestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Caesare Senatus populique Romani, *ut stationi paternae succederet*, illius, *ut potius aequalem civem, quam eminentem liceret agere Principem.* Tandem magis ratione, quam honore victus est; quum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solique huic contigit, paene diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnaverant. Post redditum coelo patrem, et corpus eius humanis honoribus, nomen divinis honoratum, primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac Sacerdotibus viris, destinari Praetoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Caesar commendaret Tiberius.

CXXV. Tulit protinus ut voti, ita consilii sui pretium Respublica; neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. Quippe exercitus, qui in Germania militabat, praesentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quae in Illyrico erant, rabie quadam et profunda confundendi omnia cupiditate, *novum ducem*, *novum statum*, *novam* quaerebant *Rempublicam*. Quin etiam ausi sunt minari, *daturos Senatui*, *daturos Principi leges*; modum stipendii, finem militiae sibi ipsi constituere conati sunt. Processum etiam in arma, ferrumque strictum est; et paene in ultima gladiorum erupit impunitas: defuitque qui contra Rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed haec omnia veteris Imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam, praecipue noxiorum, ultionem, miti aliorum castigatione, brevi sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, ut pleraque egit nave Germanicus, ita Drusus, qui a patre in id ipsum plurimo pridem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus, ancipitia sibi, tam re, quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit, singulari adiutore in eo negotio usus Iunio Blaeso, viro nesciias utiliore in castris, an meliore in toga: qui, post paucos annos Proconsul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria, meruit. Ac [quum] Hispanias exercitusque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, ut praediximus, cum imperio obtineret, ut in summa pace quiete continuit, quum ei pietas rectissima sentiendi, et auctoritas, quae sentiebat, obtinendi superesset. Cuius curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimae, in maxima parte Illyrici per omnia imitatus est.

CXXVI. Horum XVI annorum opera quis, quum inserta [sint] oculis animisque omnium, partibus eloquatur? Sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione: non appellavit [eum], sed fecit Deum. Revocata in forum fides; summotae foro seditio, ambitio campo, discordia curia; sepultaeque

ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria civitati redditae; accessit magistratibus auctoritas, Senatui maiestas, iudiciis gravitas; compressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur recta, prava puniuntur. Suscipit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? quando pax laetior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, et quidquid meridiano aut Septemtrione finitur, Pax Augusta per omnia omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes. Fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna Principis munificentia vindicat. Restitutae urbes Asiae: vindicatae ab iniuriis magistratuum provinciae: honor dignis paratissimus: poena in malos sera, sed aliqua. Superatur aequitate gratia, ambitio virtute. Nam facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet; quumque sit imperio maximus, exemplo maior est.

CXXVII. Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Laeliis, quos per omnia aequaverunt sibi; ut Divus Augustus M. Agrippa, et proxime ab eo, Statilio Tauro. Quibus novitas familiae haud obstitit, quo minus ad multiplices Consulatus triumphosque, et complura eniterentur Sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent; neque in parvo paucitas ministeria deficit: interestque Reipublicae, quod usu necessarium, et dignitate eminere, utilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Caesar Seianum Aelium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias, habentem Consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet: virum severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque adsequentem omnia, semperque infra aliorum aestimationes se metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem.

CXXVIII. In huius virtutum aestimatione iam pridem iudicia civitatis cum iudiciis Principis certant. Neque novus hic mos Senatus Populique Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam et illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC, Ti. Coruncanium, hominem novum, quum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam Maximo, ad principale extulere fastigium; et equestri loco natum Sp. Carvilium, et mox M. Catonem, novum etiam Tusculo Urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in Consulatus, Censuras, et triumphos provexere. Et, qui C. Marium, ignotae originis, usque ad sextum Consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem; et qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret: profecto hoc senserunt, in cuiuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.

Haec naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Caesarem; ad iuvanda vero onera Principis, Seianum protulit; Senatumque et Populum Romanum eo perduxit, ut, quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suae libenter advocet.

CXXIX. Sed, proposita quasi universa principatus Ti. Caesaris forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemtorem fratris sui filii Cotyis, consortisque eiusdem imperii, evocavit! quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit! singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii, Consularis viri, nati ad omnia, quae recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quam captantis gloriam. Cum quanta gravitate, ut senator et iudex, non ut Princeps et Caesar caussas pressius audit! Quibus praeceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiae secum actae, domitorem recepit Germaniae? Quibus iuventam eius exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? Quoties populum congiariis honoravit, Senatorumque censum, quum id Senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias? Qua vi, consiliorum suorum ministro et adiutore usus Druso filio suo, Maroboduum inhaerentem occupati regni finibus, pace maiestatis eius dixerim, velut serpentem abstrusam terrae, salubribus consiliorum suorum medicamentis coëgit egredi! quam illum et honorate, nec secure continet! Quantae molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compressit, ut ante populus Romanus vicisse se, quam bellare, cognosceret; nuntiosque periculi victoriae praecederet nuntius. Magni etiam terroris bellum Africum, et quotidiano auctu maius, auspiciis consiliisque eius brevi sepultum est.

CXXX. Quanta suo suorumque nomine exstruxit opera? Quam pia munificentia superque humanam evecta fidem templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera absumta igni restituit? Qui quidquid umquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum. Qua liberalitate quum alias, tum proxime incenso monte Coelio, omnis ordinis hominum iacturae patrimonio succurrit suo! Quanta cum quiete hominum, rem perpetui praecipuique timoris, supplementum, sine trepidatione delectus, providet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, aut Deorum cura, de his queri; quid hic meruit, primum, ut scelerata Drusus Libo iniret consilia; deinde, ut Silium Pisonemque tam [infestos haberet]: quorum alterius dignitatem constituit, auxit alterius? Ut ad maiora transscendam, quamquam et haec ille duxit maxima, quid, ut iuvenes amitteret filios? quid, ut nepotem ex Druso suo? Dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus laceravit animum eius? quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagravit incendio, quod ex nuru, quod ex ne-

pote dolere, indignari, erubescere coactus est? Cuius temporis aegritudinem auxit amissa mater eminentissima, et per omnia Deis quam hominibus similior femina; cuius potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

CXXXI. Voto finiendum volumen sit. Iupiter Capitoline ac Stator, et auctor Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quidquid Numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum, hanc pacem, [hunc Principem,] eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos; sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam huius suffecisse sensimus; consiliaque omnium civium aut pia * * [fovete aut impia opprimite.]

## FRAGMENTUM VELLEII EXCERPTUM EX GALLICA HISTORIA *).

Dum haec circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus grave vulnus populus Romanus accepit. Quippe Germanorum gentes, quod Rhaetias occupaverant, non longe ab Alpibus, tractu pari patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se confluunt, in ipsis Noricis finibus civitatem, non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt; quam appellabant Cisata (Cisara), ex nomine Deae Cisae, quam religiosissime colebant. Cuius templum quoque, ex lignis barbarico ritu constructum, postquam eo colonia Romanorum deducta est, inviolatum permansit, ac vetustate conlapsum, nomen colli servavit. Hanc urbem T. Annius Praetor, ad arcendas barbarorum excursiones Kal. Sextil. exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partem, qua sola a continenti erat, Praetor ipse cum legione Martia operosissime communivit, ad occidentem vero, quo barbarorum adventus

*) Hoc fragmentum invenisse se ait Wolfgangus Lazius Lib. I. Commentariorum Reip. Rom. cap. VIII. Inscriptio illius erat: VELLEII EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA. Etiam lib. V. eiusdem operis cap. V. et aliis aliquot locis, Velleiani huius fragmenti meminit Lazius. Sed qui nasum habet, satis odoratur, stylum eius sapere scriptorem, qui seculis aliquot Velleio iunior sit. Nec in re pauca sunt, quae peccentur. Ea adferrem, nisi id cum cura fecisset vir summus, Marcus Velserus, in rerum Augustanarum Vindelicarum libris. Sed monere operae pretium videtur, fragmentum hoc totum, paucis tamen insertis, legi apud Conradum a Liehtenau, Abbatem Urspergensem; quem in Chronico vide post ea, quae de anno MCLXVII. exposuit. Lemma eius capitis est: de Augusta Vindelicorum, vel Rhaetiae. Is Conradus anno MCCXV. refert se abbatem factum Urspergensem; historiam vero suam perduxit ad annum MCCXXIX. Quare aut ex Abbate Urspergensi id fragmentum fuerit, aut inde, unde ea hauserat Urspergensis. G. I. VOSSIUS. In quo tantum a stilo hoc fragmentum abhorreat, equidem nec docere, nec sentire possum, neque suppositum putare, cum quia medio aevo nemo sane, dum Velleius prorsus incognitus erat, sibi proponere potuit, Velleio aliquid affingere, tum quia narratio, quamquam hic ibi corrupta, ficta notas nullas prodit. CLUDIUS.

erat, Avar, Bogudis regis filius, cum equitatu omni et auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen et vallum, loco castris parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit; pulcra indoles, nec minus Romanis, quam Graecis litteris instructa. Igitur LIX die, quam eo ventum est, quum is dies, Deae Cisae celeberrimus, ludum et lasciviam magis, quam formidinem ostentaret: immanis barbarorum multitudo ex proximis silvis repente erumpens, ex improviso castra irrupit; equitatum omnem, et, quod miserrimum erat, auxilia sociorum delevit. Avar, quum in hostium potestatem regio habita vivus venisset, pecudis more mactatur. Oppidani vero non minori fortuna, sed maiori virtute, Praetorem in auxilium sociis properantem adoriuntur. Romani haud segniter resistunt. Duo principes oppidanorum, Habbeo [Habbino] et Caccus, in primis pugnantes, cadunt. Et inclinata iam res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in altera ripa iam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt; Praetorem, qui paullo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem, obtruncant; legionem Divinam [decimam], ut ne nuntius superesset, funditus delent. Verres solus, Tribunus militum, amne transmisso, in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit; nec multo post Siciliae Proconsul immani avaritia turpem mortem promeruit.

# LUCII ANNAEI FLORI

## EPITOME

# RERUM ROMANARUM

## LIBRI QUATUOR.

# LUCII ANNAEI FLORI

EPITOME

# RERUM ROMANARUM

LIBRI QUATUOR.

# L. ANNAEI FLORI

# RERUM ROMANARUM

## EPITOME.

## LIBER PRIMUS.

### PROOEMIUM.

Populus Romanus a rege Romulo in Caesarem Augustum se- 1
ptingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut,
si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, aetatem ultra
putet. Ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut, qui 2
res eius legunt, non unius populi, sed generis humani facta di-
scant; tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad consti-
tuendum eius imperium contendisse Virtus et Fortuna videantur.
Quare quum praecipue hoc quoque [sicut cetera,] operae preti- 3
um sit cognoscere, tamen, quia ipsa sibi obstat magnitudo, re-
rumque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod so-
lent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam
eius imaginem amplectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem
principis populi collaturus, si pariter atque insimul universam
magnitudinem eius ostendero. Si quis ergo populum Romanum 4
quasi hominem consideret, totamque eius aetatem percenseat,
ut coeperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam iuventae flo-
rem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus pro-
cessusque eius inveniet. Prima aetas sub Regibus fuit, prope 5
ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipsam matrem
cum finitimis luctatus est. Haec erit eius Infantia. Sequens a 6
Bruto Collatinoque Consulibus, in Appium Claudium, Quintum
Fulvium Consules, ducentos quinquaginta annos patet; quibus
Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum:
ideo quis Adolescentiam dixerit. Deinceps ad Caesarem Augu- 7
stum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit: hic iam ipsa
Iuventas imperii, et quasi quaedam robusta maturitas. A Cae- 8
sare Augusto in saeculum nostrum haud multo minus anni du-
centi: quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit;
nisi quod sub Traiano principe movet lacertos, et praeter spem
omnium senectus imperii, quasi reddita iuventute, revirescit.

## CAPUT I.

### DE ROMULO, PRIMO ROMANORUM REGE.

Primus ille et Urbis et Imperii conditor Romulus fuit, Marte genitus, et Rhea Silvia. Hoc de se sacerdos gravida confessa est; nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abiectus in profluentem cum Remo fratre non potuit exstingui. Siquidem et Tiberinus amnem repressit: et relictis catulis lupa secuta vagitum, ubera admovit infantibus, matremque se gessit. Sic repertos apud arborem, regii gregis paster tulit in casam, atque educavit. Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus: nam Lavinium patris Aeneae contempserat. Ab his Amulius bis septima sobole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. Igitur statim prima iuventae facie, patruum [Amulium] ab arce deturbat, avum reponit. Ipse fluminis amator et montium, apud quos erat educatus, moenia novae urbis agitabat. Gemini erant: uter auspicaretur et regeret, adhibere placuit Deos. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prius ille sex vultures; hic postea, sed duodecim videt. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus spei, bellatricem fore: ita adsuetae sanguine et praeda aves pollicebantur. Ad tutelam novae urbis sufficere vallum videbatur: cuius dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu, (dubium, an iussu fratris) occisus est. Prima certe victima fuit, munitionemque urbis novae sanguine suo consecravit. Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat. Incolae deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: et statim mira vis hominum, Latini Tuscique pastores: [quidam] etiam transmarini, Phryges, qui sub Aenea; Arcades, qui sub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum ipse fecit. Res erat unius aetatis; populus virorum. Itaque matrimonia a finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines, quae ad spectaculum venerant, praedae fuere. Et haec statim caussa bellorum. Pulsi fugatique Veientes. Caeninensium captum ac dirutum est oppidum. Spolia insuper opima de rege Feretrio Iovi [manibus suis] rex reportavit. Sabinis proditae portae per virginem: nec dolo; sed puella pretium rei, quae gerebant in sinistris, petierat: dubium clypeos, an armillas. Illi ut et fidem solverent, et ulciscerentur, clypeis obruere. Ita admissis intra moenia hostibus, atrox in ipso foro pugna, adeo ut Romulus Iovem oraret, *foedam suorum fugam sisteret*. Hinc templum et Stator Iupiter. Tandem saevientibus intervenere raptae lacoris comis. Sic pax facta cum Tatio, foedusque percussum: secutaque res mira dictu, ut, relictis sedibus suis, novam in urbem hostes demigrarent, et cum generis suis avitas opes pro dote sociarent. Auctis brevi viribus, hunc rex sapientissimus statum Reipublicae imposuit: iuventus divisa per tribus, in equis et in armis, ad subita belli excubaret: consilium Reipublicae penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ob aetatem *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repente, quum concionem

haberet ante Urbem apud Caprae paludem, e conspectu ablatus est. Discerptum aliqui a Senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas solisque defectio consecrationis speciem praebuere: cui mox Iulius Proculus fidem fecit, visum a se Romulum affirmans, augustiore forma, quam fuisset: mandare praeterea, ut se pro numine acciperent: *Quirinum* in coelo vocari; placitum Diis ita, ut gentium Roma potiretur. 17 18

## CAPUT II.

### DE NUMA POMPILIO.

Succedit Romulo Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis 1
agentem, ultro petiverunt ob inclitam viri religionem. Ille 2
sacra et caerimonias, omnemque cultum Deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures, Salios, ceteraque populi Romani sacerdotia; annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit. Ille Ancilia atque Palladium, secreta 3
quaedam imperii pignora, Ianumque geminum, Fidem pacis ac belli; inprimis focum Vestae virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum coelestium siderum custos imperii flamma vigilaret. [Haec omnia quasi monitu Deae Egeriae, quo magis barbari acciperent.] Eo denique ferocem populum redegit, ut, quod vi 4
et iniuria occuparat imperium, religione atque iustitia gubernaret.

## CAPUT III.

### DE TULLO HOSTILIO.

Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem 1
virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam, artemque bellandi condidit. Itaque mirum in modum 2
exercitata iuventute, provocare ausus Albanos, gravem et diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus proeliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus, utriusque 3
populi fata permissa sunt. Anceps et pulchra contentio, exitu- 4
que ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque, prout sequi poterant, adortus exsuperat. Sic (rarum alias decus!) unius 5
manu parta victoria est: quam ille mox parricidio foedavit. Flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus est ferro. Citavere leges nefas; sed abstulit virtus parricidam, et facinus 6
intra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenate bello missi in auxilium ex foedere, medii inter duos exspectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad ho- 7
stem videt, tollit animos, quasi ipse mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque 8
hoste victo, ruptorem foederis Mettum Fufetium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit; Albamque ipsam

quamvis parentem, aemulam tamen, diruit, quum prius omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur.

## CAPUT IV.

### DE ANCO MARCIO.

1 Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, pari ingenio.
2 Hic igitur et muro moenia amplexus est, et interfluentem [Urbi] Tiberim ponte commisit, Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit: iam tum videlicet praesagiens animo, futurum, ut totius mundi opes et commeatus illo velati maritimo Urbis hospitio reciperentur.

## CAPUT V.

### DE TARQUINIO PRISCO.

1 Tarquinius postea Priscus, quamvis transmarinae originis, regnum, ultro petens, accipit, ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Graecum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic et Senatus maiestatem numero ampliavit,
2 et centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat, vir summus augurio: quem rex in experimentum rogavit, *Fierine posset, quod ipse mente conceperat?* Ille
3 rem expertus augurio, *posse*, respondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitaram, an cotem illam secare novacula possem?* Augur, *Potes ergo*, inquit: et secuit. Inde Romanis sacer auguratus.
4 Neque pace Tarquinius, quam bello, promptior. Duodecim namque Tusciae populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeae, curules, anuli, phalerae, paludamenta, praetextae; inde, quod aureo curru quatuor equis triumphatur; togae pictae, tunicaeque palmatae; omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet.

## CAPUT VI.

### DE SERVIO TULLIO.

1 Servius Tullius deinceps gubernacula Urbis invadit. Nec ob-
2 scuritas inhibuit, quamvis matre serva creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberabiliter educarat: et cla-
3 rum fore, visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, substitutus in locum regis, quasi in tempus, regnum dolo partum sic egit industrie, ut
4 iure adeptus videretur. Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, decuriis atque collegiis distributus: summaque regis solertia ita est ordinata Respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima civitas minimae domus diligentia contineretur.

## CAPUT VII.

### DE TARQUINIO SUPERBO.

Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit, quam exspectare; immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quae, ut virum regem salutaret, supra cruentum patrem, vecta carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in Senatum caedibus, in omnes superbia, quae crudelitate gravior est bonis, grassatus, quum saevitiam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est. Sic valida oppida in Latio capta sunt Ardea, Ocricolum, Gabii, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos: neque enim filium verberare dubitavit, ut simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset. Cui Gabios, ut voluerat, recepto, atque per nuncios consulenti, *quid fieri vellet*, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, (quae superbia!) sic respondit. Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit. Quod quum inauguraretur, cedentibus ceteris Deis (mira res dictu!) restitêre Iuventas et Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: siquidem firma omnia et aeterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus aedem, in fundamentis humanum repertum est caput: nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimum imperii sedem caputque terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatissimae feminae Lucretiae stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum regibus abrogatum.

## CAPUT VIII.

### ANACEPHALAEOSIS DE SEPTEM REGIBUS.

Haec est prima aetas populi Romani, et quasi Infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria, tam variis ingenio, ut Reipublicae ratio et utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? Tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numa religiosius? Ita res poposcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Quid ille militiae artifex Tullus, bellatoribus viris quam necessarius, ut acueret ratione virtutem. Quid aedificator Ancus? Ut Urbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam vero ornamenta Tarquinii et insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus a Servio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosset Respubliea? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum, profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.

## CAPUT IX.

### DE MUTATIONE REIPUBLICAE.

1 Igitur Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiae decus, quodam quasi instinctu Deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suae vindices transfert, mutato tamen et iure et nomine. 2 Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: *Consules*que appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. 3 Tantumque libertatis novae gaudium incesserat, ut vix mutati status fidem caperet; alterumque ex Consulibus, tantum ob nomen et genus regium, fascibus abrogatis, Urbe dimitteret. 4 Itaque substitutus Valerius Poplicola, ex summo studio annixus est ad augendam liberi populi maiestatem. Nam et fasces ei pro concione submisit, et ius provocationis adversus ipsos dedit; et, ne specie arcis offenderet, eminentes aedes 5 suas in plana submisit. Brutus vero favori civium, etiam domus suae clade et parricidio, velificatus est. Quippe quum studere revocandis in Urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, et concione media virgis cecidit, et securi percussit: ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse 6 sibi populum videretur. Liber iam hinc populus Romanus, prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum [pro] gloria et imperio, laces- 7 sentibus assidue usquequaque finitimis: quippe cui patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomoerium, mediusque inter 8 Latium et Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagio quodam per singulos itum est, et, proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redegerunt.

## CAPUT X.

### BELLUM ETRUSCUM CUM REGE PORSENA.

1 Pulsis [ex] Urbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena, rex Etruscorum, ingentibus copiis aderat, et 2 Tarquinios manu reducebat. Hinc tamen, quamvis et armis, et fame urgeret, occupatoque Ianiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum paene victis amicitiae foedera 3 feriret. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Cloelia: quae nisi in annalibus forent, hodie fabulae 4 viderentur. Quippe Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte recisso transnatat 5 Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scaevola regem per insidias in castris ipsius adgreditur: sed ubi frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur, ardentibus focis iniicit manum, terro-

remque geminat dolo. *En, ut scias*, inquit, *quem virum effu-* 6
*geris. Idem crecenti iuravimus:* quum interim (immane dictu!)
hic interritus, ille trepidaret [tamquam manus regis arderet].
Sic quidem viri. Sed ne quis sexus a laude cessaret, ecce et vir- 7
ginum virtus! Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam,
Cloelia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem tot tan- 8
tisque virtutum territus monstris, *valere*, *liberosque esse* iussit.
Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu
sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere exspiravit
[plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur].

## CAPUT XI.

### BELLUM LATINUM.

Latini quoque Tarquinios asserebant aemulatione et invidia, 1
ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igi-
tur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ul-
tionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte 2
vario, donec Postumius ipse Dictator signum in hostes iacula-
tus est (novum et insigne commentum), uti peteretur [cursu].
Cossus equitum Magister exuere frenos imperavit (et hoc no- 3
vum), quo acrius incurrerent. Ea denique atrocitas fuit proelii, 4
ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit, duos in candidis
equis. Castorem atque Pollucem, nemo dubitavit. Itaque et
Imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit;
et reddidit, plane quasi stipendium commilitonibus Deis. Hac- 5
tenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis assidue
et sine intermissione pugnatum est. Cora (quis credat?) et Al- 6
gidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciae.
De Verulis et Bovillis pudet; sed triumphavimus. Tibur nunc 7
suburbanum et aestivae Praeneste deliciae, nuncupatis in Ca-
pitolio votis, petebantur. Idem tunc Faesulae, quod Carrae 8
nuper: idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus: Fregel-
lae, quod Gesoriacum: Tiberis, quod Euphrates. Coriolos 9
quoque (pro pudor!) victos adeo gloriae fuisse, ut captum op-
pidum Cnaeus Marcius [Coriolanus] quasi Numantiam aut Africam
nomini induerit. Exstant et parta de Antio spolia, quae Mae- 10
nius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit; si tamen
illa classis: nam sex fuere rostratae. [Sed hic numerus, illis
initiis, navale bellum fuit.] Pervicacissimi tamen Latinorum 11
Aequi et Volsci fuere, et quotidiani, ut sic dixerim, hostes.
Sed hos praecipue Titus Quintius domuit, ille Dictator ab ara- 12
tro qui obsessa ac paene iam capta Marci Minucii Consulis
castra egregia virtute servavit. Medium erat tempus forte se- 13
mentis, quum patricium virum, innixum aratro suo, lictor in
ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid a
rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iu-
gum misit. Sic expeditione finita, redit ab boves rursus tri- 14
umphalis agricola. Fidem numinum! qua velocitate? intra 15
quindecim dies coeptum peractumque bellum; prorsus, ut fe-
stinasse Dictator ad relictum opus videretur.

## CAPUT XII.

BELLUM CUM ETRUSCIS, FALISCIS ET FIDENATIBUS.

1 Assidui vero et anniversarii hostes ab Etruria [fuere] Veientes: adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit,
2 privatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. Satis superque idonea clades. Caesi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus: et scelerato signata nomine, quae proficiscentes in proe-
3 lium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces robustissima capta sunt,
4 oppida: vario quidem eventu. Falisci sponte se dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus deletique Veientes.
5 Falisci quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immerito: quod ludimagistrum, urbis proditorem, cum iis,
6 quos adduxerat, pueris, vinctum sibi ultro remisisset. Eam namque vir sanctus et sapiens veram sciebat victoriam, quae
7 salva fide et integra dignitate pareretur. Fidenae, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatae, et discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more pro-
8 cesserant: sed habitus ille feralis eversionis omen fuit. Veientium [Veii] quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte iureiurando, *ne, nisi capta urbe, remea-*
9 *ret*. Spolia de Larto Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo et subterraneis
10 dolis peractum urbis excidium. Ea denique visa est praedae magnitudo, cuius decimae Apollini Pythio mitterentur: univer-
11 susque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuere: nunc [fuisse] quis meminit? quae reliquiae? quodve vestigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

## CAPUT XIII.

BELLUM GALLICUM.

1 Hic sive invidia Deum, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus parumper Gallorum Senonum incursione suppri-
2 mitur. Quod tempus populo Romano nescio utrum clade fune-
3 stius fuerit, an virtutum experimentis speciosius. Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium
4 orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad homi-
5 num interitum, urbium stragem, videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris et cingente omnia Occano, ingenti agmine profecti, quum iam media vastassent, positis inter Alpes et Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam
6 vagabantur. Tum Clusium [urbem] obsidebant. Pro sociis ac foederatis populus Romanus intervenit. Missi ex more legati.

Sed quod ius apud barbaros? ferocius agunt: exinde certamen. 7
Conversis igitur a Clusio, Romamque venientibus, ad Alliam
flumen cum exercitu Fabius Consul occurrit. Non temere foe-
dior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso 8
exercitu, iam moenibus Urbis appropinquabant. Erant nulla
praesidia. Tum igitur, ut numquam alias, apparuit vera illa
Romana virtus. Iam primum maiores natu amplissimis usi ho- 9
noribus, in forum coëunt: ibi devovente Pontifice, se Diis Ma-
nibus consecrant: statimque in suas quisque aedes regressi, 10
sicut in trabeis erant, et amplissimo cultu, in curulibus sellis
sese posuerunt: ut, quum venisset hostis, in sua dignitate more-
rentur. Pontifices et Flamines, quidquid religiosissimi in 11
templis erat, partim in doliis defossa terrae recondunt, partim
imposita plaustris secum avehunt. Virgines simul ex sacerdotio 12
Vestae, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse
fugientes unus e plebe fertur Lucius Albinius, qui, depositis
uxore et liberis, virgines in plaustrum recepit: adeo tum
quoque in ultimis religio publica privatis affectibus antecelle-
bat. Iuventus vero, quam satis constat vix mille hominum 13
fuisse, duce Manlio arcem Capitolini montis insedit, obtestata
ipsum Iovem, quasi praesentem, *ut, quemadmodum ipsi ad de-
fendendum templum eius concucurrissent, ita ille virtutem eorum
numine suo tueretur.* Aderant interim Galli, apertamque Urbem 14
primo trepidi, ne qui subesset dolus, mox ubi solitudinem vi-
dent, pari clamore et impetu invadunt. Patentes passim domus
adeunt. Ibi sedentes in curulibus suis praetextatos senes, velut
Deos geniosque venerati, mox eosdem, postquam esse homines
liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordia ma-
ctant, facesque tectis iniiciunt: et totam Urbem igne, ferro,
manibus exaequant. Sex mensibus barbari (quis crederet?) circa 15
montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus
quoque omnia experti: quum tandem Manlius nocte subeuntes,
clangore anseris excitatus, a summa rupe deiecit: et ut spem 16
hostibus demeret, quamquam in summa fame, tamen ad spe-
ciem fiduciae, panes ab arce iaculatus est. Et stato quodam
die, per medios hostium custodias Fabium Pontificem ab arce
demisit, qui solemne sacrum in Quirinali monte conficeret. At-
que ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio re- 17
dit, propitiosque Deos renunciavit. Novissime, quum iam ob-
sidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum
venditantes, idque ipsum per insolentiam, quum ad iniqua pon-
dera addito adhuc gladio, insuper *vae victis* increparent, subito
adgressus a tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum
vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias 18
Diis immortalibus ipse tantae cladis nomine libet. Pastorum
casas ignis ille, et flamma paupertatem Romuli abscondit. In-
cendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac
Deorum domicilio civitas, non deleta, nec obruta, sed expiata
potius et lustrata videatur? Igitur post assertam a Manlio, 19
restitutam a Camillo Urbem, acrius etiam vehementiusque in
finitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam

gentem non contentus moenibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persecutus est duce Camillo, aout hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit: inde Torquati. Iterum Pomptino agro, quum [in] simili pugna Lucius Valerius, insi-2rdente galeae sacra alite adiutus, retulit spolia: inde Corvini. Nec non tandem post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit: ne quis exstaret in ea gente, quae incensam a se Romam urbem gloriaretur.

## CAPUT XIV.

### BELLUM LATINUM.

1 Conversus a Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decimo Mure Consulibus, semper quidem aemulatione imperii infestos, tum vero contemtu Urbis incensae; quum *ius civitatis*, *partem imperii et magistratuum* poscerent, atque iam amplius, quam 2 congredi auderent. Quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? quum alter Consulum filium suum, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem, occiderit; [quasi plus in impe-3 rio esset, quam in victoria:] alter quasi monitu Deorum, capite velato, primam ante aciem Diis Manibus se devoverit, ut, in 4 confertissima se hostium tela iaculatus, novum ad victoriam iter sanguine suo aperiret.

## CAPUT XV.

### BELLUM SABINUM.

1 A Latinis adgressus est gentem Sabinorum, qui immemores pactae sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se La-2 tinis adiunxerant. Sed Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, qua Nar, Anio, fontes Velini, Hadriatico tenus ma-3 ri, igne ferroque vastavit. Qua victoria, tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut, in utro plus esset, nec ipse posset aestimare, qui vicerat.

## CAPUT XVI.

### BELLUM SAMNITICUM.

1 Precibus deinde Campaniae motus, non pro se, sed [quod 2 est speciosius] pro sociis Samnitas invadit. Erat foedus cum utrisque percussum: sed hoc Campani sanctius et prius omnium suorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniti-3 cum tamquam sibi gessit. Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius caelo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. 4 Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, et tepentes fontibus 5 Baiae: Lucrinus et Avernus, quaedam maris otia. Hic amicti

vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus
omnium Vesuvius, Aetnaei ignis imitator. Urbes ad mare, For- 6
miae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et
ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam
Carthaginemque numerata. Pro hac urbe, his regionibus po- 7
pulus Romanus Samnitas invasit; gentem, si opulentiam quaeras,
aureis et argenteis armis, et discolori veste, usque ad ambitum
armatam: si fallaciam, saltibus fere et montium fraude grassan-
tem: si rabiem ac furorem, sacratis legibus humanisque ho-
stiis in exitium Urbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto
foedere, cladibusque ipsis animosiorem. Hos tamen quinqua- 8
ginta annis per Fabios et Papirios patres, eorumque liberos, ita
subegit ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie
Samnium in ipso Samnio requiratur: nec facile appareat mate-
ria quatuor et viginti triumphorum. Maxime tamen nota et il- 9
lustris apud Caudinas furculas ex hac gente clades, Veturio Po-
stumioque Consulibus, accepta est. Clauso per insidias intra 10
eum saltum exercitu, unde non posset evadere, stupens occasio-
ne tanta dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit, et
ille, *mitteret omnes, vel occideret*, sapienter, ut senior, suase-
rat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit; ut nec amicit
forent beneficio, et post flagitium hostes magis. Itaque et Con- 12
sules statim magnifice voluntaria deditione turpitudinem foede-
ris dirimunt, et ultionem flagitans miles, Papirio duce, (hor-
ribile dictu!) strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit;
et *in congressu arsisse omnium oculos*, hostis auctor fuit; nec
prius finis caedibus datus, quam iugum et hostibus et duci ca-
pto reposuerunt.

## CAPUT XVII.

### BELLUM ETRUSCUM ET SAMNITICUM.

Hactenus populus Romanus cum singulis gentium, mox acer- 1
vatim; tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum duodecim po-
puli, Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiae populus,
Samnitium reliqui, in excidium Romani nominis repente coniu-
rant. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum; et 2
late per Etruriam infesta quatuor agminum signa volitabant.
Ciminius interim saltus in medio, ante invius, [plane quasi Ca- 3
ledonius, vel Hercynius,] adeo tunc terrori erat, ut Senatus
Consuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed 4
nihil horum terruit ducem, quin fratre praemisso exploraret
accessus. Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia,
refert tutum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum
sine periculo explicavit. Nam subito inconditos atque palantes 5
adgressus est; captisque superioribus iugis in subiectos suo iure
detonuit. Ea namque species fuit illius belli, quasi in terrige- 6
nas e coelo ac nubibus tela mitterentur. Nec incruenta tamen 7
illa victoria: nam oppressus in sinu vallis alter Consulum Deci-
us, more patrio devotum Diis Manibus obtulit caput; sollen-
nemque familiae suae consecrationem in victoriae pretium redegit.

## CAPUT XVIII.

### BELLUM TARENTINUM ET CUM PYRRHO REGE.

1 Sequitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo et nomine, sed victoria multiplex. Hoc enim Calabros, Apulos, atque Lucanos, et caput belli Tarentinos, [id est, totam Italiam,] et cum istis omnibus Pyrrhum, clarissimum Graeciae regem, una veluti ruina pariter involvit, ut eodem tempore et Italiam con-
2 summaret, et transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus, Lacedaemoniorum opus, Calabriae quondam, et Apuliae, totiusque Lucaniae caput, quum magnitudine et muris portuque
3 nobilis, tum mirabilis situ: quippe in ipsis Hadriani maris faucibus posita, in omnes terras, Istriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui, ad prospectum maris positum, [maius] theatrum: quod quidem
4 caussa miserae civitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum adremigantem littori Romanam classem inde vident; atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant:
5 *qui enim aut unde Romani?* Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque foede per obscoenam tur-
6 pemque dictu contumeliam violant. Et hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus: qui semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totis viribus Epiri, Thessaliae, Macedoniae, incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insu-
7 per ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam, et fluvium Sirim, Laevino Consule, prima pugna: quae tam atrox fuit, ut Frentanae turmae praefectus Obsidius, invectus in regem, turbaverit, coëgeritque, proiectis insignibus, proelio excedere.
8 Actum erat, nisi elephanti conversi in spectaculum belli procurrissent: quorum quum magnitudine, tum deformitate et novo adore simul ac stridore consternati equi, quum incognitas sibi belluas, amplius quam erant, suspicarentur, fugam stra-
9 gemque late dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio, Fabricioque Consulibus: iam quippe belluarum terror exoleverat, et Caius Minucius quartae legionis hastatus, unius proboscide abscisa, mori posse belluas osten-
10 derat. Itaque et in ipsas pila congesta sunt, et in turres vibratae faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quam nox [dirimeret]; postremusque fugientium ipse rex a satellitibus humero saucius in armis suis
11 referretur. In Lucania suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis, ducibus iisdem [qui superius:] et tunc tota victo-
12 ria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit: qui quum per stragem suorum recurrens, stridore quereretur, mater agnovit, et, quasi vindicaret, exsiluit: tum omnia circa quasi hostilia gravi
13 timore permiscuit. Ac sic eaedem ferae, quae primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine contro-

versia tradiderunt. Nec vero tantum armis, et in campis, sed 14
consiliis quoque et domi intra Urbem cum rege Pyrrho dimi-
catum est. Quippe post primam victoriam rex callidus, intel-
lecta virtute Romana, statim desperavit armis, seque ad dolos
contulit. Nam interemptos cremavit, captivosque indulgenter 15
habuit, et sine pretio restituit; missusque dein legatis in Ur-
bem, omni modo annixus est, ut in amicitiam reciperetur.
Sed bello et pace, foris et domi, omnem in partem Romana 16
virtus tum se approbavit: nec alia magis, quam Tarentina vi-
ctoria, ostendit populi Romani fortitudinem, Senatus sapien-
tiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos 17
ab elephantis primo proelio obtritos accepimus? Omnium vul-
nera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in
manibus enses: et relictae in vultibus minae, et in ipsa morte
ira vivebat. Quod adeo Pyrrhus miratus est, ut diceret: 18
*O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Roma-
nis militibus, aut me rege Romanis!* Quae autem eorum, quis 19
superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? Quum Pyrrhus,
*Video me*, inquit, *plane Herculis sidere procreatum, cui, quasi
ab angue Lernaeo, tot caesa hostium capita de sanguine suo
renascuntur.* Quis autem ille Senatus fuit? quum perorante 20
Appio Caeco, pulsi cum muneribus suis ab Urbe legati, inter-
roganti regi suo, quid de hostium sede sentirent? *Urbem tem-
plum sibi visam, Senatum regum consessum* [*regnum Deum*]
*esse*, confiterentur. Qui porro ipsi duces vel in castris? Quum 21
medicum, venale regis Pyrrhi caput offerentem, Curius remi-
sit: Fabricius oblatam sibi a rege imperii partem repudiavit.
Vel in pace? Quum Curius fictilia sua Samnitico praeferret au- 22
ro: Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum Consularem
virum quasi luxuriam Censoria gravitate damnaret. Quis ergo 23
miretur his moribus, virtute, militia, victorem populum Roma-
num fuisse? unoque bello Tarentino intra quadriennium maxi-
mam partem Italiae, fortissimas gentes, opulentissimas urbes,
uberrimasque regiones in ditionem redegisse? Aut quid adeo 24
fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur?
Victor primo proelio Pyrrhus, tota tremente Campania, Lirim,
Fregellasque populatus, prope captam Urbem a Praenestina arce
prospexit, et a vicesimo lapide oculos trepidae civitatis fumo
ac pulvere implevit. Eodem postea bis exuto castris, bis sau- 25
cio, et in Graeciam suam trans mare ac terras fugato, pax et
quies: et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia, ut victo-
riam suam Roma non caperet. Nec enim temere ullus pulchri- 26
or in Urbem aut speciosior triumphus intravit. Ante hunc diem 27
nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gal-
lorum, fracta Samnitum arma vidisses: tum si captivos adspice-
res, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque
Lucanus: si pompas, aurum, purpura, signa, tabulae, Taren-
tinaeque deliciae. Sed nihil libentius populus Romanus adspe- 28
xit, quam illas, quas ita timuerat, cum turribus suis belluas, quae
non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus, victores equos
sequebantur.

## CAPUT XIX.

### BELLUM PICENUM.

1 Omnis mox Italia pacem habuit. Qui enim post Tarentum
2 auderent? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. Domiti ergo Picentes, et caput gentis Asculum, Sempronio duce: qui, tremente inter proelium campo, Tellurem Deam, promissa aede, placavit.

## CAPUT XX.

### BELLUM SALENTINUM.

1 Salentini Picentibus additi, caputque regionis Brundisium in-
2 clyto portu, Marco Atilio duce. Et in hoc certamine, victoriae pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.

## CAPUT XXI.

### BELLUM VOLSINIENSE.

1 Postremi Italicorum in fide mansere Volsinii, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos:
2 qui, libertate a dominis data, in ipsos se erexerant, translata-
3 que in se republica dominabantur. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, poenas dederunt.

## CAPUT XXII.

### DE SEDITIONIBUS.

1 Haec est secunda aetas populi Romani, et quasi Adolescentia, qua maxime viruit, et quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit. Ita, quae inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas, quid-
2 dam spirabat indomitum. Inde est, quod exercitus Postumium Imperatorem, inficiantem quas promiserat praedas, facta in castris seditione, lapidavit: quod sub Appio Claudio noluit vin-
3 cere hostem, quum posset: quod duce Volerone, detrectantibus plerisque militiam, fracti Consulis fasces: inde, quod [clarissimos] principes, quum adversarentur voluntati suae, exsulatione multavit: ut Coriolanum, colere agros iubentem; nec minus ille ferociter iniuriam armis vindicasset, nisi quod iam inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit:
4 ut ipsum Camillum, quod inique inter plebem et exercitum divisisse Veientem praedam videretur. Sed hic melior Veiis, in capta Urbe consenuit; et mox supplices de hoste [Gallo]
5 vindicavit. Cum Senatu quoque vehementius aequo bonoque certatum est; adeo ut relictis sedibus solitudinem et interitum patriae suae minaretur.

## CAPUT XXIII.

1 Prima discordia ob impotentiam foeneratorum: quibus, in terga quoque serviliter saevientibus, in Sacrum montem plebes armata secessit: aegreque, nec, nisi Tribunos impetrasset, Menenii Agrippae, facundi et sapientis viri, auctoritate revocata
2 est. Exstat orationis antiquae satis efficax ad concordiam fabu-

la, qua *dissedisse inter se quondam humanos* dixit *artus, quod, omnibus opere fungentibus, solus venter immunis ageret; deinde moribundos a seiunctione redisse in gratiam, quando sensissent, quod eius opera, redactis in sanguinem cibis, irrigarentur.*

## CAPUT XXIV.

Secundam in Urbe media Decemviratus libido conflavit. Allatas a Graecia leges decem principes lecti, iubente populo, conscripserant: ordinataque erat in duodecim tabulis tota iustitia, quum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante ceteros Appius eo insolentiae elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus et Lucretiae, [et regum,] et iuris, quod ipse composuerat. Itaque quum oppressam iudicio filiam trahi in servitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu sua interfecit: admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis, in carcerem et catenas ab Aventino monte detraxit. 1 2 3

## CAPUT XXV.

Tertiam seditionem excitavit matrimoniorum dignitas; ut plebes cum patriciis iungerentur: qui tumultus in monte Ianiculo, duce Canuleio, Tribuno plebis, exarsit.

## CAPUT XXVI.

Quartam bonorum cupido, ut plebes quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni. Quae quodam tempore, quod lictoriae virgae sonum ignotum penatibus suis expaverat, a sorore satis insolenter irrisa, iniuriam non tulit. Itaque nactus Tribunatum, honorum et magistratuum consortium, quamvis invito Senatui, extorsit. Verum in his ipsis seditionibus, principem populum non immerito suspexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, tum honorum decora et insignia vindicavit. Interque haec omnia, nullius acrior custos, quam libertatis fuit; nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi, quum ut in magno, et in dies maiore populo, interim perniciosi cives exsisterent. Maelium largitione, Spurium Cassium agraria lege suspectos regiae dominationis, praesenti morte multavit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumsit: hunc Quinctii Dictatoris imperio, in medio foro Magister Equitum Servilius Ahala confodit. Manlium vero Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius se et incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce deiecit. Talis domi ac foris; talis pace belloque populus Romanus fretum illud Adolescentiae, id est, secundam imperii aetatem habuit, in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

# L. ANNAEI FLORI
# RERUM ROMANARUM
## EPITOME.
## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT I.

PROOEMIUM.

1 Domita subactaque Italia, populus Romanus prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est robur, si qua iuventas: tum ille vere robustus, et iuvenis, et 2 par orbi terrarum esse coepit. Ita, (mirum, et incredibile dictu!) qui prope quingentis annis domi luctatus est, (adeo difficile fuerat dare Italiae caput!) his ducentis [annis, qui sequuntur,] Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.

### CAPUT II.

PRIMUM BELLUM PUNICUM.

1 Igitur victor Italiae populus, quum ad fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio silvas, intervenientis 2 flumine abrumpitur, paulisper substitit. Mox quum videret opulentissimam in proximo praedam, quodammodo Italiae suae abscisam, et quasi revulsam; adeo cupiditate eius exarsit, ut quatenus nec mole iungi, nec pontibus posset, armis belloque iungenda, et ad continentem suam revocanda [bello] videretur. 3 Sed ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit, quum de Poenorum impotentia foederata Siciliae civitas Messana quereretur. Affectabat autem ut Romanus, ita Poenus Siciliam, et eodem tempore, paribus uterque votis ac viribus, 4 imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios iuvandi, re autem sollicitante praeda; quamquam territaret novitas rei, (tanta tamen in virtute fiducia!) ille rudis, ille pastorius populus, vereque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis 5 an navibus, terra an mari dimicaretur. Appio Claudio Consule, primum fretum [tum] ingressus est, fabulosis infame monstris, aestuque violentum: sed adeo non est exterritus, ut illam 6 ipsam ruentis aestus violentiam pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronem, Syracusanum regem, tanta celeritate vicit, ut ille ipse prius se victum, quam hostem viderit, 7 fateretur. Duillio Cornelioque Consulibus, etiam mari congredi

ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatae auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem, quam caesa silva fuerat, centum sexaginta navium classis in ancoris stetit; ut non arte factae, sed quodam munere Deorum conversa in naves atque mutatae arbores viderentur. Proelii vero forma mirabilis: quum illas celeres volucresque hostium naves, hae graves tardaeque comprehenderent. Longe illis nauticae artes, detergere remos, et ludificari fuga rostra. Iniectae enim ferreae manus, machinaeque validae, ante certamen multum ab hoste derisae; coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, mersa et fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudium fuit? quum Duillius Imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a coena rediret, praelucere funalia et praecinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. Praetanta victoria leve [huius proelii] damnum fuit alter Consulum interceptus, Asina Cornelius: qui, simulato colloquio evocatus atque ita oppressus, fuit perfidiae Punicae documentum. Calatino Dictatore, fere omnia praesidia Poenorum, Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybaeo detraxit. Trepidatum estsemel circa Camerinensium saltum: sed eximia virtute Calpurnii Flammae, Tribuni militum, evasimus, qui, lecta trecentorum manu, infestum et insessum ab hostibus tumulum occupavit, adeoque moratus hostem, dum exercitus omnis evaderet. Acsic pulcherrimo exitu Thermopylarum et Leonidae famam adaequavit: hoc illustrior [noster], quod expeditioni tantae superfuit [et supervixit, licet nihil scripserit sanguine.] Lucio Cornelio Scipione, quum iam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia; serpente latius bello, in Sardiniam annexamque Corsicam transit. Olbiae ibi, hic Aleriae urbis excidio incolasterruit: adeoque omni terra, mari, Poenos expugnavit, ut iam victoriae nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Atilio Regulodace iam in Africam navigabat bellum: nec deerant, qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, augente insuper Tribuno Nautio metum: in quem, nisi paruisset, securi destricta, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox deindeventis remisque properatum est: tantusque terror hostici adventus Poenis fuit, ut apertis paene portis Carthago caperetur. Prima belli praemium fuit civitas Clypea: prima enim a Punicolittore quasi arx et specula procurrit. Et haec, et trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cummonstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africae nata, mirae magnitudinis serpens, posita apud Bagradamcastra vexaret. Sed omnium victor Regulus quum terrorem nominis sui late circumtulisset, quumque magnam vim iuventutis, ducesque ipsos, aut cecidisset, aut haberet in vinculis; classemque ingenti praeda onustam, et triumpho gravem, in Urbem praemisisset; iam ipsam caput belli Carthaginem urgebat obsidio, ipsisque portis inhaerebat. Hic paulum circumacta Fortunaest; tantum, ut plura essent Romanae virtutis insignia, cuius fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conversis ad

et octo annos habet) sed adeo cladium atrocitate terribilius, ut, si quis conferat damna utriusque populi, similior victo sit populus, qui vicit. Urebat nobilem populum ablatum mare, captae
2 insulae, dare tributa, quae iubere consueverat. Hinc in ultionem puer Hannibal ad aram patri iuraverat: nec morabatur.
3 Igitur in caussa belli Saguntos deleta est, vetus Hispaniae civitas et opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste
4 monumentum; quam in libertatem communi foedere exceptam, Hannibal, caussas novorum motuum quaerens, et suis et ipsorum manibus evertit, ut Italiam sibi rupto foedere aperiret.
5 Summa foederum Romanis religio est: itaque ad auditum sociae civitatis obsidium, memores icti cum Poenis quoque foederis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri
6 malunt. Interim iam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro
7 et igni corrumpunt. Huius tantae cladis auctor Hannibal poscitur. Tergiversantibus Poenis, dux legationis, *Quae*, inquit, *mora est?* [Fabius:] *In hoc ego sinu bellum pacemque porto: utrum eligitis?* Succlamantibus, *Bellum: Bellum igitur*, inquit, *accipite:* et excusso in media curia togae gremio, non sine hor-
8 rore [quasi plane sinu bellum ferret] effudit. Similis exitus belli initiis fuit: nam, quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae in illo publico parricidio incendioque mandassent, ita Manibus eorum, vastatione Italiae, captivitate Africae, ducum et regum, qui id gessere bellum, exitio parentatum est.
9 Igitur ubi semel se in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis atque tempestas; destinatumque Romanis iam diu fulmen Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes; et in Italiam ab illis fabulosae
10 altitudinis nivibus, velut caelo missa, descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum atque Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus; saucius etiam ipse venisset in manus hostium Imperator, nisi protectum patrem praetextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset.
11 Hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex ma-
12 lis eius habiturus. Ticino Trebia succedit. Hic secunda belli Punici procella desaevit, Sempronio Consule. Tunc callidissimi hostes frigidum et nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent (horribile dictu!) homines a meridie et sole
13 venientes nostra nos hieme vicerunt. Trasimenus lacus tertium fulmen Hannibalis, Imperatore Flaminio Ibi quoque ars nova Punicae fraudis: quippe nebula lacus, palustribusque virgultis
14 tectus eques, terga subito pugnantium invasit. Nec de Diis possumus queri: imminentem quippe temerario duci cladem praedixerant insidentia signis examina, et aquilae prodire nolentes, et commissam aciem secutus ingens terrae tremor: [nisi illum horrorem soli, equitum virorumque discursus, et mota vehe-
15 mentius arma fecerunt.] Quartum, id est, paene ultimum vulnus imperii Cannae, ignobilis Apuliae vicus; sed magnitudine cladis emersit, et sexaginta millium caede parta nobilitas. Ibi,

in exitium infelicis exercitus, dux, terra, coelum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simu-16 latis transfugis Hannibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus Imperator, patentibus in campis observato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus, et plurimus pulvis, et Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, ut, Romanis adversus haec omnia obversis, quasi secun-dum coelum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret. Itaque duo17 maximi exercitus caesi ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo: *Parce ferro.* Ducum effugit alter, alter oc-cisus est: dubium uter maiore animo. Paullum puduit: Varro non desperavit. Documenta cladis cruentus aliquamdiu Aufidus,18 pons de cadaveribus, iussu ducis, factus in torrente Vergelli; modii duo annulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura. Dubium deinde non erit, quin ultimum illum19 diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit, si (quod Poenum illum dixisse Maharbalem Himilconis ferunt) *Hannibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* Sed tum quidem illum, ut dici20 vulgo solet, aut fatum Urbis imperaturae, aut ipsius mens ma-la, et aversi a Carthagine Dii, in diversum abstulerunt. Quum21 victoria posset uti, frui maluit: relictaque Roma, Campaniam Tarentumque peragrare: ubi mox et ipse, et exercitus ardor elanguit; adeo ut verum dictum sit: *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campa-22 niae (quis crederet?) soles, et tepentes fontibus Baiae subege-runt. Interim respirare Romanus, et quasi ab inferis emergere.23 Arma non erant: detracta sunt templis. Deerat iuventus: in sa-cramentum [militiae] liberata servitia. Egebat aerarium: opes24 suas libens Senatus in medium protulit: nec, praeter quod in bullis singulisque annulis erat, quidquam sibi auri reliquerunt. Eques secutus exemplum, imitataeque equitem tribus. Denique25 vix suffecere tabulae, vix scribarum manus [Laevino Marcelloque Consulibus], quum privatae opes in publicum deferrentur. Quid26 autem in deligendis magistratibus, quae centuriarum sapientia, quum iuniores a senioribus consilium de creandis Consulibus petierunt? Quippe adversus hostem totiens victorem, tam calli-dum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis opor-tebat. Prima redeuntis, et, ut sic dixerim, revivisçentis imperii27 spes Fabius fuit: qui novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen novum, et Reipublicae salutare, *Cunctator.* Hinc illud ex populo, ut *Imperii scutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranos-28 que saltus sic maceravit Hannibalem, ut, qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce eti-29 am congredi ausus est. Cominus venit, et perculit in Campania sua, et ab obsidione Nolae urbis excussit. Ausus et Sempronio30 Graccho duce per Lucaniam sequi, et premere terga cedentis: quamvis tunc (o pudor!) servili manu pugnaret. Nam hucusque tot mala compulerant. [Sed libertate donati. Fecerat de servis virtus Romanos.] O horribilem in tot adversis fiduciam! O3-

singularem animum ac spiritum populi Romani! tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia sua dubitaret, ausus tamen est
32in diversa respicere: quumque hostis in iugulo per Campaniam Apuliamque volitaret, mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore et hunc sustinebat, et in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, divisa per orbem terrarum arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in una
33urbe superata est. Grande illud et ante id tempus invictum caput Syracusae, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, ali-
34quando cesserunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, et fons celebratus Arethusae: nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victae urbis parceretur.
35Sardiniam Gracchus arripuit. Nihil illi gentium feritas, Insano-
36rumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Saevitum in urbes, urbemque urbium Caralim, ut gens contumax,
37vilisque mortis, saltem desiderio patrii soli domaretur. In Hispaniam missi Cnaeus et Publius Scipiones, paene totam Poenis eripuerant; [sed insidiis Punicae fraudis oppressi rursus amiserant, magnis quidem illi proeliis quum Punicas opes cecidissent] sed Punicae insidiae alterum ferro castra metantem, alterum, quum evasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt.
38Igitur in ultionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Hannibalis eruditricem, (incredibile dictu!) totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas et Occa-
39num recuperavit: nescias citius, an felicius. Quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel una civitas probat: eodem quippe, quo obsessa est die, capta est: omenque Africanae victoriae fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago.
40Certum est tamen, ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros, puellasque praecipuae pulchritudinis, barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginita-
41tis integritate delibasse saltem vel oculis videretur. Haec inter diversa terrarum populus Romanus: nec ideo tamen Italiae visceribus inhaerentem submovere poterat Hannibalem. Pleraque ad hostem defecerant: et dux acerrimus contra Romanos Italicis
42quoque viribus utebatur. Iam tamen eum plerisque oppidis et regionibus excusseramus. Iam Tarentus ad nos redierat: iam et Capua, sedes [et domus] et patria altera Hannibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Poeno duci dolorem dedit, ut inde
43totis viribus Romam converteretur. O populum dignum orbis imperio! dignum omnium favore, et admiratione hominum ac Deorum! Compulsus ad ultimos metus, ab incepto non destitit: et de sua Urbe sollicitus, Capuam tamen non omisit; sed parte exercitus sub Appio Consule relicta, parte Flaccum in urbem
44secuta, absens simul praesensque pugnabat. Quid ergo miramur, moventi castra a tertio lapide Hannibali, iterum ipsos
45Deos, Deos inquam, (nec fateri pudebit) restitisse? Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum

violentia coorta, ut divinitus hostem submoveri, neque coelo, sed ab Urbis ipsius moenibus et Capitolio, ferri videretur. Ita-46 que fugit, et cessit, et in ultimum se Italiae recepit sinum, quum Urbem tantum non adoratam reliquisset. Parva res dictu,47 sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax: quod illis ipsis, quibus obsidebantur, diebus ager, quem Hannibal castris insederat, venalis Romae fuit, hastaeque subiectus invenit emptorem. Voluit Hannibal contra fiduciam imitari;48 subiecitque argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est. [ut scias, etiam praesagia fatis fuisse.] Nihil actum erat tanta49 virtute, tanto favore etiam Deorum: siquidem ab Hispania Hasdrubal, Hannibalis frater, cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat. Actum erat procul dubio, si vir ille50 se cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castra metantem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimo angulo51 Italiae submovebat Hannibalem. Livius in diversissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiae fauces, signa converterat. Tanto [id est, omni, qua longissima Italia,] solo interiacente;52 quo consilio, qua celeritate Consules castra coniunxerint, inopinanterque hostem collatis signis oppresserint, [neque id fieri Hannibal senserit,] difficile dictu est. Certe Hannibal, re co-53 gnita, quum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset, *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis*. Haec fuit illius viri, non sine praesagio quodam fati imminentis, prima confessio. Iam certum erat, Hannibalem, etiam ipsius confessione, posse54 vinci: sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus, magni aestimabat, asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole con-55 versus, imitari coepit Hannibalem, et Italiae suae clades in Africam vindicare. Quas ille (Dii boni!) Hasdrubalis copias,56 quos Syphacis exercitus fudit? Quae quantaque utriusque castra facibus illatis una nocte delevit? Denique iam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. Sic factum57 est, ut inhaerentem atque incubantem Italiae extorqueret Hannibalem. Non fuit maior sub imperio Romano dies, quam ille,58 quum duo omnium et ante et postea maximi duces, ille Italiae, hic Hispaniae victor, collatis cominus signis direxere aciem. Sed et colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt59 diu mutua admiratione defixi: ubi de pace non convenit, signa cecinere. Constat utriusque confessione, *nec melius instrui aci-*60 *em*, *nec acrius potuisse pugnari*. Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu praedicaverunt. Sed tamen61 Hannibal cessit: praemiumque victoriae Africa fuit, et secutus Africam statim terrarum orbis.

## CAPUT VII.

### BELLUM MACEDONICUM PRIMUM.

Post Carthaginem vinci neminem puduit. Secutae [sunt] sta- 1
tim Africam gentes, Macedonia, Graecia, Syria, ceteraque omnia, quodam quasi aestu et torrente fortunae: sic primi om- 2

nium Macedones, affectator quondam imperii populus. Itaque quamvis tunc Philippus regno praesideret, Romani tamen dimi-
3 care sibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum
4 nomine amplius, quam spectatione gentis fuit. Caussa coepit a foedere Philippi, quo rex iampridem dominantem in Italia Hannibalem sibi sociaverat: postea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, quum ille ultra ius victoriae
5 in templa, aras, et sepulcra ipsa saeviret. Placuit Senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe iam gentium reges, duces,
6 populi, nationes, praesidia sibi ab hac urbe petebant. Primo igitur, Laevino Consule, populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Graeciae littora veluti triumphanti classe peragra-
7 vit. Spolia quippe Siciliae, Sardiniae, Hispaniae, Africae praeferebat; et manifestam victoriam nata in praetoria puppi laurus
8 pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus, rex Pergamenorum: aderant Rhodii, nauticus populus; qui navibus [obvius]
9 a mari, Consul a terris, omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum adspectu: quae non spiculis, non sagittis, nec ullo Graeculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem patebant.
10 Enimvero Flaminio duce invios antea Chaonum montes, Aoum-
que amnem per abrupta cadentem, et ipsa Macedoniae claustra
11 penetravimus. Introisse victoria fuit. Nam numquam postea ausus congredi rex. Ad tumulos, quos Cynoscephalas vocant,
12 uno, ac ne hoc quidem iusto proelio opprimitur. Et illi quidem Consul pacem dedit, regnumque concessit: mox, ne quid esset hostile, Thebas, et Euboeam, et grassantem sub Nabide
13 suo Lacedaemona compescuit. Graeciae vero veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis, et avita libertate frueretur.
14 Quae gaudia, quae vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeae in theatro quinquennalibus ludis a praecone caneretur? Quo certavere plausu? Quid florum in Consulem profuderunt?
15 Et iterum iterumque praeconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiae pronunciabatur: nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu fruebantur.

## CAPUT VIII.

### BELLUM SYRIACUM REGIS ANTIOCHI.

1 Macedoniam Asia statim, et regem Philippum Antiochus excepit, [quodam casu,] quasi de industria sic adgubernante Fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus caussis, imperium procederet, et cum terrarum orbis situ ipse ordo victoriarum navigaret.
2 Non aliud formidolosius fama bellum fuit; quippe quum Persas, et Orientem, Xerxen atque Darium cogitarent; quando perfossi
3 invii montes, quando velis opertum mare nunciaretur. Ad hoc coelestes minae territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic faventis Asiae suae numinis timor erat.

Nec sane viris, opibus, armis, quidquam copiosius Syria: sed 4
in manus tam ignavi regis inciderat, ut nihil fuerit in Antiocho
speciosius, quam quod a Romanis victus est. Impulere regem 5
in id bellum, illinc Thoas, Aetoliae princeps, inhonoratam apud
Romanos querens adversus Macedones militiae suae societatem:
hinc Hannibal, qui, in Africa victus, profugus et pacis impa-
tiens, hostem populo Romano toto orbe quaerebat. Et quod 6
illud fuisset periculum, si se consiliis eius rex tradidisset, id
est, si Asiae viribus usus fuisset miser Hannibal? Sed rex, suis
opibus et nomine regio fretus, satis habuit bellum movere.
Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hic 7
Lysimachiam urbem, in littore Thracio positam a maioribus
suis, Antiochus ut hereditario iure reptebat. Hoc velut sidere,
Asiatici belli mota tempestas. Et maximus regum contentus 8
fortiter indixisse bellum, quum ingenti strepitu ac tumultu mo-
visset ex Asia, occupatis statim insulis, Graeciaeque littoribus,
otia et luxus [tamquam victor] agitabat. Euboeam insulam, con- 9
tinenti adhaerentem, tenui freto reciprocantibus aquis Euripus
abscidit. Hic ille positis aureis sericisque tentoriis, sub ipso
freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret,
collatis undique, quamvis per hiemem, rosis, ne non aliquo
ducem genere agere videretur, virginum puerorumque delectus
habebat. Talem ergo regem, ium luxuria sua debellatum, popu- 10
lus Romanus, Acilio Glabrione Consule, [in insula adgressus,]
ipso statim adventus sui nuncio coëgit ab insula fugere. Tum 11
praecipitem apud Thermopylas adsecutus [locum trecentorum
Lacorum speciosa caede memorandum], ne ibi quidem fiducia
loci resistentem, mari ac terra cedere coëgit. Statim et ex ve- 12
stigio itur in Syriam. Classis regia Polyxenidae Hannibalique
commissa: nam rex proelium nec spectare poterat. Igitur duce
Aemilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur. Ne 13
sibi placeant Athenae! in Antiocho vicimus Xerxen; in Aemilio
Themistoclem [Alcibiaden] aequavimus; Epheso Salamina pen-
savimus. Tum Consule Scipione, cui frater ille, modo victori 14
Carthaginis, Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari
regem placet: et iam toto cesserat mari; sed nos imus ulterius.
Maeandrum ad amnem montemque Sipylum castra ponuntur. 15
Hic rex, incredibile dictu! quibus auxiliis, quibus copiis conse-
derat: trecenta millia peditum; equitum, falcatorumque curru-
um non minor numerus. Elephantis ad hoc immensae magnitu- 16
dinis, auro, purpura, argento, et suo ebore fulgentibus, aciem
utrimque vallaverat. Sed haec omnia praepedita magnitudine 17
sua: ad hoc imber, qui subito superfusus, mira felicitate Per-
sicos arcus corruperat: primum trepidatio, mox fuga, dehinc
triumphus fuerunt. Victo et supplici pacem atque partem regni
dari placuit, eo libentius, quod tam facile cessisset.

## CAPUT IX.

### BELLUM AETOLICUM.

Syriaco bello successit, et debebat, Aetolicum. Victo 1
quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur.

2 Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput
3 gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Secuta deditio est. Aderant Aetolorum precibus Attici, Rhodii: et me-
4 mineramus auxilii. Sic placuit ignoscere. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephalleniam, Zacynthon, et quidquid insularum in eo mari inter Ceraunios montes ingumque Malcum, Aetolici belli accessio fuerunt.

## CAPUT X.

### BELLUM HISTRICUM.

1 Histri sequuntur Aetolos: quippe bellantes eos nuper adiuverant: et initia pugnae prospera hosti fuerant, eademque exitii
2 caussa. Nam quum Cnaci Mallii [Manlii] castra cepissent, opimaeque praedae incubarent, epulantes ac ludibundos plerosque, aut, ubi essent, prae poculis nescientes, Appius Pulcher inva-
3 dit. Sic cum sanguine et spiritu male partam revomuere victoriam. Ipse rex Aepulo, equo impositus, quum subinde crapula et capitis errore lapsaret, captum sese vix et aegre, postquam experrectus est, didicit.

## CAPUT XI.

### BELLUM GALLOGRAECUM.

1 Gallograeciam quoque Syriaci belli ruina involvit. Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an cupidus triumphi Mallius eos
2 visos simulaverit, dubium [est]. Certe negatus est victori tri-
3 umphus; quia caussam belli non approbavit. Ceterum gens Gallograecorum, [sicut ipsum nomem indicio est,] mixta et adulterata est: [inde] reliquiae Gallorum, qui sub Brenno duce vastaverant Graeciam: mox Orientem secuti, in media Asiae
4 parte sederunt. Itaque ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita
5 est. Duobus itaque proeliis fusi fugatique sunt: quamvis sub adventu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent, Tolistobogi Olympum, Tectosagi Magabam insederant. Utrimque fundis sagittisque acti, in perpetuam se pacem dedi-
6 derunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus et ore tentassent, quum offocandas invicem fauces
7 praebuissent. Nam Ortiagontis regis uxor, a Centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam evasit, revulsumque militis caput ad maritum retulit.

## CAPUT XII.

### BELLUM MACEDONICUM SECUNDUM.

1 Dum aliae aliaeque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam,
2 Macedonia se rursus erexit. Fortissimum populum memoria et recordatio suae nobilitatis agitabat: et successerat Philippo filius

Perses, qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam non
putabat ex gentis dignitate. Multo vehementius sub hoc Mace- 3
dones, quam sub patre, consurgunt. Quippe Thracas in vires
suas traxerant: atque ita industriam [Macedonum] viribus Thra-
cum, ferociam Thracum disciplina Macedonica temperavere.
Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum sum- 4
mo speculatus Haemo, positis per abrupta castris, ita Macedo-
niam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum,
nisi a coelo venturis hostibus videretur. Nam, Marcio Philippo 5
Consule, eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis
diligenter accessibus, praeter Ascuridem paludem, per acerbos
dubiosque tumulos, illa, qua volucribus quoque videbatur invia,
accessit: regemque securum, et nihil tale metuentem, subita 6
belli irruptione terruit. Cuius tanta trepidatio fuit, ut pecuni-
am omnem in mare iusserit mergi, ne periret: classem cremari,
ne incenderetur. Paullo Consule, quum maiora et crebriora 7
essent imposita praesidia, per alias vias Macedonia deprensa est;
summa quidem arte et industria ducis, quum alia esset minatus,
alia irrupisset. Cuius adventus ipse adeo terribilis regi fuit, 8
ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandaverit.
Absens ergo victus, fugit in maria, insulamque Samothracen, 9
fretus celebri religione, quasi templa et arae possent defendere,
quem nec montes sui, nec arma potuissent. Nemo regum diu- 10
tius amissae fortunae conscientiam retinuit. Supplex quum scri-
beret ad imperatorem ab illo, quo confugerat, templo, nomen-
que [epistolae] notaret suum, *Regem* addidit. Sed nec reveren- 11
tior captae maiestatis alius Paullo fuit. Quum in conspectum
venisset hostis, in templum recepit, et conviviis adhibuit, libe-
rosque admonuit suos, ut Fortunam, cui tantum liceret, reve-
rerentur. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus 12
de Macedonia duxit atque vidit triumphum: quippe cuius spe-
ctaculo triduum impleverit. Primus dies signa, tabulasque: se- 13
quens arma, pecuniasque transvexit: tertius captivos, ipsumque
regem, attonitum adhuc, tamquam subito malo stupentem. Sed 14
multo prius gaudium victoriae populus Romanus, quam episto-
lis victoris praeceperat: quippe eodem die, quo victus est Per-
ses in Macedonia, Romae cognitum est. Duo iuvenes candidis 15
equis apud Iuturnae lacum pulverem et cruorem abluebant: hi
nunciavere. Castorem et Pollucem fuisse creditum vulgo, quod
gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: a
Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

## CAPUT XIII.

### BELLUM ILLYRICUM.

Macedonici belli contagio traxit Illyrios. Ipsi quidem ut Ro- 1
manum a tergo distringerent, a Perse rege conducti pecunia,
militaverunt. Sine mora ab Anicio Praetore subiguntur. Scor- 2
dam caput gentis delesse suffecit: statim secuta deditio est.
Denique hoc bellum ante finitum est, quam geri Romae nun-
ciaretur.

## CAPUT XIV.

### BELLUM MACEDONICUM TERTIUM.

1 Quodam fato, quasi ita convenisset inter Poenos et Macedonas, ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique
2 arma moverunt; sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto,
3 quam ante, gravior, dum contemnitur. Causa belli prope erubescenda: quippe regnum pariter et bellum vir ultimae sortis Andriscus invaserat, dubium liber an servus, mercenarius certe: sed quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi [*Pseudophilippus*] vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo
4 quoque regio implevit. Igitur dum haec ipsa contemnit populus Romanus, Iuventio Praetore contentus, virum non Macedonicis modo, sed Thraciae quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentavit: invictusque a veris regibus, ab illo imaginario et scenico rege superatur. Sed Consule Metello amissum cum
5 legione Praetorem plenissime ultus est. Nam et Macedoniam servitute multavit, et ducem belli deditum ab eo, ad quem confugerat, Thraciae regulo, in Urbem in catenis reduxit: hoc quoque illi in malis indulgente Fortuna, ut de eo populus Romanus, quasi de vero rege, triumpharet.

## CAPUT XV.

### BELLUM PUNICUM TERTIUM.

1 Tertium cum Africa bellum, et tempore exiguum, (nam quadriennio patratum est,) et, in comparatione priorum, minimum labore, (non enim tam cum viris, quam cum ipsa urbe, pugnatum est,) sed plane maximum eventu: quippe eo tandem Car-
2 thago finita est. Atque si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est bellum, profligatum secundo,
3 tertio vero confectum. Sed huius causa belli, quod contra foederis legem adversus Numidas quidem reparasset classem et
4 exercitum, frequens autem Masinissae fines territabat. Sed huic, ut bono socioque regi, favebatur. Quum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio *delendam esse Carthaginem*, et quum de alio consuleretur, pronunciabat:
5 Scipio Nasica servandam, ne, metu ablato aemulae [urbis], luxuriari felicitas Urbis inciperet. Medium Senatus elegit, ut
6 urbs tantum loco moveretur. Nihil enim speciosius videbatur,
7 quam esse Carthaginem, quae non timeretur. Igitur Manilio Censorinoque Consulibus, populus Romanus adgressus Carthaginem, spe pacis iniecta, traditam a volentibus classem sub ipso
8 ore urbis incendit. Tum evocatis principibus, *si salvi esse vellent, ut migrarent finibus*, imperatum. Quod pro rei atrocitate
9 adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice, et statim pari voce clamatum, ad arma; seditque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes ulla iam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quam suis
10 romanibus everti. Qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intel-

ligi potest, quod in usum novae classis tecta domosque resciderunt: in armorum officinis aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est: in tormentorum vincula matronae crines suos contulerunt. Manilio deinde Consule, terra marique ferve- 11
bat obsidio. Operis portus nudatus; et primus, et sequens, iam et tertius murus; quum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Quamvis profligato urbis excidio, 12
tamen fatale Africae nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa Respublica, finem belli reposcebat. Hunc Paullo Macedonico procreatum Africani illius magni filius, in decus gentis adsumpserat, hoc scilicet fato, ut, quam urbem concusserat avus, nepos eius everteret. Sed ut quam 13
maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum: sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. Com- 14
pulsis in unam arcem hostibus, portum quoque maris Romanus obsederat. Illi autem sibi portum ab alia urbis parte foderunt: nec ut fugerent, sed qua nemo illos nec evadere posse credebat. Inde quasi enata subito classis erupit: quum interim iam die- 15
bus, iam noctibus, nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis novissime rebus, qua- 16
draginta se millia virorum dediderunt: quod minus credas, duce Hasdrubale. Quanto fortius femina, et uxor ducis! quae, 17
comprehensis duobus liberis, a culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quae Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, ut de ceteris taceam, vel ignium mora 18
probari potest: quippe per continuos decem et septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant: ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

## CAPUT XVI.

### BELLUM ACHAICUM.

Quasi saeculum illud eversionibus urbium curreret, ita Car- 1
thaginis ruinam statim Corinthos excepit, Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum, quasi spectaculo exposita. Haec (o facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numero certorum hostium referretur. Critolaus caussa 2
belli, qui, libertate a Romanis data, adversus ipsos usus est, legatosque Romanos, dubium an et manu, certe oratione violavit. Igitur Metello, ordinanti tum maxime Macedoniam, 3
mandata est ultio: et hinc Achaicum bellum. Ac primam Critolai manum Metellus Consul per patentes Elidos campos toto cecidit Alpheo. Et uno proelio peractum erat bellum: iam et 4
urbem ipsam terrebat obsidio: sed (o fata rerum!) quum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit. Hic alterius 5
ducis Diaei late exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tum ab incolis deserta civi- 6
tas, direpta primum, deinde, tuba praecinente, delecta est. Quid

signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum atque proiectum est! Quantas opes et abstulerit et cremaverit, hinc scias, quod, quidquid Corinthii aeris toto orbe laudatur,
7 incendio superfuisse comperimus. Nam et aeris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae urbis fecit iniuria: quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, aeris, auri, argentique venae in commune fluxere.

## CAPUT XVII.

### RES IN HISPANIA GESTAE.

1 Ut Carthaginem Corinthos, ita Corinthon Numantia secuta
2 est. Nec deinde toto orbe quidquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissimarum urbium incendia, late atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut illae urbes, quasi agitantibus ventis, diffudisse quae-
3 dam belli incendia toto orbe viderentur. Hispaniae numquam animus fuit, adversum nos universae consurgere: numquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publice: alioquin ita undique mari Pyrenaeoque vallata est, ut ingenio situs nec adiri quidem potuerit.
4 Sed antea a Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret; et sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, in-
5 tellexit. In hac prope ducentos per annos dimicatum est, a primis Scipionibus in Caesarem Augustum, non continuo, nec cohaerenter, sed prout caussae lacessierant: nec cum Hispanis initio, sed cum Poenis in Hispania: inde contagio et series
6 caussaque bellorum. Prima per Pyrenaeum iugum signa Romana Publius et Cnaeus Scipiones intulerunt: proeliisque ingentibus Hannonem et Hasdrubalem [fratrem Hannibalis] ceciderunt: raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri, in ipsa victoria sua oppressi, Punica fraude cecidissent, terra marique
7 victores. Igitur quasi novam integramque provinciam ultor patris et patrui Scipio ille, mox Africanus, invasit: isque statim, capta Carthagine et aliis urbibus, non contentus Poenos expulisse, stipendiariam nobis provinciam fecit: omne citra ultraque Iberum subiecit imperio, primusque Romanorum ducum victor
8 ad Gades et Oceani ora pervenit. Plus est provinciam retinere, quam facere. Itaque per partes iam huc, iam illuc missi duces, qui ferocissimas, et ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus ser-
9 vire docuerunt. Cato ille Censorius Celtiberos, id est, robur Hispaniae, aliquot proeliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum et quinquaginta urbium eversione mul-
10 otavit. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruit, meruerat et Celtibericus fieri, quum et Contrebiam memorabili
11 cepisset exemplo, et Nertobrigae maiore gloria pepercisset. Lucullus Turdulos atque Vaccaeos; de quibus Scipio ille posterior, singulari certamine, quum rex fuisset provocator, opima retu-
12 lerat. Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque,

et omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis: peragratoque victor Oceani littore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore, deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit et Numan- 13
tinis, nec immerito: quippe solis gentium Hispaniae duces contigerunt. Fuisset et cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summus vir, astutus et audax, si res cessisset, Olondicus, qui hastam argenteam quatiens, ve- 14
lut coelo missum, vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. Sed quum pari temeritate sub nocte castra Consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est. Cae- 15
terum Lusitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimae: qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, et, si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus: non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum et Tagum, igni ferroque populatus; castra eti- 16
am Praetorum et Praesidum adgressus, Claudium Unimanum paene ad internecionem exercitus cecidit, et insignia trabeis et fascibus nostris, quae ceperat, in montibus suis trophaea fixit. Tandem eum etiam Fabius Maximus Consul oppresserat; sed a suc- 17
cessore Caepione Servilio violata victoria est: quippe qui conficiendae rei cupidus, fractum ducem, et extrema deditionis agitantem, per fraudem, et insidias, et domesticos percussores adgressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.

## CAPUT XVIII.

### BELLUM NUMANTINUM.

Numantia, quantum Carthaginis, Capuae, Corinthi opibus in- 1
ferior, tantum virtutis nomine et honore par omnibus, summumque, si viros aestimes, Hispaniae decus: quippe quae sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Du- 2
rium sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos undecim sola sustinuit: nec sustinuit modo, sed saevius aliquanto perculit, pudendisque foederibus affecit. Novissime quum invictam esse constaret, opus fuit eo, qui Carthaginem everterat. Non temere, si fateri licet, ullius caussa belli iniu- 3
stior. Segidenses, socios et consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant. Habita pro eis deprecatio nihil valuit. 4
Quum se ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi foederis pretium, iussi *arma deponere*. Hoc sic a barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. Itaque statim, Megaravito fortissimo duce, ad arma conversi. Pompeium proelio adgressi, foedus tamen maluerunt, quum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum: hunc quoque assiduis caedibus ita 5
subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret. Tamen quum hoc quoque foedus maluere, 6
contenti armorum manubiis, quum ad internecionem saevire potuissent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius foe- 7

deris, flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus
8 quidem praesenti flagitii deditione Mancini expiavit: ceterum
duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto,
9 tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acrius in castris,
quam in campo, nostro cum milite, quam cum Numantino,
10proeliandum fuit. Quippe assiduis et iniustis et servilibus ma-
xime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent;
luto inquinari, qui sanguine nollent, iubebantur. Ad hoc scor-
ta, calones, sarcinae, nisi ad usum necessariae, amputantur.
11*Tanti esse exercitum, quanti imperatorem*, vere proditum est.
Sic redacto in disciplinam milite, commissa acies: quodque ne-
mo visurum se umquam speraverat, factum est, ut fugientes
12Numantinos quisquam videret. Dedere etiam sese volebant, si
toleranda viris imperarentur. Sed quum Scipio veram vellet et
sine exceptione victoriam, eo necessitatum compulsi, primum,
ut destinata morte in proelium ruerent, quum se prius epulis,
quasi inferiis, implevissent, carnis semicrudae, et celiae (sic
13vocant indigenam ex frumento potionem). Intellectum ab im-
peratore consilium: itaque non est permissa pugna morituris.
Quum fossa atque lorica, quatuorque castris circumdatos fames
premeret; ab duce orantes proelium, ut tamquam viros occide-
14ret, ubi non impetrabant, placuit eruptio. Sic conserta manu
plurimi occisi; et quum urgeret fames, aliquantisper inde vixe-
runt. Novissime consilium fugae sedit: sed hoc quoque, ruptis
equorum cingulis, uxores ademere, summo scelere, per amo-
15rem. Itaque deplorato exitu, in ultimam rabiem furoremque
conversi, postremo mori hoc genere destinarunt: duces suos,
seque, patriamque, ferro et veneno, subiectoque undique igne
16peremerunt. Macte o fortissimam, et, meo iudicio, beatissi-
mam in ipsis malis civitatem! Asseruit cum fide socios, popu-
lum orbis terrarum viribus fultum tam parva manu, aetate tam
17longa sustinuit. Novissime maximo duce oppressa civitas nullum
18de se gaudium hosti reliquit. Unus enim vir Numantinus non
fuit, qui in catenis duceretur. Praeda, ut de pauperrimis, nul-
la: arma ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

## CAPUT XIX.

1 Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus,
atque magnificus: reliqua saeculi, ut grandia aeque, ita vel ma-
gis turbida et foeda; crescentibus cum ipsa magnitudine impe-
2 rii vitiis: adeo ut si quis hanc tertiam eius aetatem transma-
rinam, quam ducentorum annorum fecimus, dividat, centum
hos priores, quibus Africam, Macedoniam, [Siciliam,] Hispa-
niam domuit, *aureos*, (sicut poëtae canunt) iure meritoque fa-
3 teatur: centum sequentes *ferreos* plane et cruentos, et si quid
immanius: quippe qui Iugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis,
Parthicis Piraticis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus
*coelum ipsum* gloria adscendit, Gracchanas, Drusianasque caedes,

ad hoc servilia bella miscuerit: et, ne quid turpitudini desit, gladiatoria. Denique, in se ipse conversus, Marianis atque Sullanis, novissime Pompeii et Caesaris manibus, quasi per rabiem, et furorem (nefas!) semet ipse laceravit. Quae si iuncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul et ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur: priusque, ut coepimus, iusta illa et pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo crescentis in dies imperii appareat: tum ad illa civium scelera, turpesque et impias pugnas revertemur. 4 5 6

## CAPUT XX.

### BELLUM ASIATICUM.

Victa ad Occasum Hispania, populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modo, sed inusitata et incognita quadam felicitate, relictae regiis hereditatibus opes, et tota insimul regna veniebant. Attalus, rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, socii quondam commilitonisque nostri, testamentum reliquit: *Populus Romanus honorum meorum heres esto.* [In bonis regiis haec fuerunt.] Adita igitur hereditate, provinciam populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed, quod est aequius, testamenti iure retinebat. Sed hanc, difficile dictu est, utrum facilius amiserit, an recuperaverit. Aristonicus, regii sanguinis ferox iuvenis, urbes, regibus parere consuetas, partim facile sollicitat: paucas resistentes, Myndon, Samon, Colophona, vi recepit. Crassi quoque Praetoris cecidit exercitum, ipsumque cepit: sed ille, memor et familiae et Romani nominis, custodem sui barbarum virgula excoecat, et in exitium sui, quod volebat, ita concitat. Mox a Perpenna domitus et captus, et per deditionem in vinculis habitus. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quae res, ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum contra fas Deum, moresque maiorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violasset. 1 2 3 4 5 6 7

# L. ANNAEI FLORI
# RERUM ROMANARUM
## EPITOME.
## LIBER TERTIUS.

### CAPUT I.

BELLUM IUGURTHINUM.

1 Haec ad Orientem: sed non ad Meridianam plagam eadem quies. Qui speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?
2 Atqui non leviter se Numidia concussit: et fuit in Iugurtha, quod post Hannibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis inclytum, [et invictum,] opibus adgressus est: et citra spem omnium fortuna cessit, ut rex, fraude
3 praecipuus, fraude caperetur. Hic, avo Masinissa et Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quam Senatum populumque Romanum, quorum in fide et clientela regnum erat,
4 metueret, primum scelus mandat insidiis: potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam
5 Senatum. Et haec fuit de nobis eius prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent, similiter adgressus, quum in Scauro ipsos Romani imperii mores
6 expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed non diu latent scelera. Corruptae nefas legationis erupit: placuitque
7 bello persequi parricidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia Consul immittitur: sed rex, peritus, fortius adversus
8 Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. Cuius flagitii reus, quum interveniente publica fide a Senatu accerseretur, pari audacia et venit, et competitorem imperii [Masinissae]
9 Massivam, immisso percussore, confecit. Haec altera contra regem fuit caussa bellandi. Igitur sequens ultio mandatur Albino. Sed huius quoque (pro dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur: addito etiam turpi foedere in pretium salutis, quem
10 oprius emerat, dimisit exercitum. Eo tandem tempore in ultionem non tam imperii Romani, quam pudoris, Metellus adsurgit: qui callidissime hostem nunc precibus, nunc minis, iam simulata, iam vera fuga eludentem, artibus suis adgressus est.
11 Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa *Numidiae* capita impetum fecit. Et Zamam quidem frustra diu

voluit; ceterum Thalam, gravem armis thesaurisque regis, diripuit. Tunc urbibus exutum regem, et iam finium suorum re-12
gnique fugitivum, per Mauros atque Getuliam sequebatur. Po-13
stremo Marius, auctis admodum copiis, quum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, iam fusum et saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum et recentem. Hic et urbem Herculi conditam Capsam, in14
media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit: et saxeo inditam monti Mulucham urbem,15
per Ligurem, aditu arduo inaccessoque, penetravit. Mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauretaniae regem, iure sanguinis Numidiam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi diffisus rebus suis alienae cladis accessio16
fieri timet, pretium foederis atque amicitiae regem facit. Sic17
fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est, et Sullae in manum traditur; tandemque opertum catenis Iugurtham in triumpho populus Romanus adspexit: sed ille quo-18
que, quamvis victus atque vinctus, vidit Urbem, quam venalem, et quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. Iam, ut venalis fuisset, habuit emptorem: et, quum illum evaserit, certum erat, [eam] non esse perituram.

## CAPUT II.

### BELLUM ALLOBROGICUM.

Sic ad Meridiem populus Romanus. Multo atrocius, et mul- 1
tipliciter magis a Septemtrione saevitum. Nihil hac plaga infestius. Atrox coelum, perinde ingenia. Omni igitur tractu 2
violentus hostis, a dextris atque laevis, et medio Septemtrionis, erupit. Prima trans Alpes arma nostra sensere Salluvii; quum 3
de incursionibus eorum fidelissima atque amicissima civitas Massilia quereretur. Allobroges deinde et Arverni, quum adversus 4
eos similes Aeduorum querelae opem et auxilium nostrum flagitarent. Varusque victoriae testis, Isara et Vindelicus amnes, et impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror ele- 5
phanti fuere, immanitati gentium pares. Nihil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat. Utriusque victoriae 6
quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc aestimari potest, quod et Domitius Aenobarbus et Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant, in locis saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixerunt: quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Numquam enim populus Romanus hostibus domitis victoriam [suam] exprobravit.

## CAPUT III.

### BELLUM CIMBRICUM, TEUTONICUM, ET TIGURINUM.

Cimbri, Teutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliae pro- 1
fugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quaerebant: exclusique et Gallia et Hispania, quum in 2

Italiam demigarent, misere legatos in castra Silani; inde ad Senatum, petentes, *ut Martius populus aliquid sibi terrae daret quasi stipendium: ceterum, ut vellet, manibus atque armis suis* 3 *uteretur.* Sed quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus inter se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant pre- 4 cibus, armis petere constituunt. Sed nec primum [quidem] impetum barbarorum Silanus, nec secundum Mallius, nec tertium 5 Caepio sustinere potuerunt: omnes fugati, exuti castris. Actum erat, nisi Marius illi saeculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies, et impetus, quem pro virtute barbari habent, con- 6 senesceret. Recessere igitur increpantes, et (tanta erat capiendae Urbis fiducia) consulentes, *si quid ad uxores suas mandarent.* Nec segnius, quam minati fuerant, tripertito agmine per Alpes, 7 id est, claustra Italiae, ferebantur. Marius, mira statim velocitate, occupatis compendiis, praevenit hostem: prioresque Teutonos, sub ipsis Alpium radicibus, adsecutus, in loco, quem Aquas Sextias vocant, quo (fidem numinum!) proelio op- 8 pressit! Vallum fluviumque medium hostes tenebant: nostris aquarum nulla copia. Consultone id egerit imperator, an errorem in consilium verterit, dubium: certe necessitate aucta virtus caussa victoriae fuit. Nam flagitante aquam exercitu, *Si* 9 *viri*, inquit, *estis, en illic habetis!* Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque caedes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquae biberit, quam sanguinis barbaro- 10rum. Certe rex ipse Teutobochus, quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, quum fugeret, adscendit; proximoque in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit: 11quippe vir proceritatis eximiae super tropaea ipsa eminebat. Sublatis fundîtus Teutonis, in Cimbros convertitur. Hi iam (quis crederet?) per hiemem, quae altius Alpes levat, Tridentinis iu- 12gis in Italiam provoluti ruina descenderant. Athesin flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica primum corporibus adgressi, postquam retinere amnem manibus et clypeis frustra tentaverant, ingesta obrutum silva transiluere: 13et, si statim infesto agmine Urbem petissent, grande discrimen esset: sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli coelique clementia robur elanguit. Ad hoc panis usu, carnisque coctae, et dulcedine vini mitigatos, Marius in tempore 14adgressus est. Iam diem pugnae a nostro imperatore petierunt, et sic proximum dedit. In patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere. Inde ad sexaginta millia ceciderant: hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. 15Istic quoque imperator addiderat virtuti dolum, secutus Hannibalem artemque Cannarum: primum, nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret; tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos et ora ferretur; tum acie conversa in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere coelum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: quum obiectis undique plaustris, atque carpentis, altae desuper, quasi e tur-

ribus, lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors ea-
rum fuit, quam pugna. Nam quum missa ad Marium legatione, 16
libertatem ac sacerdotium non impetrassent (nec fas erat), suffo-
catis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vul-
neribus, aut vinculo e crinibus suis facto, ab arboribus iugisque
plaustrorum pependerunt. Boiorix rex in prima acie dimicans 17
impigre, nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus,
quae, quasi in subsidium, Noricos insederat Alpium tumulos,
in diversa lapsi, fuga ignobili et latrociniis evanuit. Hanc 18
tam laetum, tamque felicem liberatae Italiae, assertique imperii
nuncium, non per homines, [ut solebat] populus Romanus ac-
cepit, sed per ipsos, si credere fas est, Deos. Quippe eodem 19
die, quo gesta res est, visi pro aede Castoris et Pollucis iuve-
nes laureati Praetori litteras tradere: frequensque in spectaculo
rumor, *Victoriae Cimbricae feliciter!* dixit. Quo quid admi- 20
rabilius, quid insignius fieri potest? Quippe velut elata monti-
bus suis Roma spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio
munere fieri solet, uno eodemque momento, quum in acie Cim-
bri succumberent, populus in Urbe plaudebat.

## CAPUT IV.

### BELLUM THRACIUM.

Post Macedonas, si Diis placet, Thraces rebellabant. Ipsi 1
quondam tributarii Macedonum, nec in proximas modo provin-
cias contenti incurrere, Thessaliam atque Dalmatiam; in Hadria-
ticum mare usque venerunt: eoque fine non contenti, quasi in-
terveniente natura, contorta in ipsas aquas tela miserunt. Nihil 2
interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in capti-
vos saevientibus: litare Diis sanguinem humanum, bibere in os-
sibus capitum, cuiusquemodi ludibrio foedare mortem tam igni
quam fumo; partus quoque gravidarum mulierum extorquere
tormentis. Saevissimi omnium Thracum Scordisci fuere; sed 3
calliditas quoque ad robur accesserat. Silvarum et montium 4
situs cum ingenio consentiebant. Itaque non fusus modo ab
his, aut fugatus, sed (simile prodigio) omnino totus interceptus
exercitus, quem duxerat Cato. Didius vagos et libera popula- 5
tione diffusos intra suam repulit Thraciam. Drusus ulterius
egit, et vetuit transire Danubium. Minutius toto vastavit He-
bro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen
equitatur. Piso Rhodopen Caucasumque penetravit. Curio Da- 6
cia tenus venit: sed tenebras saltuum expavit. Appius in Sar-
matas usque pervenit; Lucullus ad terminum gentium Tanain,
lacumque Maeotin. Nec aliter cruentissimi hostium, quam suis 7
moribus, domiti: quippe in captivos igni ferroque saevitum
est. Sed nihil barbaris atrocius visum est, quam quod absci-
sis manibus relicti, vivere superstites poenae suae iubebantur.

## CAPUT V.

### BELLUM MITHRIDATICUM.

1 Ponticae gentes a Septemtrione in [mare] sinistrum iacent, a Pontico cognominatae mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus Aletas: post Artabazes, a septem Persis oriundus: 2 inde Mithridates omnium longe maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, decem et septem anni Hannibali sufficerint; ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine 3 Pompeii consumeretur. Caussam quidem illius belli praetenderat apud Cassium Legatum, *attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico:* ceterum elatus animis ingentibus, Asiae totius, et, 4 si posset, Europae cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant nostra vitia: quippe quum civilibus bellis distringeremur, invitabat occasio: nudumque imperii latus ostentabant procul 5 Marius, Sulla, Sertorius. Inter haec Reipublicae vulnera et hos tumultus, repente, quasi captato tempore, in lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli, ab ultima veluti 6 specula Septemtrionis eruplt. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia inde pari terrore correpta est. Nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisque descitum est. 7 Aderat, instabat, saevitia quasi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno eius edicto, quum omnes, qui in Asia forent, Romanae civitatis homines interfici iussit? Tum quidem domus, templa et arae, humana omnia atque divina iura violata sunt. 8 Sed hic terror Asiae Europam quoque regi aperiebat. Itaque missis Archelao Neoptolemoque Praefectis, excepta Rhodo, quae pro nobis stetit, ceterum Cyclades, Delos, Euboea, et ipsum 9 Graeciae decus, Athenae, tenebantur. Italiam iam, ipsamque urbem Romam regius terror afflabat. Itaque Lucius Sulla festinat, vir armis optimus: parique violentia ruentem ulterius ho-10stem [quadam] quasi manu repulit: primumque Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit. Mox subruto Pyraeei portu, sex [quoque] et amplius muris, postquam domuerat ingratissimos, ut ipse dixit, hominum, in honorem tamen mortuorum, sacris suis fa-11maeque donavit. Mox quum Euboea atque Boeotia praesidia regis dispulisset, omnes copias uno apud Chaeroneam, apud Orchomenon, altero bello dissipavit: statimque in Asiam transgressus ipsum opprimit: et debellatum foret, nisi de Mithri-12date triumphare cito, quam vere, maluisset. Ac tum quidem hunc Asiae statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis foedus: recepit Bithyniam a rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam: [ac sic erat] Asia rursus nostra, ut coeperat: Mithridates 13tantum repulsus. Itaque non fregit ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia et Europa quodammodo inescatus, non iam quasi alienam, sed, quia amiserat, quasi raptam belli iure 14repetebat. Igitur ut exstincta parum fideliter incendia maiore flamma reviviscunt; ita ille de integro, auctis maiorem in modum *copiis*, tota denique regni sui mole, in Asiam rursus ma-

ri, terra, fluminibusque veniebat. Cyzicum nobilis civitas, arce,15
moenibus, portu turribusque marmoreis, Asiaticae plagae littora illustrat. Hanc ille, quasi alteram Romam, toto invaserat bello. Sed fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens16
adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus, et pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix evaserat. Mox clade conversa, quum17
ex mora obsidentem regem fames, et ex fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus adsequitur, adeoque cecidit, ut Granicus et Aesapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus, Ro-18
manaeque avaritiae peritus, spargi a fugientibus sarcinas et pecuniam iussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari,19
quam terra fuga: quippe centum amplius navium classem, apparatumque belli gravem, in Pontico mari adgressa tempestas, tam foeda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret: plane quasi Lucullus, quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur. Attritae20
iam omnes validissimi regni vires erant; sed animus malis augebatur. Itaque conversus ad proximas gentes, totum paene21
Orientem ac Septemtrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, et utraeque sollicitantur Armeniae: perque omnia decus et nomen et titulos Pompeio suo Fortuna quaerebat. Qui, ubi22
novis motibus ardere Asiam videt, aliosque ex aliis prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coïrent, statim ponte navibus facto, omnium ante se primus transit Euphraten: regemque fugientem media nactus Armenia23
(quanta felicitas viri!) uno praelio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, et Luna in partibus; quippe [quasi commilitans,] quum a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras suas, quasi hostium corpora, petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus24
est: nihil enim postea valuit, quamquam omnia expertus, more anguium, qui, obtrito capite, postremum cauda minantur. Quip-25
pe quum effugisset hostem Colchos, Siciliae quoque littora et Campaniam nostram subito adventu terrere voluit: Colchis tenus iungere Bosporon, inde per Thraciam, Macedoniam et Graeciam transilire: sic Italiam nec opinatus invadere. Tantum co-26
gitavit. Sed defectione civium Pharnacisque filii scelere praeventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit. Cnaeus27
interim Magnus rebellis Asiae reliquias sequens, per diversa gentium terrarumque volitabat. Nam sub Orientem secutus Armenios, captis in ipso capite gentis satrapis [Artaxatis,] supplicem iussit regnare Tigranem. At in Septemtrionem Scythicum28
iter, tamquam in mari, stellis secutus, Colchos cecidit: ignovit Iberiae: pepercit Albanis, regemque horum Oroezen, [Colchorum Orodem,] positis sub ipso Caucaso castris, iussit in plana descendere: Arthocen, qui Iberis imperabat, et obsides liberos dare. Oroezen etiam remuneratus est, ultro ab Albania sua lectulum aureum et alia dona mittentem. Nec non et in Meri-29
diem verso agmine, Libanum Syriae Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per thuris et balsami silvas, Romana

circumtulit signa. Arabes, si quid imperaret, praesto fuere.
30 Hierosolyma defendere tentavere Iudaei: verum haec quoque intravit, et vidit illud grande impiae gentis arcanum patens, sub aureo vites coelo: dissidentibusque de regno fratribus arbiter factus, regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia reno-
31 vabat imperium, catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Romanus totam, qua latissima est, Asiam pervagatus, quam extremam habebat imperii provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui foedus maluerunt, et Indis, qui adhuc nos nec noverant; omnis Asia inter Rubrum mare, et Caspium, et Oceanum, Pompeianis domita vel oppressa signis tenebatur.

## CAPUT VI.

### BELLUM PIRATICUM.

1 Interim dum populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria; sublatisque commerciis, rupto foedere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate, prae-
2 cluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridatis proeliis Asia, dum sub alieni belli tumultu,
3 exterique regis invidia, impune grassantur. Ac primum duce Isidoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, [Epirum] et Achaiam sinumque Maleum, quod a spoliis *Aureum*
4 ipsi vocavere, latrocinabantur: missusque in eos Publius Servilius, quamvis leves et fugaces myoparonas gravi et Martia classe
5 turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbes eorum, et diutina praeda abundantes, Phaselin et Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciae: unde, conscius sibi magni laboris, *Isaurici* co-
6 gnomen adamavit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed ut quaedam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli, in aquas suas resiluerunt; et aliquanto latius,
7 quam prius. Sic Cilix quoque dignus victoria Pompeii visus est, et Mithridaticae provinciae factus accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel et in perpetuum volens exstinguere,
8 divino quodam apparatu adgressus est. Quippe quum classibus suis et socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus Legatis atque Praefectis utraque Ponti et Oceani ora complexus est. Gellius
9 Tusco mari impositus; Plotius Siculo. Gratilius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris nostri limen
10 aperitur. Lentulus Libycum; Marcellinus Aegyptium; Pompeii iuvenes Hadriaticum; Varro Terentius Aegaeum et Ponticum; Pamphylium Metellus; Asiaticum Caepio; ipsas Propontidos fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam, obsera-
11 vit. Sic per omnis aequoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quidquid piratarum fuit, qua-
12 dam indagine inclusum [et oppressum] est. Ipse Pompeius in *originem fontemque* belli Ciliciam versus est: nec hostes detre-

ctavere certamen, non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur. Sed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undique rostra vide- 13
runt, abiectis statim telis remisque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. Non alias tam in- 14
cruenta victoria usi umquam sumus; sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, et mediterraneis agris quasi obligavit. Eodemque tempore et usum 15
maris navibus recuperavit, et terrae homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? Velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est? an vero perpetuitatem, quod amplius piratae non fuerunt?

## CAPUT VII.

### BELLUM CRETICUM.

Creticum bellum, si vera volumus [noscere], nos fecimus, so- 1
la vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur; hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam 2
Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma, portaret. Dedit itaque poenas vecordiae. Nam plerasque naves intercepere 3
hostes; captivaque corpora religata velis ac funibus pependere: ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque 4
populatus, intra castella et urbes redegit, et Gnosson, et Erythraeam, et, ut Graeci dicere solent, *urbium matrem* Cydoneam: adeoque saeve in captivos consulebatur, ut veneno se ple- 5
rique conficerent; alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et quum ille res in Asia gerens, eo quoque Praefe- 6
ctum misisset Antonium, in aliena provincia irritus fuit: eoque infestior Metellus in hostes ius victoris exercuit; victisque Lasthene et Panare, Cydoneae ducibus, victor redit. Nec quidquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen *Creticum* reportavit.

## CAPUT VIII.

### BELLUM BALEARICUM.

[Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus adsue- 1
verat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque *Balearicus* vocaretur.] Baleares per id tempus in- 2
sulae piratica rabie maria corruperant. Homines feros atque silvestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. Adscendere etiam inconditas rates, et praeter navigantes subinde 3
inopinato impetu terruere. Sed quum venientem ab alto Ro- 4
manam classem prospexissent, praedam putantes, ausi etiam occurrere: et primo impetu, ingenti lapidum saxorumque nimbo

classem operuerunt. Tribus quisque fundis proeliatur. Certos esse quis miretur ictus, quum haec sola genti arma sint: id unum ab infantia studium. Cibum puer a matre non accipit, nisi quem, ipsa monstrante, percussit. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Nam, postquam cominus ventum est, expertique rostra et pila venientia, pecudum in morem clamore sublato, petierunt fuga littora, dilapsique in proximos tumulos, quaerendi fuerunt, ut vincerentur.

## CAPUT IX.

### EXPEDITIO IN CYPRON.

Aderat fatum insularum. Igitur et Cypros recepta sine bello. Insulam veteribus deliciis abundantem, et ob hoc Veneri sacram, Ptolemaeus regebat. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus, et donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit. Ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit: quae res latius aerarium populi Romani, quam ullus triumphus, implevit.

## CAPUT X.

### BELLUM GALLICUM.

Asia Pompeii manibus subacta, reliqua, quae restabant in Europa, Fortuna in Caesarem transtulit. Restabant autem immanissimi gentium Galli atque Germani: et quamvis toto orbe divisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia. Primus Gallias motus ab Helvetiis coepit, qui Rhodanum inter et Rhenum siti, non sufficientibus terris, venere sedes petitum, incensis moenibus suis. Hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Caesar, Rhodani ponte rescisso, abstulisset fugam; statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, reduxit. Sequens longe longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Hic quum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fugam exercitu, rapto fugientis e manu scuto, in primam volitans aciem, manu proelium restituit. Inde cum Venetis etiam navale bellum; sed maior cum Oceano, quam cum ipsis navibus, rixa: quippe illae rudes et informes, et statim naufragae, quum rostra sensissent. Sed haerebat in vadis pugna, quum aestibus solitis cum ipso certamine subductus Oceanus intercedere bello videretur. Illae quoque accessere diversitates pro gentium locorumque natura. Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant; iussit includi. Morini dilabebantur in silvas; iussit incendi. Nemo tantum feroces dixerit Gallos; fraudibus agunt. Indutiomarus Treviros, Ambiorix concitavit Eburones. Utrique, *absente* Caesare, coniuratione facta, invasere Legatos. Sed ille

fortiter a Tito Labieno submotus est, relatumque regis caput: hic, insidiis in valle dispositis, dolo perculit. Itaque et castra direpta sunt, et Aurunculeium Cottam cum Titurio Sabino Legatos amisimus. Nec ulla de rege mox ultio: quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis: nec 9
enim fas erat, ut liber esset receptator hostium atque defensor. Et prima contra Germanos illius pugna, iustissimis quidem ex10
caussis. Haedui enim de incursionibus eorum querebantur. Quae Ariovisti regis superbia? Quum legati dicerent, *Veni ad*11
*Caesarem: Quis est autem Caesar?* et, *Si vult, veniat*, inquit: et, *Quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me*12
*interpono Romanis?* Itaque tantus gentis novae terror in castris, ut testamenta passim, et in principiis, scriberentur. Sed illa immania corpora, quo maiora erant, eo magis gladiis ferroque patuerunt. Qui calor in proeliando militum fuerit, nullo13
magis exprimi potest, quam quod, elatis super caput scutis, quum se testitudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, et inde in iugulos gladiis descendebant. Iterum de14
Germano Tencteri querebantur. Hic vero iam Caesar ultro Mosellam navali ponte transgreditur, ipsumque Rhenum, et Hercyniis hostem quaerit in silvis: sed in saltus ac paludes genus omne diffugerat. Tantum pavoris incussit intra ripam subito Romana vis. Nec semel Rhenus, sed iterum quoque, et quidem15
ponte facto, penetratus est. Maior aliquanto trepidatio: quippe quum Rhenum suum sic ponte, quasi iugo, captum viderent, fuga rursus in silvas ac paludes: et, quod acerbissimum Caesari16
fuit, non fuere, qui vincerentur. Omnibus terra marique captis, respexit Oceanum: et quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparata, Britanniam transit mira celeritate: quippe quum tertia vigilia Morino solvisset a portu, minus quam medio die insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico littora, et trepidantia ad conspe-17
ctum rei novae carpenta volitabant. Itaque trepidatio pro victoria fuit. Arma et obsides accepit a trepidis: et ulterius isset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reversus18
igitur in Galliam, classe maiore auctisque [admodum] copiis, in eundem rursus Oceanum eosdemque rursus Britannos Caledonias secutus in silvas, unum quoque e regibus Cassivelaunianis [Cantianis] in vincula dedit. Contentus his (non enim pro-19
vinciae, sed nomini studebatur), cum maiore, quam prius, praeda revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis et propitio, quasi imparem ei se fateretur. Sed maxima omnium20
eademque novissima coniuratio fuit Galliarum, quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanosque contraxit, ille corpore, armis, spirituque terribilis, nomine etiam quasi ad terrorem composito, Vercingetorix: ille festis21
diebus, et conciliabulis, quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius pristinum libertatis erexit. Aberat tunc22
Caesar, Ravennae delectum agens: et hieme creverant Alpes: sic interclusum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuncium rei felicissimae temeritatis? Per invios ad id tempus montium

tumulos, per intactas vias et nives, expedita manu emensus, occupat Galliam, et ex distantibus hibernis castra contraxit; et
23ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. Tum ipsa capita belli adgressus, urbes; Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium sustulit; Alesiam ducentorum quinqua-
24ginta millium iuventute subnixam flammis adaequavit. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit: quippe quum
25octoginta millia muro et arce et abruptis defenderent, maximam civitatem vallo, sudibus, et fossa, inductoque fossae flumine, ad hoc decem et octo castellis, ingentique lorica circumdatam, primum fame domuit; mox audentem eruptiones, in vallo, gla-
26diis, sudibusque concidit: novissime in deditionem redegit. Ipse ille rex, maximum victoriae decus, supplex quum in castra venisset, equum et phaleras et sua arma ante Caesaris genua proiecit: *Habe*, inquit. *Fortem virum, vir fortissime, vicisti.*

## CAPUT XI.

### BELLUM PARTHICUM.

1 Dum Gallos per Caesarem in Septemtrione debellat, [ipse] interim ad Orientem grave vulnus a Parthis populus Romanus
2 accepit. Nec de Fortuna queri possumus: caret solatio clades. Adversis et Diis et hominibus, cupiditas Consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, et ipsius capite
5 multata est. Tribunus plebis Atheius [Metellus] exeuntem ducem hostilibus Diris devoverat: et quum Zeugma transisset exer-
4 citus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: et quum apud Nicephorium castra posuisset, missi ab Orode rege legati denunciavere, *Percussorum cum Pompeio foederum Sullaque*
5 *meminisset.* Regiis inhians ille thesauris, nihil, ne imaginario
6 quidem iure, sed *Seleuciae se responsurum esse*, respondit. Itaque Dii, foederum ultores, nec insidiis nec virtuti hostium de-
7 fuerunt. Iam primum, qui solus et subvehere commeatus, et munire poterat a tergo, relictus Euphrates: tum simulato transfugae cuidam Mazarae Syro creditur, dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, ut undique
8 hosti exponeretur. Itaque vixdum venerat Carras, quum undique Praefecti regis, Silaces et Surenas, ostendere signa auro sericisque vexillis vibrantia. Tunc sine mora circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa pa-
9 riter tela fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus. Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi Tribunis reluctantibus, fugam ducis barbari ferro occupassent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti
10fuit. Filium ducis, paene in conspectu patris, eisdem telis operuerunt. Reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractae, vix nuncium
11cladis retulerunt. [Caput eius recisum cum dextera manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut, cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exsangue corpus auro uteretur.]

## CAPUT XII.

ANACEPHALAEOSIS.

Haec est illa tertia aetas populi Romani transmarina, qua 1
Italia progredi ausus, orbe toto arma circumtulit. Cuius aeta- 2
tis superiores centum anni sancti, pii, et, ut diximus, *aurei*,
sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc et innoxia pasto-
riae illius sectae integritas, dumque Poenorum hostium immi-
nens metus disciplinam veterem continebat. Posteri centum, 3
quos a Carthaginis, Corinthi, Numantiaeque excidiis, et Attali
regis Asiatica hereditate deduximus in Caesarem et Pompeium,
secutumque hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum
bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri et erube-
scendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappado- 4
ciam, uberrimas validissimasque provincias, Armenios etiam,
et Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem magna
nomina acquisisse, pulchrum atque decorum: ita eodem tempore 5
dimicasse domi cum civibus, sociis, mancipiis, gladiatoribus,
totoque inter se Senatu, turpe atque miserandum. Ac nescio, 6
an satius fuerit populo Romano, Sicilia et Africa contento fuisse,
aut his etiam ipsis carere, dominanti in Italia sua, quam eo
magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur. Quae enim 7
res alia civiles furores peperit, quam nimia felicitas? Syria
prima nos victa corrupit: mox Asiatica Pergameni regis here-
ditas. Illae opes atque divitiae afflixere saeculi mores: mersam-
que vitiis suis, quasi sentina, Rempublicam pessumdedere. Unde 8
enim populus Romanus a Tribunis agros et cibaria flagitaret,
nisi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana et
prima et secunda, et illa tertia Appuleiana seditio. Unde [re- 9
gnaret] iudiciariis legibus divulsus a Senatu eques, nisi ex ava-
ritia, ut vectigalia Reipublicae, atque ipsa iudicia in quaestu
haberentur? Hinc rursus et promissa civitas Latio, et per hoc
arma sociorum. Quid autem? Bella servilia unde nobis, nisi 10
ex abundantia familiarum? Unde gladiatorii adversum dominos
suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa lar-
gitio, dum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium ar-
tem facit? Iam ut speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus 11
honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atquin inde Mariana,
inde Sullana tempestas. Aut magnificus apparatus conviviorum, 12
et sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox ege-
statem? Haec Catilinam patriae suae impegit. Denique illa 13
ipsa principatus et dominandi cupido, unde, nisi ex nimiis opi-
bus [venit]? Atquin haec Caesarem atque Pompeium furialibus
in exitium Reipublicae facibus armavit. Hos igitur [populi Ro- 14
mani] omnes domesticos motus, separatos ab externis iustisque
bellis, ex ordine prosequemur.

## CAPUT XIII.

CAUSSA SEDITIONUM TRIBUNICIA POTESTAS.

Seditionum omnium caussas Tribunicia potestas excitavit: quae 1
specie quidem plebis tuendae, cuius in auxilium comparata est,

re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem, agrariis, frumentariis, iudiciariis legibus aucupabatur.
2 Inerat omnibus species aequitatis. Quid enim tam iustum,
quam recipere plebem ius suum a patribus, ne populus gentium
3 victor, orbisque possessor, extorris aris ac focis ageret? Quid
tam aequum, quam inopem populum vivere ex aerario suo?
Quid ad ius libertatis aequandae magis efficax, quam ut, Senatu
regente provinciis, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum
4 regno niteretur? Sed haec ipsa in perniciem redibant, et mi-
sera Respublica in exitium suum merces erat. Nam et a Senatu
in equitem translata iudiciorum potestas vectigalia, id est,
imperii patrimonium, supprimebat; et emtio frumenti, ipsos
5 Reipublicae nervos, exhauriebat aerarium. Reduci plebs in
agros unde poterat sine possidentium eversione? qui tamen ipsi
pars populi erant, et relictas sibi a maioribus sedes aetate,
quasi iure hereditario, possidebant.

## CAPUT XIV.

### SEDITIO TIBERII GRACCHI.

1 Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, gene-
2 re, forma, eloquentia facile princeps. Sed hic, sive Mancinia-
nae deditionis, quia sponsor foederis fuerat, contagium timens,
3 et inde popularis: sive aequo et bono ductus, quia depulsam
agris suis plebem miseratus est, ne populus [gentium victor, or-
bisque possessor,] laribus ac focis suis exsularet, quacumque mente,
4 rem ausus ingentem. Postquam rogationis dies aderat, ingenti sti-
patus agmine Rostra conscendit; nec deerat obvia manu tota inde
5 nobilitas, et Tribuni in partibus. Sed ubi intercedentem legi-
bus suis Caium Octavium videt Gracchus, contra fas collegii,
[ius potestatis,] iniecta manu, depulit Rostris: adeoque prae-
sentis metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu coge-
6 retur. Sic Triumvir creatus dividendis agris. Quum ad per-
petranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium,
obvia nobilium manu, eorumque, quos agris moverat, caedes
7 a foro coepit. Inde quum in Capitolium profugisset, plebem-
que ad defensionem salutis suae, manu caput tangens, horta-
retur, praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis:
atque ita, duce Scipione Nasica, concitato in arma populo,
quasi iure oppressus est.

## CAPUT XV.

### SEDITIO CAII GRACCHI.

1 Statim et mortis et legum fratris sui vindex non minore im-
2 petu incaluit Caius Gracchus. Qui quum pari tumultu atque
terrore plebem in avitos agros arcesseret, et recentem Attali
3 hereditatem in alimenta populo polliceretur: iamque nimius et
4 impotens altero Tribunatu, secunda plebe volitaret: obrogare auso
legibus suis Minucio Tribuno, fretus comitum manu fatale fa-
5 miliae suae Capitolium invasit. Inde proximorum caede pulsus,

quum se in Aventinum recepisset; inde quoque obvia Senatus manu, ab Opimio Consule oppressus est. Insultatum quoque 6
mortis reliquiis: et illud sacrosanctum caput Tribuni plebis percussoribus auro repensatum est.

## CAPUT XVI.

### SEDITIO APPULEIANA.

Nihilominus Appuleius Saturninus Gracchanas asserere leges 1
non destitit. Qui (tantum animorum viro Marius dabat,) nobilitati semper inimicus, Consulatu suo praeterea confisus, occiso palam comitiis Annio [A. Nonio] competitore Tribunatus, subrogare conatus est in eius locum Caium Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed, subdito titulo, in familiam ipse se adoptabat. Quum tot tantisque ludibriis exsultaret impune, 2
rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum cogeret in verba iurare, quum abnuentibus aqua et igni interdicturum se minaretur. Unus tamen exstitit, qui mallet exsilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, 3
quum iam tertium annum dominaretur, eo vesaniae progressus est, ut consularia quoque comitia nova caede turbaret. Quippe 4
ut satellitem furoris sui Glauciam Consulem faceret, Caium Memmium competitorem interfici iussit: et in eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum, laetus accepit. Tum vero 5
iam conspiratione Senatus, ipso quoque iam Mario Consule, quia tueri non poterat, adverso, directae in foro acies: pulsus inde, Capitolium invasit. Sed quum, abruptis fistulis, obsideretur, Senatuique per legatos poenitentiae fidem faceret, ab arce 6
degressus, cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi 7
eum, facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.

## CAPUT XVII.

### DRUSIANA SEDITIO.

Postremo Livius Drusus non Tribunatus modo viribus, sed 1
ipsius etiam Senatus auctoritate, totiusque Italiae consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum 2
conflavit incendium, ut ne prima illius flamma posset sustineri; et subita morte correptus, hereditarium in posteros suos bellum propagaret. Iudiciaria lege Gracchi diviserant populum Roma- 3
num, et bicipitem ex una fecerant civitatem. Equites Romani, tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo iure Rempublicam. Senatus exsilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus, omne decus maiestatis amiserat. In hoc statu rerum 4
pares opibus, animis, dignitate, (unde et natalium Druso aemulatio accesserat,) equitem Servilius Caepio, Senatum Livius Drusus asserere. Signa, et aquilae et vexilla aderant: caeterum 5
sic urbe in una, quasi in binis castris dissidebatur. Prior Cae-

pio, in Senatum impetu facto, reos ambitus Scaurum et Phi-
6 lippum, principes nobilitatis, elegit. His motibus ut resisteret Drusus, plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad plebem spe civitatis erexit. Exstat vox ipsius: *Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut coenum dividere vellet,*
7 *aut coelum.* Aderat promulgandi dies; quum subito tanta vis hominum undique apparuit, ut hostium adventu obsessa civitas
8 videretur. Ausus tamen obrogare legibus Consul Philippus: sed apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in
9 os et oculos redundaret. Sic per vim latae, iussaeque leges: sed pretium rogationis statim socii flagitavere, quum [interim] imparem Drusum aegrumque rerum temere motarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit. Nec ideo minus socii promissa Drusi a populo Romano reposcere armis desierunt.

## CAPUT XVIII.

### BELLUM SOCIALE.

1 Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus invidiam: si verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. Quippe quum populus Romanus Etruscos, Latinos Sabinosque sibi miscuerit, et unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris,
2 et ex omnibus unus est. Nec minore flagitio socii intra Italiam,
3 quam intra Urbem cives rebellabant. Itaque quum ius civitatis, quam viribus auxerant, [socii] iustissime postularent, ad quam
4 spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat; postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quae illum crema-
5 vit, socios in arma et in expugnationem Urbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? quum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremo Italia
6 contra matrem ac parentem suam Urbem consurgerent: quum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis
7 quisque signis haberent municipalia illa prodigia: Poppedius Marsos et Latinos: Afranius Umbros: totos Egnatius Etruscos: Samnium Lucaniamque Telesinus: quum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, ut victrix Asiae Eu-
8 ropaeque a Corfinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Iulius Caesar et Marcius Philippus Consules inter sacra et aras immolarentur.
9 Postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui
10 tum aderant ab Urbe, legatis. Hoc fuit impii belli sacramentum. Inde iam passim ab omni parte Italiae, duce et auctore
11 belli discursante Poppedio, diversa per populos et urbes signa cecinere. Nec Hannibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vastatio. Ecce
12 Ocricolum, ecce Grumentum, ecce Faesulae, ecce Carseoli, ecce Reate, Nuceria et Picentia caedibus, ferro et igne vastantur. Fusae Rutilii copiae, fusae Caepionis. Nam ipse Rutilius Consul, exercitu amisso, quum in Urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam Urbem [perviam fecit] permadefecit.

Sed magna populi Romani fortuna, et semper in malis maior, totis denuo viribus consurrexit; adgressique singuli populos: Cato discutit Etruscos; Gabinius Marsos; Carbo Lucanos; Sulla Samnites. Straho vero Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem caedium fecit, quam Asculi eversione, Manibus tot exercituum, Consulum, direptarumque urbium Diis litaretur. 13

## CAPUT XIX.

### BELLUM SERVILE.

Id qualitercumque. Etsi cum sociis nefas, cum liberis tamen et ingenuis dimicatum est. Quis aequo animo ferat in principe gentium populo bella servorum? Primum servile bellum inter initia Urbis Herdonio [Sabino] duce in ipsa Urbe tentatum est: quum, occupata Tribuniciis seditionibus civitate, Capitolium obsessum est et a Consule captum: sed hic tumultus magis fuit, quam bellum. Mox imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam? Terra frugum ferax, et quodammodo suburbana provincia, latifundiis civium Romanorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores materiam bello praebuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus,) fanatico furore simulato, dum Syriae Deae comas [cerimonias] iactat, ad libertatem et arma servos, quasi numinum imperio, concitavit: idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure et igni stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primo duo millia ex obviis; mox, iure belli refractis ergastulis, sexaginta amplius millium fecit exercitum; regiisque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, vicos, oppida, miserabili direptione vastavit. Quin illud quoque in ultimum belli dedecus; capta sunt castra Praetorum; nec nominare ipsos pudebit, castra Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei. Itaque qui per fugitivarios retrahi debuissent, Praetorios duces, profugos proelio, ipsi sequebantur. Tandem Perpenna imperatore supplicium de eis sumptum est. Hic enim victos, et apud Ennam novissime obsessos quum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum [compedibus et] catenis religavit, crucibusque punivit: fuitque de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. Vixdum respiraverat insula, quum statim servi; et a Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse vestero purpurea argenteoque baculo, et regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum: acriusque multo, quasi et illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestius, quasi in transfugos, saeviebat. Ab hoc quoque Praetorii exercitus caesi, capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius, Perpennae 1 2 3 4 5 6 7 8 9

usus exemplo, interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, communitasque copias armis, fame facile delevit: dedidissentque se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem praetulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit: quippe dum circa apprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus praeda lacerata est.

## CAPUT XX.

### BELLUM SPARTACIUM.

1 Enimvero et servilium armorum dedecus feras: nam etsi ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum homi-
2 num genus sunt, et in bona libertatis nostrae adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum, quo nomine appellem, nescio: quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint. Illi infimae sortis homines, hi pessimae auxere ludibriis calamita-
3 tem. Spartacus, Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta haud amplius eiusdem fortunae viris eruperunt Capua; servisque ad auxilium vocatis, quum statim decem amplius millia coissent hominum, non modo effugisse contenti, iam vindi-
4 cari volebant. Prima velut arena viris mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur a Clodio Glabroque, per fauces cavi montis vimineis delapsi vinculis, ad imas eius descendere radices: et exitu inviso, nihil tale opinantis ducis subito impetu ca-
5 stra rapuerunt. Inde Variana castra. Deinceps oram totamque pervagantur Campaniam: nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum
6 terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, quum iam esset iustus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clypeos; e ferro ergastulorum recocto, gladios
7 ac tela fecerunt. Ac ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis obviis gregibus, parantur equitatus: captaque de Prae-
8 toribus insignia et fasces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro,
9 deinde in honorem virium gladiator; quin defunctorum quoque proelio ducum funera imperatoriis celebravit exsequiis, captivosque circa rogum iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius
10 otum fuisset. Inde iam Consulares quoque adgressus, in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam Caii Cassii
11 castra delevit. Quibus elatus victoriis, de invadenda urbe Ro-
12 mana (quod satis est turpitudini nostrae,) deliberavit. Tandem etiam totis imperii viribus contra mirmillonem consurgitur, pudoremque Romanum Licinius Crassus adseruit: a quo pulsi fugatique (pudet dicere!) hostes in extrema Italiae refugerunt.
13 Ibi circa Bruttium angulum occlusi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent, ratesque ex trabibus, et dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experiren-
*14tur, tandem* eruptione facta, dignam viris obiere mortem: et,

quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans, quasi imperator, occisus est.

## CAPUT XXI.

### BELLUM CIVILE MARIANUM.

Hoc deerat unum populi Romani malis, iam ut ipse intra se 1
parricidiale telum domi stringeret; et in Urbe media ac foro, quasi arena, cives cum civibus, gladiatorio more concurrerent. Aequiore animo utcumque ferrem, si plebeii duces, aut si no- 2
biles, mali saltem ducatum sceleri praebuissent. Tum vero, (pro facinus!) qui viri! qui imperatores! decora et ornamenta saeculi sui, Marius et Sulla, pessimo facinori suam etiam dignitatem praebuerunt. Tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum 3
est: primo levi [et modico] tumultu magis, quam bello, intra ipsos duntaxat armorum duces subsistente saevitia: mox atro- 4
cius et cruentius, per totius viscera Senatus grassante victoria: ultimum non civicam modo, sed hostilem quoque rabiem super- 5
gressum est; quum armorum furor totius Italiae viribus niteretur, eousque odiis saevientibus, donec deessent, qui occiderentur. Initium et caussa belli, inexplebilis honorum Marii fames, 6
dum decretam Sullae provinciam Sulpicia lege sollicitat. Sed impatiens iniuriae statim Sulla legiones circumegit: dilatoque Mithridate, Esquilina Collinaque porta geminum agmen Urbi infudit. Inde quum consulto Sulpicius et Albinovanus obiecis- 7
sent catervas, sudesque et saxa undique a moenibus ac tela iacerentur: ipse quoque iaculatus incendio viam fecit, arcemque Capitolii, quae Poenos, quaeque Gallos etiam Senonas evaserat, quasi captivam victor insedit. Tum ex consulto Senatus adver- 8
sariis hostibus iudicatis, in praesentem Tribunum aliosque diversae factionis, iure saevitum est. Marium servilis fuga exemit; immo fortuna alteri bello reservavit. Cornelio Cinna, Cnaeo 9
Octavio Consulibus, male obrutum resurrexit incendium, et quidem ab ipsorum discordia, quum de revocandis, quos Senatus hostes iudicaverat, ad populum referretur. Cincta quidem 10
gladiis concione, sed vincentibus, quibus pax et quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius; clade maior: siquidem carcer, catenae, fuga, exsilium, horrificaverant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri late con- 11
curritur: servitia (pro nefas!) et ergastula armantur: et facile invenit exercitum miser imperator. Itaque vi patriam reposcens, 12
unde vi fuerat expulsus, poterat videri iure agere, nisi caussam suam saevitia corrumperet. Sed quum Diis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens et alumna Urbis Ostia nefanda strage diripitur. Mox in Urbem quadruplici agmine 13
intratur. Divisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octavii depulsa Ianiculo est, statim ad principum caedem signo dato, aliquanto saevius, quam ut in Punica [aut in Cimbrica] urbe saevitur. Octavii Consulis 14

caput pro Rostris exponitur; Antonii Consularis in Marii ipsius mensis. Caesares a Fimbria in penetralibus domorum suarum trucidantur; Crassi, pater et filius, in mutuo alter alterius
15adspectu. Baebium atque Numitorium per medium forum unci
16traxere carnificum. Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. Merula flamen Dialis in Capitolio Iovis ipsius oculos venarum cruore respersit. Ancharius, ipso vidente Mario, confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat
17salutanti. Haec tot Senatus funera intra Kalendas et Idus Ianuarii mensis septima illa Marii purpura dedit. Quid futurum
18fuit, si annum consularem implesset? Scipione et Norbano Consulibus, tertius ille turbo civilis insaniae toto furore detonuit: quippe quum hinc octo legiones, inde quingentae cohortes starent in armis, et inde ab Asia cum victore exercitu Sulla pro-
19peraret. Et sane quum tam ferox in Sullanos Marius fuisset; quanta saevitia opus erat, ut Sulla de Mario vindicaretur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt: et statim Norbani fusus exercitus: statim omnes Scipionis copiae,
20ostentata spe pacis, oppressae. Tum Marius iuvenis et Carbo Consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, in antecessum sanguine Senatus sibi parentabant: obsessaque curia, sic
21de Senatu, quasi de carcere, qui iugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam Quinctus Mucius Scaevola Pontifex, Vestales amplexus aras, tantum
22non eodem igne sepelitur. Lamponius atque Telesinus, Samnitum duces, atrocius Pyrrho et Hannibale Campaniam Etruriamque
23populantur: et sub specie partium se vindicant. Apud Sacriportum, Collinamque portam debellatae omnes hostium copiae. Ibi Marius, hic Telesinus oppressi. Nec idem tamen caedium, qui belli, finis fuit. Stricti enim et in pace gladii, animadver-
24sumque in eos, qui se sponte dediderant. Minus est, quod apud Sacriportum, et apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sulla concidit: bellum erat. Quatuor millia deditorum in-
25ermium civium in villa publica interfici iussit. Isti tot in pace, non plures sunt: quis autem illos potest computare, quos in Urbe passim, quisque voluit, occidit? donec admonente Furfidio, *Vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent:* proposita est ingens illa tabula; et ex ipso Equestris ordinis flore ac Senatus duo millia electi, qui mori iuberentur: novi ge-
26neris edictum. Piget post haec referre, ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani Praetoris, atque Venuleii: Baebium sine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipsius fratrem apud Catuli sepulchrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, servatum aliquamdiu, ut per singula membra
27moreretur. Positis singulorum hominum fere poenis, municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium,
28Interamnium, Praeneste, Florentia. Nam Sulmonem, vetus oppidum, socium atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obsides iure belli, et modo morte damnati duci iubentur: sic damnatam civitatem iussit Sulla deleri.

## CAPUT XXII.

### BELLUM SERTORIANUM.

Bellum Sertorianum quid aliud, quam Sullanae proscriptionis hereditas fuit? hostile potius an civile dixerim, nescio: quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce. Exsul et profugus feralis illius tabulae, vir summae quidem, sed calamitosae virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit: et iam Africae, iam Balearibus insulis fortunam expertus, nisusque in Oceanum Fortunatasque insulas penetrare, tandem Hispaniam armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce. Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoque Ponticosque perrexit. Rex eum classe iuvit. Et quid futurum fuit satis tanto hosti, cui uno imperatore resistere res Romana non potuit? additus Metello Cnaeus Pompeius. Hi copias viri [diu et ancipiti semper acie] attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere et insidiis, exstinctus est. Copias eius prope tota Hispania persecuti, diu et ancipiti semper acie domaverunt. Prima per Legatos certamina habita, quum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtuleii proluderent: mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem atque Sucronem aequavere clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiae poenas dabat: donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perpenna, ipsae quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes, Tuttia, Valentia, Uxama, et in fame nihil non experta Calagurris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magis, quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

## CAPUT XXIII.

### BELLUM CIVILE SUB LEPIDO.

Marco Lepido, Quinto Catulo Consulibus, civile bellum paene citius oppressum est, quam inciperet: sed quantulacumque fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit! Cupidus rerum novarum per insolentiam Lepidus acti tanti viri rescindere parabat. Nec immerito, si tamen posset sine magna clade Reipublicae. Nam quum iure belli Sulla Dictator proscripsisset inimicos: qui supererant, revocante Lepido, quid aliud quam ad bellum vocabantur? Quumque damnatorum civium bona, addicente Sulla, quamvis male capta, iure tamen repeterentur: repetitio eorum procul dubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergo quasi aegrae sauciaeque Reipublicae requiescere quomodocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. Ergo quum turbidis concionibus, velut classico civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma inde et exercitum Urbi admovebat. Sed iam Mulvium pontem collemque Ianiculum

1 2 3 4 5 6

Lutatius Catulus Cnaeusque Pompeius, Sullanae dominationis
7 duces atque signiferi, alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque a Senatu iudicatus, incruenta fuga Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibique morbo et poenitentia interiit. Victores, quod non temere alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.

---

# L. ANNAEI FLORI

# RERUM ROMANARUM

## EPITOME.

## LIBER QUARTUS.

### CAPUT I.

#### BELLUM CATILINARIUM.

1 Catilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendae patriae
2 suae compulere. Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis Urbem, diripere aerarium, totam denique Rempublicam funditus tollere, et quidquid nec Hannibal vide-
3 retur optasse. [Quae omnia] quibus (ô nefas!) sociis adgressus est! Ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcii, Sullae, Cethegi, Autronii, Varguntеii, Longini, quae familiae? quae Senatus insignia? Lentulus quoque tum cummaxime Praetor:
4 hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus coniurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, ni amplius esset, propter quod biberunt.
5 Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium Consules incidisset, quorum alter
6 industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. Tum Consul, habito Senatu, in praesentem
7 reum Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam ac professo *incendium suum restincturum ruina* minaretur. Et ille quidem ad praeparatum a
8 Mallio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus, destinatum familiae suae Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad praestitutum a Catilina diem Urbe tota vi-
9 ros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus. Legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis,
1 *isset* ultra Alpes furor, nisi altera proditione Volturcii Praeto-

ris litterae tenerentur. Statim Ciceronis imperio inlecta estrio barbaris manus. Palam Praetor in Senatu convincitur. De supplicio agentibus, Caesar parcendum dignitati; Cato animadvertendum pro scelere, censebant. Quam sententiam secutis omnibus, in carcere parricidae strangulantur. Quamvis parte coniurationis oppressa, ab incepto Catilina non destitit: sed infestis ab Etruria siguis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. [Nemo12 hostium bello superfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis interi3 hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si sic pro patria concidisset.]

## CAPUT II.

### BELLUM CAESARIS ET POMPEII.

Iam toto paene orbe pacato, maius erat imperium Romanum, 1
quam ut ullis exteris viribus exstingui posset. Itaque invidens 2
Fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit: ac Mariana quidem Cinnanaque rabies iam intra Urbem praeluserat, quasi si experiretur. Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen, detonuerat. Caesaris furor atque Pompeii 3
Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, qua patebat, imperium, quodam quasi diluvio aut inflammatione corripuit: adeo ut non recte tantum civile dicatur, ac ne sociale quidem; 4
sed nec externum: sed potius commune quoddam ex omnibus, et plus quam bellum. Quippe si duces eius inspicias, totus Se- 5
natus in partibus: si exercitus, hinc undecim legiones, inde decem et octo, flos omnis et robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique delectus, inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarchondimotus, Cotus, omne Thraciae Cappadociaeque, Ciliciae, Macedoniae, Graeciae, Aetoliae, totiusque robur Orientis: si moram belli, quatuor anni, sed pro clade 6
rerum breve tempus: si locum et spatium, ubi comissum est, intra Italiam: inde se in Galliam Hispaniamque deflexit: reversumque ab Occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Aegyptum subito transiluit: inde respexit Asiam, inde Africae incubuit: postremo in Hispaniam regyravit, et ibi aliquando defecit. Sed non et odia partium finita cum bello. 7
Non enim prius quievere, quam in Urbe ipsa, medio Senatu, eorum, qui victi erant, odia victoris sese caede satiarent. Caussa 8
tantae calamitatis eadem, quae omnium, nimia felicitas. Siquidem Quinto Metello, Lucio Afranio Consulibus, quum Romana maiestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos et Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret: nimia Pompeii potentia apud otiosos, ut solet, cives movet invidiam. Metellus ob imminutum Cretae triumphum, Cato adver- 9
sus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque eius obstrepere. Hinc dolor transversum egit, et ad praesidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, divitiis, 10

dignitate florebat: vellet tamen auctiores opes. Caius Caesar eloquentia et spiritu, ecce iam et Consulatu allevabatur. Pom-
11peius tamen inter utrumque eminebat. Sic igitur Caesare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiae cupidis, de invadenda Republica
12facile convenit. Ergo quum mutuis viribus in suum quisque decus niterentur, Galliam Caesar invadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam: tres maximi exercitus; et in his orbis impe-
13rium societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quia mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, et [morte] Iuliae, Caesaris filiae, quae nupta Pompeio generi socerique concordiam matrimonii foe-
14dere continebat, statim aemulatio erupit. Iam Pompeio suspectae Caesaris opes, et Caesari Pompeiana dignitas gravis. Nec ille ferebat parem, nec hic superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti imperii fortuna non cape-
15ret. Ergo Lentulo Marcelloque Consulibus, rupta prima coniurationis fide, de successione Caesaris Senatus, id est, Pompeius, agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis
16haberetur. Consulatus absenti, quem decem Tribuni plebis, favente Pompeio, nuper decreverant, tum, dissimulante eodem,
17negabatur: *Veniret et peteret more maiorum.* Ille contra flagitare decreta: ac, *nisi in fide permanerent, non se remittere*
18*exercitum.* Ergo ut in hostem decernitur. His Caesar agitatus, statuit praemia armorum armis defendere. Prima civilis belli arena Italia fuit, cuius arces levibus praesidiis Pompeius inse-
19derat; sed omnia subito Caesaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt: tum pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat [bellum] sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset: et ceperat; sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit.
20Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare, lacera et paene inermi nave fugie-
21bat. Nec Pompeii ab Italia, quam Senatus ab Urbe, fuga turpior: quam paene vacuam metu Caesar ingressus, Consulem se ipse fecit. Aerarium quoque sanctum, quia tardius aperiebat Tribuni, iussit effringi, censumque et patrimonium populi Re-
22mani ante rapuit, quam imperium. Pulso fugatoque Pompeio, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi. Siciliam
23et Sardiniam, annonae pignora, per Legatos habet. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeii exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. Misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tuta muris erat, vinci eam sibi iussit absenti.
24Graecula civitas, non pro mollitie nominis, et vallum rumpere, et incendere machinas ausa, et congredi navibus; sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit.
25Mox dedentibus sese omnia oblata, praeter, quam potiorem
26omnibus habebant, libertatem. Anceps, variumque sed incruentum in Hispania bellum cum Legatis Cnaei Pompeii, Petreio *et Afranio*: quos Ilerdae castra habentes, apud Sicorin amnem

obsidere, et ab oppido intercludere adgreditur. Interim abun-27
datio verni fluminis commeatibus prohibebat: sic fame castra
tentata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur. Sed ubi pax28
fluminis redit, et populationibus et pugnae campos aperuit: iterum
ferox instat: et cedentes ad Celtiberiam consecutus, aggere et
vallo, et per haec siti ad deditionem compulit. Sic citerior29
Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. Quid enim una
post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades,
fretum, Oceanus, omnia felicitatem Caesaris sequebantur. Ali-30
quid tamen adversus absentem ducem ausa Fortuna est circa
Illyricum et Africam, quasi de industria prospera eius adversis
radiarentur. Quippe quum fauces Hadriatici maris iussi occu-31
pare Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Curictico littore
castra posuissent; iam maria late tenente Pompeio, repente Le-
gatus eius Octavius [et Libo] ingentibus copiis classicorum
utrumque circumvenit. Deditionem fames extorsit Antonio.32
Missae quoque a Basilo in auxilium eius rates, quales inopia
navium fecerant, nova Pompeianorum arte Cilicum, actis sub
mari funibus, captae quasi per indaginem. Duas tamen aestus33
explicuit. Una, quae Opiterginos ferebat, in vadis haesit, me-
morandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille iuvenum
manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela susti-
nuit, et quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditio-
nem veniret, hortante Tribuno Vulteio, mutuis ictibus in se
concucurrit. In Africa quoque par et virtus et calamitas Cu-34
rionis fuit, qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fuga-
toque Varo iam superbus, subitum Iubae regis adventum equi-
tatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga;
sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte
sequeretur. Sed iam debitum par Fortuna flagitante, sedem35
bello Pompeius Epiron elegerat. Nec Caesar morabatur: quippe36
ordinatis a tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet
tempestate, ad bellum navigavit: positisque ad Oricum castris,37
quum pars exercitus, ob inopiam navium cum Antonio relicta,
Brundisii moram faceret, adeo impatiens erat, ut ad arcessen-
dos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio na-
vigio, solus ire tentaverit. Exstat ad trepidum tanto discrimine
gubernatorem vox ipsius: [*Quid times?*] *Caesarem vehis!* Con-38
tractis in unum undique copiis, positisque cominus castris, di-
versa erant ducum consilia. Caesar pro natura ferox, et confi-
ciendae rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere;
nunc obsidione castrorum, quae sedecim millium vallo obduxe-39
rat; (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus
copiis abundarent?) nunc expugnatione Dyrrhachii irrita, (quippe40
quam vel situs inexpugnabilem faceret;) ad hoc assiduis in eru-
ptione hostium proeliis; (quo tempore egregia virtus Scaevae
Centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela
sederunt;) iam vero direptione urbium sociarum, quum Oricum41
et Gomphos, et alia castella Thessaliae vastaret. Pompeius ad-42
versus haec nectere moras, tergiversari, sic simul ut hostem
interclusum undique inopia commeatuum tereret, utque ardem-

43tissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci
salutare consilium: milites otium, socii moram, principes am-
bitum ducis increbabant. Sic praecipitantibus fatis, proelio
sumpta Thessalia est: et Philippicis campis Urbis, imperii,
44generis humani fata commissa sunt. Numquam ullo loco tantum
virium populus Romanus, tantum dignitatis Fortuna vidit. Tre-
centa amplius millia bellatorum hinc vel illinc, praeter auxilia
45regum et Senatus. Numquam imminentis ruinae manifestiora
prodigia: fuga victimarum, examina in signis, interdiu tenebrae.
Dux ipse, in nocturna imagine theatri sui audiens plausum in
modum planctus circumsonare, mane cum pullo (nefas!) apud
46principia conspectus est. Numquam acrior neque alacrior exer-
citus Caesaris fuit: inde classica prius, inde tela. Adnotatum
quoque committentis aciem Crastini pilum: qui mox adacto in
os gladio, sic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem, qua
47pugnaverat, ipsa novitate vulneris praeferebat. Sed nec minus
admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompeius adeo
equitum copia abundaret, ut facile circumventurus sibi Caesa-
48rem videretur, circumventus ipse est. Nam quum diu aequo
Marte contenderent, iussuque Pompeii et fusus a cornu erupis-
set equitatus, repente hinc signo dato, Germanorum cohortes
tantum in effusos equites fecere impetum, ut hi esse pedites, illi
49venire in equis viderentur. Hanc stragem [fugientis equitatus]
levis armaturae ruina comitata est. Tunc terrore latius dato;
turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta
est: nec ulla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magni-
50tudo. Multus in eo proelio Caesar fuit, mediusque inter impe-
ratorem et militem. Voces quoque obequitantis exceptae, alte-
ra cruenta, sed docta, et ad victoriam efficax, *Miles faciem*
*feri:* altera ad iactationem composita, *Parce civibus:* quum ipse
51sequeretur. Felicem utcumque in malis Pompeium, si eadem
ipsum, quae exercitum eius, Fortuna traxisset? Superstes di-
gnitatis suae vixit, ut cum maiore dedecore per Thessalica
Tempe equo fugeret, et una navicula Lesbon applicaretur: ut
pulsus Syedris in deserto Ciliciae scopulo, fugam in Parthos,
52Africam, vel Aegypton agitaret: ut denique in Pelusio littore,
imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, et, ne quid malis
desit, Septimii desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis uxo-
53ris suae liberorumque moreretur. Quis non peractum esse cum
Pompeio crederet bellum? Atquin acrius multo atque vehe-
54mentius Thessalici incendii cineres recaluerunt. Et in Aegypto
55quidem adversus Caesarem sine partibus bellum. Quippe quum
Ptolomaeus, rex Alexandriae, summum civilis belli scelus pere-
gisset, foedusque amicitiae cum Caesare, medio Pompeii capite
sanxisset; ultionem clarissimi viri Manibus quaerente fortuna,
56caussa non defuit. Cleopatra, regis soror, affusa Caesaris geni-
bus, partem regni reposcebat. Aderat puellae forma, et quae
duplicaretur ex illo, quod talis passa videbatur iniuriam, et
57odium ipsius regis, qui Pompeii caedem partium fato, non
Caesari, dederat: haud dubie idem in ipsum ausurus, si occasio
*58tulisset.* Quam ubi Caesar restitui iussit in regnum, statim ab

eisdem percussoribus Pompeii obsessus in regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac pri- 59
mum proximorum aedificiorum atque navalium incendio, infestorum hostium tela submovit; mox in paeninsulam Pharon subitus evasit: inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam classem enatavit, relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. Tandem receptus a classicis suis, undique simul 60
hostes adortus, debellata perfida gente, iusta generi Manibus dedit: quippe et Theodotus magister, auctorque totius belli, et ne virilia quidem portenta, Pothinus atque Ganymedes diversa per mare et terras fuga et morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureae loricae honore. In 61
Asia quoque novus rerum motus a Ponto, [plane] quasi de industria captante Fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut a Pompeio pater, a Caesare filius vinceretur. Rex Pharnaces ma- 62
gis discordiae nostrae fiducia, quam suae virtutis, infesto in Cappadociam agmine ruebat: sed hunc Caesar adgressus, uno, 63
et, ut sic dixerim, non toto proelio obtrivit; more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se praedicatio est Caesaris, *ante victum hostem esse, quam visum.* Sic cum exteris. At in Africa cum civibus multo atrocius, 64
[quam in Pharsalia.] Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris aestus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsae magis, quam oppressae vires erant. Auxerat 65
sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio: quippe satis ample sonabant in Pompeiani nominis locum Cato et Scipio. Accessit copiis Mauretaniae rex Iuba, videlicet ut latius vinceret Caesar. Nihil ergo inter Pharsaliam 66
et Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior Caesarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium crevisse bellum. Denique, quod alias numquam ante imperium ducis, sua sponte signa cecinerunt. Strages a Iuba coepit, cuius elephanti bello- 67
rum rudes, et nuper a silva, consternati subito clangore lituorum in suos sese circumegere. Statim et exercitus in fugam; nec duces fortius, quam ut effugerent. Non inconspicua tamen mors omnium. Iam Scipio nave fugiebat: sed, adsecutis eum 68
hostibus, gladium per viscera exegit: et, *ubi esset*, quodam requirente, respondit hoc ipsum: *Bene se habet Imperator.* Iuba 69
quum sese recepisset in regiam, magnifice epulatus, postero die cum Petreio, fugae comite, superque mensas et pocula interficiendum se ei praebuit. Ille et regi suffecit, et sibi: quum interim semesi in medio cibi, et parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello: po- 70
sitisque apud Bagradam castris, Uticam, velut altera Africae claustra, servabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem sibi etiam laetus accivit. Nam 71
postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in noctem lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animae docet, paulum quieti dedit: tunc circa primam vigiliam stricto gladio revelatum [manu] pectus semel iterumque percussit. Anxi postea

hoc virum medici violare fomentis. Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas: secutaque vi sanguinis, moribundas manus in
73ipso vulnere reliquit. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus et partes; quantoque Africa supra Thessaliam fuit,
74tanto Africam superabat Hispania. Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum, et pro uno duo stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius nec tam ancipiti Marte concur-
75sum est. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque Legati conflixere: sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se navibus bellum: siquidem [velut furorem civicum castigaret] Oce-
76nus utramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellae, viri, naves, armamenta confligerent! Adde situs ipsius formidinem, vergentia in unum, hinc Hispaniae, inde Mauretaniae littora, mare et intestinum et externum, imminentesque Herculis speculas: quum omnia undique simul proelio et tempestate saevirent.
77Mox circa obsidiones urbium utrimque discursum est: quae miserae inter hos atque illos duces societatis Romanae poenas da-
78bant. Omnium postrema certaminum Munda. Hic non pro cetera felicitate, sed anceps diu et triste proelium: ut plane
79videretnr nescio quid deliberare Fortuna. Sane et ipse ante aciem moestior non ex more Caesar, sive respectu fragilitatis humanae, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem: vel eadem timens, postquam idem esse coeperat, quod
80Pompeius. Sed in ipso proelio, quod nemo umquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silen-
81tium, quasi convenisset. [Hic omnium sensus erat.] Novissime illud inusitatum Caesaris oculis nefas: post quatuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit: quos etsi nondum fugerant, apparebat tamen pudore magis, quam virtute
82resistere. Itaque ille, ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare per to-
83tum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum, et ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare mortem manu vellet; nisi cohortes hostium quinque per transversam aciem actae, quas Labienus periclitantibus castris subsidio miserat, speciem fugae
84praebuissent. Hoc aut et ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: et quasi in fugientes invectus, simul et suorum erexit animos, et hostes perculit. Nam hi, dum se putant vincere, fortius sequi; Pompeiani, dum fugere credunt suos,
85fugere coeperunt. Quanta fuerit hostium caedes, ira rabiesque victoribus, hinc aestimari potest, quod a proelio profugi quum se Mundam recepissent, et Caesar obsideri statim victos imperasset, congestis cadaveribus agger effectus est, quae pilis iaculisque confixa inter se tenebantur. Foedum etiam in barba-
86ris! Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeii liberis, Cnaeum proelio profugum, crure saucium, deserta et avia petentem, Caesonius apud Lauronem oppidum consecutus, pu-
87gnantem [adeo nondum desperabat] interficit. Sextum Fortuna

in Celtiberiam interim abscondit: aliisque post Caesarem bellis reservavit. Caesar in patriam victor invehitur, primum de 88
Gallia triumphum trahens. Hic erat Rhenus, et Rhodanus, et ex auro captivus Oceanus. Altera laurus Aegyptia: tunc in ferculis Nilus, Arsinoë, et ad simulacrum ignium ardens Pharos. Tertius de Pharnace currus et Ponto. Quartus Iubam et Mau- 89
ros, et bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, et Thapsos, et Munda nusquam. Et quanto maiora erant, de quibus non triumphabat! Hic aliquando finis armis fuit. Reliqua, 90
pax incruenta: pensatumque clementia bellum. Nemo caesus imperio praeter Afranium (satis ignoverat semel,) et Faustum Sullam (didicerat generos timere,) filiamque Pompeii cum parvulis liberis et Sulla. Hic posteris cavebatur. Itaque non ingra- 91
tis civibus, omnes unum in principem congesti honores: circa templa imagines; in theatro distincta radiis corona; suggestus in curia; fastigium in domo; mensis in coelo: ad hoc Pater ipse patriae, perpetuusque Dictator: novissime, dubium an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio Consule regni insignia. Quae omnia, velut infulae, in destinatam morti victimam con- 92
gerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia: gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia. Nec diutius dilatio do- 93
nata est: sed Brutus et Cassius, aliique patres consensere in caedem principis. Quanta vis fati! Manaverat late coniuratio: 94
libellus etiam Caesari datus eodem die: nec perlitare centum victimis potuerat. Venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. Ibi in curuli sedentem eum Senatus invasit; 95
tribusque et viginti vulneribus ad terram datus est. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.

## CAPUT III.

### CAESAR AUGUSTUS.

Populus Romanus, Caesare et Pompeio trucidatis, redisse in 1
statum pristinae libertatis videbatur: et redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Caesar heredem reliquisset: vel, quod utro- 2
que perniciosius fuit, si non collega quondam, mox aemulus Caesarianae potentiae, fax et turbo sequentis saeculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum 3
toto mari; dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia: dum Antonius varius ingenio, aut succes- 4
sorem Caesaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatrae desciscit in regem, iam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione 5
est, quod potissimum ad Octavium Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua atque solertia perculsum undi- 6
que et perturbatum ordinavit imperii corpus. Quod ita haud 7
dubie numquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu, quasi anima et mente regeretur. Marco Antonio, 8
Publio Dolabella Consulibus, imperium Romanum iam ad Cae-

sares transferente Fortuna, varius et multiplex civitatis motus fuit: quodque in annua coeli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic tum Romanae dominationis, id est, humani generis, conversione penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, exteris, terrestribus ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est.

## CAPUT IV.

### BELLUM MUTINENSE.

1 Prima civilium motuum caussa testamentum Caesaris fuit, cuius secundus heres Antonius, praelatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuvenis susceperat bel-
2 lum. Quippe quum intra decem et octo annos tenerum et obnoxium, et opportunum iniuriae iuvenem videret, ipse plenae ex commilitio Caesaris dignitatis lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem
3 Iuliae gentis inhibere [non desineret]; denique ad deprimendum iuvenem palam arma moliri. Et iam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum ob-
4 sidebat. Octavius Caesar, et aetate et iniuria favorabilis et nominis maiestate, quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) Consulem adgreditur. Obsi-
5 dio Mutinae liberat Brutum: Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit: nam cruentus et saucius aquilam, a moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

## CAPUT V.

### BELLUM PERUSINUM.

1 Alterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Caesar ve-
2 teranis patris [in castris] pretium militiae persolvebat. Semper alias Antonii pessimum ingenium Fulvia [gladio cincta virilis militiae] uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando
3 iterum in arma vocaverat. Hic vero iam non privatis, sed totius Senatus suffragiis iudicatum hostem Caesar adgressus, intra Perusiae muros redegit, compulitque ad extrema deditionis, turpi et nihil non experta fame.

## CAPUT VI.

### TRIUMVIRATUS.

1 Quum solus etiam gravis paci, gravis Reipublicae esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit, cui contra duos
2 exercitus necesse fuit venire in cruentissimi foederis societatem. Diversa omnium vota, ut ingenia. Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicae; Antonium ultiones de
*his*, qui se hostem iudicassent; Caesarem inultus pater et Ma-

nibus eius graves Cassius et Brutus agitabant. In hoc velut 3
foedus pax inter tres duces componitur. Apud Confluentes inter Rheni insulam et Bononiam iungunt manus; exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur; oppressaque armis Republica, redit Sullana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta Senatorum. Exitus foedi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe 4
fugientium. Quis pro dignitate rei non ingemiscat, quum Antonius Lucium Caesarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum suum fratrem proscripserint? Romae capita caesorum pro- 5
ponere in Rostris iam usitatum erat; verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videret, nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurreretur. Haec scelera in Antonii 6
Lepidique tabulis. Caesar percussoribus patris contentus fuit. Haec quoque, nisi multa fuisset, etiam iusta caedes haberetur.

## CAPUT VII.

### BELLUM CASSII ET BRUTI.

Brutus et Cassius sic C. Caesarem, quasi Tarquinium regem, 1
depulisse regno videbantur; sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt. Igitur caede 2
perfecta, quum veteranos Caesaris, nec immerito, timerent, statim e curia in Capitolium confugerunt. Nec illis ad ultionem deerat animus: sed ducem nondum habebant. Igitur quum 3
appareret, quae strages Reipublicae immineret, displicuit ultio, Ciceronis consiliis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris 4
oculos ferirent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Caesare datas, Syriam et Macedoniam, concesserunt. Sic vindicta Caesaris dilata potius, quam oppressa est. Igitur ordinata 5
magis ut poterat, quam ut debebat, in Triumviros Republica, relicta ad Urbis praesidium Lepido, Caesar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus co- 6
piis, eandem illam, quae fatalis Cnaeo Pompeio fuit, arenam insederant. Sed nec tum [imminentia] cladis destinatae signa latuerunt. Nam et adsuetae cadaverum pabulo volucres castra, 7
quasi iam sua, circumvolabant: et in aciem prodeuntibus obvius Aethiops nimis aperte ferale signum fuit. Ipsique Bruto per 8
noctem, quum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quaedam imago se obtulit; et, *quae esset*, interrogata; *Tuus*, inquit, *malus Genius*. Hoc dixit, et sub oculis mirantis evanuit. Pari in meliora praesagio in Caesaris castris omnia aves 9
victimaeque promiserant; sed nihil illo praesentius, quod Caesaris medicus somnio admonitus est, *ut Caesar castris excederet, quibus capi imminebat*: ut factum est. Acie namque commissa, 10
quum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, (quamvis duces non praesentes essent, quum hunc corporis aegritudo, illum metus et ignavia subduxissent), staret tamen pro partibus invicta Fortuna et ultoris, et qui vindicabantur. Primum adeo anceps

fuit, et par utrimque discrimen, ut exitus proelii docuit. Ca-
11pta sunt hinc Caesaris castra, inde Cassii. Sed quanto efficacior est Fortuna, quam virtus! Et quam verum est, quod moriens efflavit, *non in re, sed in verbo tantum esse virtutem!*
12Victoriam illi proelio error dedit. Cassius inclinato cornu suorum, quum, captis Caesaris castris, rapido impetu recipientes
13se equites videret, fugere arbitratus, evadit in tumulum: inde pulvere et strepitu, et iam nocte vicina, eximentibus gestae rei sensum, quum speculator quoque in id missus, tardius renunciaret; transactum de partibus ratus, uni de proximis auferen-
14dum praebuit caput. Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret, (ita enim ne superessent bello, convenerat) ipse quoque uni comitum suorum
15confodiendum praebuit latus. Qui sapientissimos viros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? Nisi si hoc quoque ex persuasione fuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum piissimarumque animarum iudicio suo, scelere alieno uterentur.

## CAPUT VIII.

### BELLUM CUM SEXTO POMPEIO.

1 Sublatis percussoribus Caesaris, supererat Pompeii domus. Alter iuvenum in Hispania occiderat, alter fuga evaserat: contractisque infelicis belli reliquiis, quum insuper ergastula ar-
2 masset, Siciliam Sardiniamque habebat. Iam et classe medium mare insederat. O quam diversus a patre! Ille Cilicas exstin-
3 xerat: hicce pirat... ——— belli navalis agitaret. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuvenis oppressus est: magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si tentasset ulterius ni-
4 hil: nisi quod magnae indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium et catenas, et, quod miserrimum [est] fortibus
5 viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Non alia post Xerxen miserabilior fuga: quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve fugiebat, exstincto praetoriae navis lumine, annulis in mare abiectis, pavens atque respectans, et tamen non timens, ne periret.

## CAPUT IX.

### BELLUM PARTHICUM DUCE VENTIDIO.

1 Quamvis in Cassio et Bruto partes sustulisset; in Pompeio totum partium nomen abolevisset: nondum tamen ad pacis sta-
2 bilitatem profecerat Caesar, quum scopulus et nodus et mora publicae securitatis superesset Antonius. Nec ille defuit vitiis,
3 quin periret; immo omnia expertus ambitu et luxuria, primum hostes, deinde cives, tandem etiam terrore sui saeculum libe-
ravit. Parthi clade Crassiana altius animos erexerant, civilesque *[populi Romani]* discordias laeti acceperant. Itaque ut prima

adfulsit occasio, non dubitaverunt et erumpere, ultro quidem 4
invitante Labieno, qui missus a Cassio Brutoque (qui furor sce-
lerum!) sollicitaverat hostes in auxilium. Et illi, Pacoro duce,
regio iuvene, dispulerant Antoniana praesidia. Saxa Legatus, 5
ne veniret in potestatem, a gladio suo impetravit. Denique
ablata Syria, emanabat latius malum, hostibus sub auxilii spe-
cie sibi vincentibus, nisi Ventidius, et hic Legatus Antonii, in-
credibili felicitate et Labieni copias, ipsumque Pacorum, et
omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem et Euphraten
sinu, late cecidisset. Viginti amplius millium fuit: nec sine 6
consilio ducis, qui simulato metu adeo passus est hostem ca-
stris succedere, donec, absumto iactus spatio, adimeret usum
sagittarum. Rex fortissime dimicans cecidit. Mox circumlato 7
eius per urbes, quae desciverant, capite, Syria sine bello re-
cepta. Sic Crassianam cladem Pacori caede pensavimus.

## CAPUT X.

### BELLUM PARTHICUM CUM ANTONIO.

Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque 1
Pacorus utrimque virium mutuarum documenta fecissent, pari
rursus reverentia integrata amicitia; et quidem ab ipso foedus
Antonio cum rege percussum. Sed (immensa vanitas hominis!) 2
dum titulorum cupidine Araxen et Euphrten sub imaginibus
suis legi concupiscit; neque caussa, neque consilio, ac ne ima-
ginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte du-
cis esset, obrepere; relicta repente Syria in Parthos impetum
facit. Gens praeter armorum fiduciam callida, simulat trepi- 3
dationem et in campos fugam. Hic statim quasi victor seque-
batur: quum subito nec magna hostium manus, ex improviso,
et iam in fessos via, sub vespere, velut nimbus erupit. Missis
undique sagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in 4
comparationem cladis, quae in posterum diem imminebat, nisi
intervenisset Deûm miseratio. Unus ex clade Crassiana Parthico
habitu castris adequitat, et salute Latine data, quum fidem ipso
fecisset, quid immineret, edocuit: *idm adfuturum cum omnibus* 5
*copiis regem: irent retro peterentque montes: sic quoque hostem*
*fortasse non defore.* Atque ita secuta est minor vis hostium,
quam imminebat. Adfuit tamen; deletaeque reliquae copiae fo- 6
rent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, quadam forte,
quasi docti, procubuissent in genua milites, et, elatis super ca-
pita scutis, caesorum speciem praebuissent. Tum Parthus arcus 7
inhibuit. Dein rursus quum se Romani extulissent, adeo res
miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem; *Ite et bene*
*valete, Romani: merito vos victores fama gentium loquitur,*
*qui Parthorum tela fugistis.* Non minor ex via [aqua] postea, 8
quam ex hostibus, [excepta] clades: infesta primum siti regio:
tum quibusdam salinacidis fluviis infestior: novissime quae iam
ab invalidis et avide hauriebantur noxiae etiam dulces fuere.
Mox et arderes per Armeniam, et nives per Cappadociam et 9

utriusque coeli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, quum argentum eius passim dolabris concideretur: et subinde inter moras mortem a gladiatore suo flagitasset egregius Imperator: tandem perfugit in Syriam. Ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est: quasi vicisset, quia evaserat.

## CAPUT XI.

### BELLUM CUM ANTONIO ET CLEOPATRA.

Furor Antonii, quatenus per ambitum non interierat, luxu et libidine exstinctus est. Quippe post Parthos, quum exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatrae, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Haec mulier Aegyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite; sed patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo cultuque desciverat. Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema deerat [aderat], ut regina rex et ipse frueretur. Ad primam novorum motuum famam Caesar a Brundisio traiecerat, ut venienti bello occurreret: positisque castris in Epiro, Leucadem insulam montemque Leucaten et Ambracii sinus cornua, infesta classe succinxerat. Nobis quadringentae amplius naves, ducentae non minus hostium; sed numerum magnitudo pensabat. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus, atque tabulatis allevatae, castellorum vel urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur: quae quidem ipsa moles exitio fuit. Caesaris naves a triremibus in senos, nec amplius ordines creverant. Itaque habiles in omnia, quae usus posceret, ad impetus et recursus flexusque capiendos, illas graves et ad omnia praepeditas, singulas plures adortae, missilibus simul rostris, ad hoc ignibus iactis [ad arbitrium] dissipavere. Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur; Arabumque et Sabaeorum, et mille aliarum gentium Asiae spolia, purpuram aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant. Prima dux fugae regina, cum aurea puppe, veloque purpureo in altum se dedit. Mox secutus Antonius: sed instare vestigiis Caesar. Itaque nec praeparata in Oceanum fuga, nec munita praesidiis utraque Aegypti cornua, Paraetonium atque Pelusium, profuere: prope manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis. Frustra; nam pulchritudo infra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita, quae offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod ubi desperavit a principe, servarique se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulchra regum sic vocant) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocavit Antonium; admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est.

## CAPUT XII.

BELLA ADVERSUS GENTES EXTERAS.

Hic finis armorum civilium; reliqua adversus exteras gentes, 1
quae, districto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax: necdum adsuetae frenis servitutis tu- 2
midae gentium inflataeque cervices ab imposito nuper iugo resiliebant. Ad Septemtrionem conversa ferme plaga ferocius 3
agebat: Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatae, Moesi, Thraces et Daci, Sarmatae atque Germani. Noricis animos Alpes dabant, 4
quasi in nives bellum non posset adscendere: sed omnes illius cardinis populos, Breunos, Cennos atque Vindelicos, per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. Quae fuerit Alpi- 5
narum gentium feritas, facile vel mulieres ostendere, quae, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa miserunt. Illyrii quoque sub Alpibus agunt, imasque 6
valles earum, ut quaedam quasi claustra, custodiunt, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem ipse sumsit, fierique pontes imperavit. Hic et aquis et hoste turbantibus, cunctanti 7
ad adscensum militi scutum de manu rapuit: et in via primus, tunc agmine secuto, quum subrutus multitudine pons succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, et ipso periculo augustior, terga hostium percecidit. Pannonii duobus 8
satis acribus fluviis, Dravo Savoque, vallabantur. Populati proximos, intra ripas se recipiebant. In hos domandos Tiberium misit: caesi sunt in utrisque fluminibus. Arma victorum 9
non ex more belli cremata, sed capta sunt, et in profluentes data, ut ceteris, qui resistebant, victoria nunciaretur. Dalmatae ple- 10
rumque sub silvis agunt: inde in latrocinia promptissimi. Hos iam quidem Marcius incensa urbe Delminio quasi detruncaverat: postea Asinius Pollio gregibus, agris, armis multaverat [hic secundus orator]; sed Augustus perdomandos Vibio mandat: 11
qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumque venis repurgare: quod alioquin gens omnium cupidissima eo studio, ea diligentia acquirit, ut illud in usus suos servare videatur. Moesi 12
quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu est. Unus ducum, ante aciem po- 13
stulato silentio, *Qui vos*, inquit, *estis?* Responsum invicem: *Romani*, *gentium domini*. Et ille, *Ita*, inquit, *fiet*, *si nos viceritis*. Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem 14
immolato equo concepere votum, *ut caesorum extis ducum et litarent et vescerentur*. Deos audisse crediderim. Nec tubas sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris 15
Cn. Ovidius Centurio, satis barbarae, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite, fundebat. Antea saepe Thraces, tum maxime Coto rege desciverant. Illi 16
barbaros et signis militaribus, et disciplina, armis etiam Romanis adsueverat: sed a Pisone perdomiti, in ipsa captivitate rabiem ostendere: quippe quum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. Daci montibus inhaerent. Inde 17

Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari. Visum est
18Caesari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam: citra praesidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed submota atque dilata
19est. Sarmatae patentibus campis inequitant: et hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil praeter nives pruinasque et silvas habent: tanta barbaria, ut pacem nec in-
20otelligant. Germaniam quoque utinam vincere tanti non putas-
21set! Magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. Sed quatenus sciebat, patrem suum Caesarem, bis transvectum ponte Rheno, quaesisse bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam: et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quam
22imperia ferre potuissent. Missus in eam provinciam Drusus, primos domuit Usipetes; inde Tencteros percucurrit et Cattos. Nam Marcomanorum spoliis insignibus quendam editum tumulum
23in tropaei modum excoluit. Inde validissimas nationes, Cheruscos Suevosque et Sygambros, pariter adgressus est, qui vigint Centurionibus in crucem actis [incrematis], hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriae spe, ut praedam in antecessum pactione diviserint. Cherusci equos, Suevi aurum et argentum, Sygambri captivos elegerant: sed omnia retrorsum
24Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque
25praedam divisit et vendidit. Praeterea in tutelam provinciae praesidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim; per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam et Gesoniam [Novesium]
26[cum] pontibus iunxit classibusque firmavit. Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, coelum
27ipsum mitius molliusque solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuvene, ipse, quod numquam alias, Senatus cognomen ex provincia de-
28dit. Sed difficilius est provincias obtinere, quam facere. Viri-
29bus parantur, iure retinentur. Igitur breve id gaudium. Quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moresque nostros magis, quam arma, sub imperatore Druso suscipiebant: postquam vero ille defunctus est, Vari Quinctilii libidinem ac superbiam haud secus, quam saevitiam odisse coeperunt. Ausus ille agere conventum: et incaute ius exercuerat, quasi violentiam barba-
31rorum lictoris virgis et praeconis voce posset inhibere. At *illi*, qui iam pridem rubigine obsitos enses, inertesque quaererent equos, ut primum togas et saeviora armis iura viderunt, duce
32Arminio arma corripiunt, quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne praedicta quidem, et prodita per Segesten, unum
33principum, coniuratione commoveretur. Itaque improvidum, et nihil tale metuentem, improviso adorti, quum ille (o securitas!) ad tribunal citaret, undique invadunt. Castra rapiuntur,
34tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem, quo
35Cannensem diem Paullus, et fato est et animo secutus. Nihil
*36illa caede per* paludes perque silvas cruentius, nihil insultatione

barbarorum intolerantius, praecipue tamen in caussarum patro-
nos. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum,
recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, *tandem*,
inquit, *vipera*, *sibilare desisti*. Ipsius quoque Consulis corpus,37
quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa et aquilas
duas adhuc barbari possident: tertiam signifer prius, quam in
manus hostium veniret, evulsit; mersamque intra baltei sui la-
tebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum,38
ut imperium, quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni
fluminis staret. Haec ad Septemtrionem. Sub Meriadiano tu-39
multuatum magis, quam bellatum est. Musulanos atque Gaetu-
los, accolas Syrtium, Cosso duce, compescuit: unde illi *Gaetu-*
*lici* nomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas40
Quirino subigendos dedit. Potuit et ille redire *Marmaricus*;
sed modestior in una aestimanda victoria fuit. Ad Orientem41
plus negotii cum Armeniis. Huc alterum ex Caesaribus, nepo-
tibus suis, misit. Ambo fato breves: sed alter inglorius. Mas-
siliae quippe Lucius morbo solvitur: in Syria Caius ex vulnere,
quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. Armenios,42
victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompeius ad-
sueverat, ut rectores a nobis acciperent. Intermissum ergo ius
per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certa-
mine. Quippe Domnes, quem rex Artaxates praefecerat, simu-43
lata proditione, adortus est virum intentum libello, quem, ut
thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat, stricto re-
pente ferro. At recreatus ex vulnere in tempus. Ceterum44
barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio et pyra, in
quam se percussus immisit, superstiti etiamnum Caesari satis-
fecit. Sub Occasu pacata fere omnis Hispania, nisi quam Py-45
renaei desinentis scopulis inhaerentem citerior alluebat Oceanus.
Hic duae validissimae gentes, Cantabri et Astures, immunes
imperii agitabant. Cantabrorum et prior et altior et magis46
pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem
suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccae-
osque, et Turmodigos et Autrigonas crebris incursionibus fati-
gabant. In hos igitur, quia vehementius agere nunciabantur,47
non mandata expeditio, sed sumpta est. Ipse venit Segisamam:
castra posuit: et tripartito exercitu totam [in diem] amplexus
Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum, quasi indagine, de-
bellabat. Nec ab Oceano quies, quum infesta classe ipsa quoque48
turba hostium caederentur. Primum adversus Cantabros sub
moenibus Vellicae proeliatus est. Hinc fuga in eminentissimum
Vinnium montem, quo maria prius Oceani, quam arma Romana
adscensura esse crediderant. Tertio Aracillum oppidum magna
vi repugnat. Captum tamen postremo fuit. Medulli montis ob-49
sidio, quem perpetua quindecim millium fossa comprehensum
cinxit, undique simul adeunte Romano, postquam extrema bar-
bari vident certatim igne, ferro [inter epulas] venenoque, quod
ibi vulgo ex arboribus taxeis exprimitur, praecipere mortem:
seque pars maior a captivitate, quae videbatur, vindicaverunt.
Haec per Antistium, Furnium, Agrippam [Legatos], hibernans50

51in Tarraconis maritimis Caesar accepit. Ipse praesens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona iure
52belli venumdedit. Digna res lauro, digna curru Senatui visa est: sed iam tantus Caesar erat, ut posset triumphos contemnere.
53Astures per id tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant. Nec temere sumptus, ut barbaris, impetus: sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria si-
54mul Romanorum castra adgredi parabant. Fuisset et anceps et cruentum et ultimum mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Brigaecini prodidissent, a quibus praemonitus Carisius, cum exercitu advenit
55oppressitque consilia. Sic tamen quoque non incruento certa-
56mine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit: ubi tamen loci adeo certatum est, ut, quum in captam urbem faces poscerentur, aegre dux impetraverit veniam, ut *victoriae Romanae stans potius esset, quam incensa, monumen-*
57*tum.* Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit; idem re-
58bellandi finis Hispaniae. Certa mox fides et aeterna pax; quum ipsorum ingenio, in pacis partes promptiore; tum consilio Caesaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quae in plano erant, habitare et incolere iussit.
59Vigentis esse consilii illud observari coepit. Favebat consilio natura regionis circa omnis aurifera, miniique et chrysocollae et aliorum colorum ferax. Itaque exerceri solum iussit. Sic Astures latentes in profundo opes suas atque divitias, dum aliis
60quaerunt, nosse coeperunt. Omnibus ad Occasum et Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque, dumtaxat intra Rhenum atque Danubium; item ad Orientem intra Cyrum et Euphraten; illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem, et victorem gentium populum
61Romanum reverebantur. Nam et Scythae misere legatos et Sarmatae, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis et margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquitatem viae imputabant, quam quadriennio impleverant: et tamen ipse homi-
62num color ab alio venire coelo fatebatur. Parthi quoque, quasi victoriae poeniteret, rapta clade Crassiana signa ultro re-
63tulere. Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit aut pactio. Aususque tandem Caesar Augustus septingentesimo ab Urbe condita anno, Ianum Geminum claudere, bis ante se clausum: sub Numa rege, et victa primum
64Carthagine. Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala, et in luxuriam fluens saeculum gravibus severisque legibus multis coërcuit. Ob haec tot facta ingentia *Dictator perpetuus* et *Pater patriae* dictus: tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset imperium, *Romulus* vocaretur; sed sanctius et reverentius visum est nomen *Augusti*, ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.

# EUTROPII

## BREVIARIUM

# HISTORIAE ROMANAE

## AD

## VALENTEM AUGUSTUM.

DOMINO VALENTI MAXIMO PERPETUO AUGUSTO.

Res Romanas ex voluntate mansuetudinis tuae, ab Urbe condita ad nostram memoriam, quae in negotiis vel bellicis vel civilibus eminebant, per ordinem temporum brevi narratione collegi strictim, additis etiam his, quae in Principum vita egregia exstiterunt; ut tranquillitatis tuae possit mens divina laetari, prius se illustrium virorum facta in administrando imperio secutam, quam cognosceret lectione.

# EUTROPII

## BREVIARIUM

# HISTORIAE ROMANAE.

## LIBER PRIMUS.

I. Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, a ROMULO exordium habet: qui Reae Silviae, Vestalis virginis, filius, et quantum putatus est, Martis, cum REMO fratre uno partu editus est. Is, quum inter pastores latrocinaretur, decem et octo annos natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit, XI. Kal. Maii, Olympiadis sextae anno tertio, post Troiae excidium, ut, qui plurimum minimumque, tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto.

(II.) Condita civitate, quam ex nomine suo ROMAM vocavit, haec fere egit. Multitudinem finitimorum in civitatem recepit: centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia ageret, quos Senatores nominavit propter senectutem. Tum, quum uxores ipse et populus [suus] non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbis Romae nationes, atque earum virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Caeninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes: haec omnia oppida urbem cingunt. Et quum orta subito tempestate non comparuisset, anno regni trigesimo septimo ad Deos transisse creditus est et consecratus. Deinde Romae per quinos dies Senatores imperaverunt: et his regnantibus annus unus completus est.

II. Postea NUMA POMPILIUS rex creatus est: qui bellum quidem nullum gessit, sed non minus civitati, quam Romulus, profuit. Nam et leges Romanis moresque constituit; qui consuetudine proeliorum iam latrones ac semibarbari putabantur; et annum descripsit in decem menses, prius sine aliqua computatione confusum; et infinita Romae sacra ac templa constituit. Morbo decessit, quadragesimo tertio imperii anno.

III. Huic successit TULLUS HOSTILIUS. Hic bella reparavit, Albanos vicit, qui ab urbe Roma XII. milliario absunt; Veientes et Fidenates, quorum alii sexto milliario absunt ab urbe Roma, alii octavo decimo, bello superavit: Urbem ampliavit, adiecto Coelio monte. Quum triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus, cum domo sua arsit.

IV. Post hunc ANCUS MARCIUS, Numae ex filia nepos, suscepit imperium. Contra Latinos dimicavit: Aventinum montem civitati adiecit et Ianiculum: apud ostium Tiberis civitatem supra mare sexto decimo milliario ab urbe Roma condidit. Vigesimo quarto anno imperii morbo periit.

V. Deinde regnum PRISCUS TARQUINIUS accepit. Hic numerum Senatorum duplicavit; Circum Romae aedificavit; ludos Romanos instituit, qui ad nostram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos, et non parum agrorum, sublatum iisdem, urbis Romae territorio adiunxit, primusque triumphans Urbem intravit. Muros fecit et cloacas; Capitolium inchoavit. Trigesimo octavo imperii anno per Anci filios occisus est, regis eius, cui ipse successerat.

VI. Post hunc SERVIUS TULLIUS suscepit imperium, genitus ex nobili femina, captiva tamen et famula. Hic quoque Sabinos subegit; montes tres, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum, Urbi adiunxit; fossas circa murum duxit. Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma, omnibus in censum delatis, habuit capitum LXXXIII millia civium Romanorum cum his, qui in agris erant. Occisus est XLV. imperii anno, scelere generi sui Tarquinii, filii eius regis, cui ipse successerat, et filiae [suae], quam Tarquinius habebat uxorem.

VII. LUCIUS TARQUINIUS SUPERBUS, septimus atque ultimus regum. Volscos, quae gens ad Campaniam euntibus non longe ab Urbe est, vicit: Gabios civitatem et Suessam Pometiam subegit; cum Tuscis pacem fecit, et templum Iovi in Capitolio aedificavit. Postea Ardeam oppugnans, in octavo decimo milliario ab Urbe positam civitatem, imperium perdidit. Nam quum filius eius, et ipse Tarquinius iunior, nobilissimam feminam Lucretiam, eandemque pudicissimam, Collatini uxorem, stuprasset, eaque de iniuria marito, et patri, et amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit. Propter quam causam Brutus, parens et ipse Tarquinii, populum concitavit, et Tarquinio ademit imperium. Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit: veniensque ad Urbem rex, portis clausis, exclusus est. Quumque imperasset annos viginti quinque, cum uxore et liberis suis fugit.

Ita Romae regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus, quum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum milliarium possideret.

VIII. Hinc CONSULES coepere pro uno rege duo hac de caussa creari, ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam annum unum [annuum] haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos. Fuerunt igitur anno primo, expulsis regibus, coss. L. Iunius Brutus, qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur, et Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiae. Sed Tarquinio Collatino statim sublata dignitas est. Placuerat enim, ne quisquam in Urbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. Ergo accepto omni patrimonio suo, ex Urbe migravit, et loco ipsius factus est Valerius Publicola Consul.

IX. Commovit tamen bellum urbi Romae rex Tarquinius, qui fuerat expulsus: et collectis multis gentibus, ut in regnum posset restitui, dimicavit. In prima pugna Brutus Consul, et Aruns, Tarquinii filius, in vicem se occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Romanae matronae, defensorem pudicitiae suae, quasi communem patrem, per annum luxerunt. Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucretiae patrem; quo morbo mortuo, iterum Horatium Pulvillum collegam sibi sumsit. Ita primus annus quinque Consules habuit: quum Tarquinius Collatinus Urbe cessisset propter nomen, Brutus proelio perisset, Sp. Lucretius morbo mortuus esset.

X. Secundo quoque anno iterum Tarquinius, ut recuperetur in regnum, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porsena Tusciae rege: et Romam paene cepit. Verum tunc quoque victus est. Tertio anno post reges exactos Tarquinius, quum suscipi non posset in regnum, neque ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium praestaret, Tusculum se contulit, quae civitas non longe ab Urbe est, atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore consenuit. Quarto anno post reges exactos, quum Sabini Romanis bellum intulissent, victi sunt, et de his triumphatum. Quinto anno Valerius ille, Bruti collega, et quater cos., fataliter mortuus est; adeo pauper, ut, collatis a populo nummis, sumtum habuerit sepulturae; quem matronae, sicut Brutum, annum luxerunt.

XI. Nono anno post reges exactos, quum gener Tarquinii, ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem collegisset exercitum, nova Romae dignitas est creata, quae DICTATURA appellatur, maior quam consularis. Eodem anno etiam MAGISTER EQUITUM factus est, qui dictatori obsequeretur. Neque quidquam similius potest dici, quam Dictatura antiqua, huic imperii potestati, quam nunc Tranquillitas vestra habet: maxime quum Augustus quoque Octavianus, de quo postea dicemus, et ante eum Caius Caesar, sub Dictaturae nomine atque honore regna-

verint. Dictator autem Romae primus fuit Lartius; Magister equitum primus Sp. Cassius.

XII. Sexto decimo anno post reges exactos, seditionem populus Romae fecit, tamquam a Senatu atque Consulibus premeretur. Tum et ipse sibi TRIBUNOS PLEBIS, quasi proprios iudices et defensores, creavit, per quos contra Senatum et Consules tutus esse posset. Sequenti anno Volsci bellum reparaverunt, et victi acie, etiam Coriolos, civitatem, quam habebant optimam, perdiderunt.

XIII. Octavo decimo anno post eiectos reges expulsus ex Urbe Q. Marcius, dux Romanorum, qui Coriolos ceperat, Volscorum civitatem, ad ipsos Volscos contendit iratus, et auxilia contra Romanos accepit, Romanosque saepe vicit. Usque ad quintum milliarium Urbis accessit, oppugnaturus etiam patriam, legatis, qui pacem petebant, repudiatis; nisi ad eum mater Veturia et uxor Volumnia ex Urbe venissent: quarum fletu et deprecatione superatus, removit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.

XIV. Caesone Fabio et Tito Virginio COSS. trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes Senatui et populo, per se omne certamen implendum. Itaque profecti omnes nobiles, et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in proelio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Post hos census in Urbe habitus est, et inventa sunt civium capita CXIX millia CCCXIX.

XV. Sequenti anno, quum in Algido monte, ab Urbe duodecimo ferme milliario, Romanus obsideretur exercitus, L. Quinctius Cincinnatus Dictator est factus: qui agrum quatuor iugerum possidens, manibus suis colebat. Is, quum in opere et arans esset inventus, sudore deterso, togam praetextam accepit, et caesis hostibus liberavit exercitum.

XVI. Anno CCC et altero ab Urbe condita, imperium consulare cessavit, et pro duobus COSS. decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, DECEMVIRI nominati. Sed quum primo anno bene egissent, secundo unus ex iis, Appius Claudius, Virginii cuiusdam, qui honestis iam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit: quam pater occidit, ne stuprum a decemviro sustineret: et regressus ad milites, movit tumultum. Sublata est decemviris potestas, ipsique damnati sunt.

XVII. Anno trecentesimo decimo quinto ab Urbe condita, Fidenates contra Romanos rebellaverunt. Auxilium praestabant his Veientes et rex Veientium Tolumnius. Quae ambae civitates tam vicinae Urbi sunt, ut Fidenae sexto, Veientes XVIII milliario absint. Coniunxerunt se his et Volsci. Sed Mamerco Aemilio Dictatore, et L. Quinctio Cincinnato, Magistro equitum, victi, etiam regem perdiderunt. Fidenae captae et excisae.

XVIII. Post XX deinde annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos

cit acie, mox etiam civitatem diu obsidens cepit, antiquissimam Italiae atque ditissimam. Post eam cepit et Faliscos, non inus nobilem civitatem; sed commota est ei invidia, quasi raedam male divisisset, damnatusque ob eam caussam, et exalsus civitate est. Statim Galli Senones ad Urbem venerunt, victos Romanos undecimo milliario a Roma apud flumen Alam secuti, etiam Urbem occuparunt: neque defendi quidquam, isi Capitolium, potuit. Quod quum diu obsedissent, et iam omani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis superventum est, gravissimeque victi sunt. Potea tamen, accepto etiam auro, ne Capitolium obsiderent, reesserunt; sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, uod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant, militaria signa revocaret. Ita tertio triumphans Urbem ingressus est, et ppellatus secundus Romulus; quasi et ipse patriae conditor.

## LIBER SECUNDUS.

I. Anno trecentesimo sexagesimo quinto ab Urbe condita, ost captam autem primo, dignitates mutatae sunt, et pro duobus COSS. facti TRIBUNI MILITARES consulari potestate. Hinc iam coepit Romana res crescere. Nam Camillus eo anno Volscorum civitatem, quae per septuaginta annos bellum gesserat, vicit; et Aequorum urbem et Sutrinorum; atque omnes, deletis eorum exercitibus, occupavit, et tres simul triumphos egit.

II. Titus etiam Quinctius Cincinnatus Praenestinos, qui usque ad urbis Romae portas bello venerant, persecutus, ad flumen Alliam vicit: octo civitates, quae sub ipsis agebant, Romanis adiunxit. Ipsum Praeneste adgressus, in deditionem accepit: quae omnia ab eo gesta sunt viginti diebus, triumphusque ipsi decretus.

III. Verum dignitas Tribunorum militarium non diu perseveravit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri: et quadriennium ita in Urbe fluxit, ut potestates ibi maiores non essent. Resumserunt tamen Tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem, et triennio perseveraverunt. Rursus Consules facti.

IV. Genucio et Q. Servilio Coss. mortuus est Camillus: honor ei secundus post Romulum delatus est.

V. T. Quinctius Dictator adversus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab Urbe quarto milliario trans Anienem fluvium consederant. Nobilissimus ibi iuvenis de Senatoribus T. Manlius provocantem Gallum, ad singulare certamen progressus, occidit, et sublato torque aureo, colloque suo imposito, in perpetuum Torquati sibi et posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt; mox per C. Sulpitium Dictatorem etiam victi. Non multo post a C. Martio Tusci victi sunt: VIII millia captivorum ex his in triumphum ducti.

VI. Census iterum habitus est. Et quum Latini, qui a Romanis subacti erant, milites praestare nollent, ex Romanis tan-

tum tirones lecti sunt, factaeque legiones decem; qui modus sexaginta, vel amplius, armatorum millia efficiebat. Parvis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari virtus erat. Quae quum profectae essent adversus Gallos, duce L. Furio, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, provocavit. Tum se M. Valerius Tribunus militum obtulit, et quum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissa adversus Gallum pugna, idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset adspicere. Ita a Tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Corvinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium et viginti c o s. est factus.

VII. Latini, qui noluerant milites dare, hoc quoque a Romanis exigere coeperunt, ut unus Consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod quum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, et ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuae Consulibus ob meritum victoriae in Rostris positae sunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est.

VIII. Iam Romani potentes esse coeperunt. Bellum enim in centesimo et tricesimo fere milliario ab Urbe apud Samnites gerebatur, qui medii sunt inter Picenum, Campaniam et Apuliam. L. Papirius Cursor cum honore Dictatoris ad id bellum profectus est. Qui quum Romam redisset, Q. Fabio Maximo, Magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, praecepit, ne se absente pugnaret. Ille, occasione reperta, felicissime dimicavit, et Samnites delevit. Ob quam rem a Dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum et populi liberatus est; tanta Papirio seditione commota, ut paene ipse interficeretur.

IX. Postea Samnites Romanos, T. Veturio ac Sp. Postumio Coss., apud Furculas Caudinas angustiis locorum conclusos ingenti dedecore vicerunt, et sub iugum miserunt. Pax tamen a Senatu et populo soluta est, quae cum ipsis propter necessitatem facta fuerat. Postea Samnites victi sunt a L. Papirio Consule: septem millia eorum sub iugum missa. Papirius de Samnitibus triumphavit. Eo tempore Appius Claudius Censor Aquam Claudiam induxit, et viam Appiam stravit. Samnites, reparato bello, Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis. Postea quum pater ei Fabius Maximus Legatus datus fuisset, et Samnites vicit, et plurima eorum oppida cepit. Deinde P. Cornelius Rufinus, Manius Curius Dentatus, ambo Coss., contra Samnites missi, ingentibus proeliis eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos novem et XL actum sustulerunt: neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit.

X. Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorum copiae, contra Romanos, Tuscis Samnitibusque iunxerunt: sed quum Romam tenderent, a Cn. Cornelio Dolabella c o s. deletae sunt.

XI. Eodem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia sunt, *bellum indictum* est, quia legatis Romanorum iniuriam fecissent

Hi Pyrrhum, Epiri regem, contra Romanos auxilio poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. Missus est contra eum Consul P. Valerius Laevinus, qui quum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renunciarent Pyrrho, quaecumque a Romanis agerentur. Commissa mox pugna, quum iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt: sed nox proelio finem dedit. Laevinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractavit; occisos sepelivit. Quos quum adverso vulnere et truci vultu, etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad coelum manus dicitur, cum hac voce: *se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.*

XII. Postea Pyrrhus, iunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Bruttiisque, Romam perrexit, omnia ferro igneque vastavit: Campaniam depopulatus est, atque ad Praeneste venit milliario ab Urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui cum Consule loquebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captivis missi, ab eo honorifice suscepti sunt: captivos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum, Fabricium, sic admiratus est, ut, quum eum pauperem esse cognovisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret; contemtusque a Fabricio est. Quare quum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem aequis conditionibus peteret, praecipuum virum, Cineam nomine, ita ut Pyrrhus partem Italiae, quam iam armis occupaverat, obtineret.

XIII. Pax displicuit: remandatumque Pyrrho a Senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani iusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent: nec ante eos ad veterem statum reverti, quam si binorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reversus est. A quo quum quaereret Pyrrhus, *qualem Romam comperisset*, Cineas dixit, *regum se patriam vidisse, scilicet tales illic fere omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirum et reliquam Graeciam putaretur.* Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius et Decius Mus, Consules. Certamine commisso Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, XX millia caesa hostium, et ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus Tarentum fugatus.

XIV. Interiecto anno, contra Pyrrhum Fabricius est missus: qui prius inter legatos sollicitari non potuerat, quarta parte regni promissa. Tum, quum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens, se veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quae contra caput eius medicus spopondisset. Tunc rex admiratus eum, dixisse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest.* Tum rex in Siciliam

profectus est; Fabricius, victis Samnitibus et Lucanis, triumphavit. Coss. deinde, Curius Dentatus, et Cornelius Lentulus, adversus Pyrrhum missi sunt; Curius contra eum pugnavit, exercitum eius cecidit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. Ea die caesa hostium XXIII millia. Curius in Consulatu triumphavit; primus Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam a Tarento mox recessit, et apud Argos, Graeciae civitatem, occisus est.

XV. C. Fabio Licino, et C. Claudio Canina Coss. anno Urbis conditae CCCCLXI. legati Alexandrini, a Ptolemaeo missi, Romam venere, et a Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt.

XVI. Quinto Ogulnio, C. Fabio Pictore Coss. Picentes bellum commovere, et ab insequentibus Coss. P. Sempronio, Appio Claudio, victi sunt; et de his triumphatum est. Conditae a Romanis civitates, Ariminum in Gallia, et Beneventum in Samnio.

XVII. M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone Coss. Sallentini bellum indictum est, captique sunt cum civitate simul Brundisini, et de his triumphatum est.

XVIII. Anno CCCCLXXVII., quum iam clarum urbis Romae nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Ut igitur cognosceretur, quae copiae Romanorum essent, census est habitus: inventa sunt civium capita CCXCII millia CCCXXXIV; quamquam a condita Urbe numquam bella cessassent. Et contra Afros bellum susceptum est primum, Appio Claudio, Q. Fulvio Coss. In Sicilia contra eos pugnatum est, et Appius Claudius de Afris et rege Siciliae Hierone triumphavit.

XIX. Insequenti anno, Valerio Marco et Otacilio Coss. in Sicilia a Romanis res magnae gestae sunt. Tauromenitani, Catinenses, et praeterea quinquaginta civitates in fidem acceptae sunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem bellum paratum est. Is cum omni nobilitate Syracusanorum pacem a Romanis impetravit, deditque argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia victi sunt, et de his secundo Romae triumphatum est.

XX. Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani C. Duilio et Cn. Cornelio Asina Coss. in mari dimicaverunt, paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant. Consul Cornelius fraude deceptus est. Duillius, commisso proelio, Carthaginiensium ducem vicit, XXXI naves cepit, XIV mersit, VII millia hostium cepit, III occidit. Neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, iam etiam mari plurimum possent. C. Aquillio Floro, L. Scipione Coss. Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa millia inde captivorum abduxit, triumphum egit.

XXI. L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo Coss. bellum in Africam translatum est: contra Hamilcarem, Carthaginiensium ducem, in mari pugnatum, victusque est. Nam perditis LXIV navibus, retro se recepit. Romani XXII amiserunt. Sed quum in Africam transissent, primam Clypeam, Africae civitatem, in deditionem acceperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis oppidis Manlius victor Romam rediit,

et XXVII millia captivorum reduxit: Atilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginiensium duces dimicans, victor fuit, XVIII millia hostium cecidit, quinque millia cum XVIII elephantis cepit, LXXIII civitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginienses pacem a Romanis petierunt: quam quum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedaemoniis petierunt: et duce Xanthippo, qui a Lacedaemoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo millia tantum ex omni Romano exercitu refugerunt; quingeint cum imperatore Regulo capti sunt: XXX millia occisa: Regulus ipse in catenas coniectus.

XXII. M. Aemilio Paullo, Servio Fulvio Nobiliore Coss., ambo Romani Consules ad Africam profecti sunt cum trecentarum navium classe; primum Afros navali certamine superant. Aemilius Consul centum et quatuor naves hostium demersit: triginta cum pugnatoribus cepit: XV millia hostium aut occidit, aut cepit: militem suum ingenti praeda ditavit. Et subacta Africa tum fuisset, nisi tanta fames fuisset, ut diutius exspectare exercitus non posset. Consules cum victrici classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt: et tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta quatuor navibus octoginta servari vix potuerint. Neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt; neque in aliquo animus his infractus fuit.

XXIII. Cn. Servilius Caepio, et C. Sempronius Blaesus Coss. cum ducentis sexaginta navibus ad Africam profecti sunt, aliquot civitates ceperunt: praedam ingentem reducentes, naufragium passi sunt. Itaque quum continuae calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus, ut a maritimis proeliis recederetur, et tantum sexaginta naves ad praesidium Italiae salvae essent.

XXIV. L. Caecilio Metello, C. Furio Pacilo Coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducem, cum CXXX elephantis et magnis copiis venientem, superavit, XX millia hostium cecidit, XXVI elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, et Romam reduxit ingenti pompa, quum CXXX elephantorum numerus omnia itinera compleret.

XXV. Post haec mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur et pacem a Romanis obtineret, ac permutationem captivorum faceret. Ille Romam quum venisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit: dixitque, *se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse.* Itaque et uxorem a complexu removit, et Romanis suasit, ne pax cum Poenis fieret. *Illos enim, fractos tot casibus, spem nullam habere: se tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se, et senem, et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur.* Itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit: ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis, ut eum Romae tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua, postquam Afris

servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur ad Africam, omnibus suppliciis exstinctus est.

XXVI. P. Claudio Pulcro et C. Iunio Coss. Claudius contra auspicia pugnavit, et a Carthaginiensibus victus est. Nam ex CCXX navibus cum XXX fugit, nonaginta cum pugnatoribus captae sunt: demersae ceterae. Alius quoque Consul classem naufragio amisit: exercitum tamen salvum habuit, quia vicina litora erant.

XXVII. C. Lutatio Catulo, A. Postumio Albino Coss. anno belli Punici XXIII, Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum CCC navibus in Siciliam. Afri contra ipsum CCCC paraverunt. Numquam in mari tantis copiis pugnatum est. Lutatius Catulus navem aeger adscendit: vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybaeum, civitatem Siciliae, pugnatum est ingenti virtute Romanorum. Nam LXXIII Carthaginiensium naves captae sunt, CXXV demersae, XXXII millia hostium capta, XIII occisa: infinitum auri argentique pondus in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romanorum XII naves demersae. Pugnatum est VI. Idus Martias. Statim Carthaginienses pacem petierunt, tributaque est eis pax; captivi Romanorum, qui tenebantur a Carthaginiensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginienses petierunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent; qui autem a privatis tenerentur, ut, pretio dominis reddito, Carthaginem redirent, atque id pretium ex fisco magis, quam a Carthaginiensibus solveretur.

XXVIII. Q. Lutatius, A. Manlius Coss. creati, bellum Faliscis intulerunt, quae civitas Italiae opulenta quondam fuit: quod ambo Coss. intra sex dies, quam venerant, transegerunt, XV millibus hostium caesis: ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.

## LIBER TERTIUS.

I. Finito igitur Punico bello, quod per XXIII annos tractum est. Romani iam clarissima gloria noti legatos ad Ptolemaeum Aegypti regem miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias Romanis egit: auxilia non accepit: iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hiero Romam venit ad ludos spectandos, et ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit.

II. L. Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco Coss., quibus Hiero Romam venerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum gestum est, et de his triumphatum. Carthaginienses tum bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, et pacem impetravit.

*III.* T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo Coss. de Sardis

triumphatum est: et pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt; quod his post Romam conditam semel tantum, Numa Pompilio regnante, contigerat.

IV. L. Postumius Albinus, Cn. Fulvius Centumalus Coss. bellum contra Illyrios gesserunt: et multis civitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt. Ac tum primum de Illyriis triumphatum est.

V. L. Aemilio Cos. ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt. Sed pro Romanis tota Italia consensit: traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per Cos. tum prospere gesta est: XL millia hostium interfecta sunt, et triumphus Aemilio decretus.

VI. Aliquot deinde annis post contra Gallos intra Italiam pugnatum est, finitumque est bellum M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione Coss. Tunc Marcellus cum parva manu equitum dimicavit, et regem Gallorum, Virdomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanum expugnavit, grandem praedam Romam pertulit, ac triumphans Marcellus spolia Galli, stipiti imposita, humeris suis vexit.

VII. M. Minucio Rufo, P. Cornelio Coss. Istris bellum illatum est, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quae frumenta exhibebant, perdomitique sunt omnes. Eodem anno bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem, Carthaginiensium ducem, qui Saguntum, Hispaniae civitatem, Romanis amicam, oppugnare adgressus est, annum agens vicesimum aetatis, copiis congregatis CL millium [peditum et XX millium equitum]. Huic Romani per legatos denunciaverunt, ut bello abstineret. Is legatos admittere noluit. Romani etiam Carthaginem miserunt, ut mandaretur Hannibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. Dura responsa a Carthaginiensibus reddita. Saguntini interea fame victi sunt; captique ab Hannibale ultimis poenis adficiuntur.

VIII. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam profectus est, Tiberius Sempronius in Siciliam; bellum Carthaginiensibus indictum est. Hannibal, relicto in Hispania fratre Hasdrubale, Pyrenaeum transiit; Alpes, adhuc ea parte invias, sibi patefecit. Traditur ad Italiam LXXX millia peditum, et XX millia equitum, septem et XXX elephantos adduxisse. Interea multi Ligures et Galli Hannibali se iunxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Hannibalis adventu, ex Sicilia exercitum Ariminum traiecit.

IX. P. Cornelius Scipio Hannibali primus occurrit; commisso proelio, fugatis suis, ipse vulneratus in castra rediit. Sempronius Gracchus et ipse confligit apud Trebiam amnem. Is quoque vincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Tusciam veniens Hannibal Flaminio Consuli occurrit; ipsum Flaminium interemit. Romanorum XXV millia caesa sunt; ceteri diffugerunt. Missus adversus Hannibalem postea a Romanis Q.

Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit; mox inventa occasione vicit.

X. Quingentesimo et quadragesimo anno a condita Urbe, L. Aemilius Paullus, P. Terentius Varro, contra Hannibalem mittuntur, Fabioque succedunt. Qui Fabius ambos Coss. monuit, ut Hannibalem, callidum et impatientem ducem, non aliter vincerent, quam proelium differendo. Verum quum impatientia Varronis Consulis, contradicente Consule altero, apud vicum, qui Cannae appellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo Coss. ab Hannibale vincuntur. In ea pugna III millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Hannibalis sauciatur. Nullo tamen Punico bello Romani gravius accepti sunt. Periit enim in eo Aemilius Paullus Consul: Consulares aut Praetorii XX, Senatores capti aut occisi XXX, nobiles viri CCC, militum XL millia, equitum III millia et quingenti. In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Servi, quod numquam ante, manumissi et milites facti sunt.

XI. Post eam pugnam multae Italiae civitates, quae Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumque est a Senatu, eos cives non esse necessarios, qui, quum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit, et tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, Senatorum et militum detraxerat. Interea in Hispania, ubi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, a ducibus Scipionibus, Romanis ducibus, vincitur, perditque in pugna XXXV millia hominum. Ex his capiuntur X millia; occiduntur XXV. Mittuntur ei a Carthaginiensibus ad reparandas vires XII millia peditum, IV millia equitum, XX elephanti.

XII. Anno quarto, postquam in Italiam Hannibal venit, M. Claudius Marcellus Cos. apud Nolam, civitatem Campaniae, contra Hannibalem bene pugnavit. Hannibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, et Bruttios occupavit. Quo tempore etiam rex Macedoniae Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos sub hac conditione, ut, deletis Romanis, ipse quoque contra Graecos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi et re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Laevinum ire iusserunt: in Sardiniam T. Manlium Torquatum Proconsulem. Nam etiam ea, sollicitata ab Hannibale, Romanos deseruerat.

XIII. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Hannibalem; in Hispaniis contra fratrem eius Hasdrubalem; in Macedonia contra Philippum; in Sardinia contra Sardos, et alterum Hasdrubalem Carthaginiensem. Is a T. Manlio Proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus est captus, occisa cum eo XII millia, capti mille quingenti, et a Romanis Sardinia subacta. Manlius victor captivos et Hasdrubalem Romam reportavit. Interea etiam Philippus a Laevino in Macedonia vincitur; et in Hispania a Scipionibus Hasdrubal, et Mago, *tertius frater* Hannibalis.

XIV. Decimo anno, postquam Hannibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cn. Fulvio Coss. Hannibal usque ad quartum milliarium Urbis accessit; equites eius usque ad portas. Mox Consulum metu, cum exercitu venientium, Hannibal ad Campaniam se recepit. In Hispania a fratre eius Hasdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur: exercitus tamen integer mansit; casu enim magis erant, quam virtute, decepti. Quo tempore etiam a Consule Marcello Siciliae magna pars capta est, quam tenere Afri coeperant, et nobilissimae urbis Syracusanae praeda ingens Romam perlata est. Laevinus in Macedonia cum Philippo et multis Graeciae populis, et rege Asiae Attalo amicitiam fecit: et ad Siciliam profectus, Hannonem quendam, Afrorum ducem, apud Agrigentum civitatem, cum ipso oppido cepit, eumque Romam cum captivis nobilibus misit; XL civitates in deditionem accepit, XXVI expugnavit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, cum ingenti gloria Romam regressus est. Hannibal in Italia Cn. Fulvium Consulem subito adgressus, cum octo millibus hominum interfecit.

XV. Interea ad Hispanias, ubi, occisis duobus Scipionibus, nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius P. Scipionis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus quatuor et viginti: vir Romanorum omnium et sua aetate, et posteriori tempore fere primus. Is Carthaginem Hispaniae capit, in qua omne aurum, et argentum, et belli apparatum Afri habebant; nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperant. Magonem etiam, fratrem Hannibalis, ibidem capit, quem Romam cum aliis mittit. Romae ingens laetitia post hunc nuncium fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. Quare omnes fere Hispaniae ad eum uno animo transierunt. Post quae Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, victum fugat, et praedam maximam capit.

XVI. Interea in Italia Cos. Q. Fabius Maximus Tarentum cepit, in qua ingentes copiae Hannibalis erant. Ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit, XXV millia captivorum vendidit, praedam militibus dispertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multae civitates Romanorum, quae ad Hannibalem transierant, rursus se Fabio Maximo dediderunt. Insequenti anno Scipio in Hispania egregias res egit, et per se, et per fratrem suum L. Scipionem, LXX civitates recepit. In Italia tamen male pugnatum est. Nam Claudius Marcellus Cos. ab Hannibale occisus est.

XVII. Tertio anno, postquam Scipio ad Hispaniam profectus est, rursus res inclutas gerit: regem Hispaniarum, magno proelio victum, in amicitiam accepit, et primus omnium a victo obsides non poposcit.

XVIII. Desperans Hannibal, Hispanias contra Scipionem ducem diutius posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinere, quo etiam Hannibal venerat, a Consulibus Appio Claudio Nerone et M. Livio Salinatore apud [Metaurum fluvium et] Senam, Piceni civitatem, in insidias compositas incidit: strenue tamen

pugnans, occisus est; ingentes eius copiae captae aut interfectae sunt; magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Post haec Hannibal diffidere de belli coepit eventu. Romanis ingens animus accessit. Itaque et ipsi evocaverunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit.

XIX. Q. Caecilio, L. Valerio Coss. omnes civitates, quae in Bruttiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt.

XX. Anno XIV. postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa in Hispania bene egerat, Consul est factus, et in Africam missus. Cui viro divinum quiddam inesse existimabatur, adeo ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum, pugnavit, exercitum eius interfecit; secundo proelio castra cepit cum quatuor millibus et quingentis militibus; XI millibus occisis. Syphacem, Numidiae regem, qui se Afris coniunxerat, capit, et castra eius invadit. Syphax cum nobilissimis Numidis, et infinitis spoliis, Romam a Scipione mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deserit. Ipse a Carthaginiensibus redire in Africam iubetur, quam Scipio vastabat.

XXI. Ita anno XVII. ab Hannibale Italia liberata est, quam flens dicitur reliquisse. Legati Carthaginiensium pacem a Scipione petierunt, ab eo ad Senatum Romam missi sunt: quadraginta et quinque diebus induciae datae sunt, quousque Romam ire et regredi possent; et XXX millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, *ne amplius quam XXX naves haberent, ut D millia pondo argenti darent, captivos et perfugas redderent.*

XXII. Interim, Hannibale veniente ad Africam, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt; legati tamen eorum ex Urbe venientes, a Romanis capti sunt, et iubente Scipione dimissi. Hannibal quoque frequentibus proeliis victus a Scipione, petit etiam ipse pacem. Quum ventum esset ad colloquium, iisdem conditionibus data est, quibus prius; addita quingentis millibus pondo argenti C millia librarum, propter novam perfidiam. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, iusseruntque Hannibalem pugnare. Infertur a Scipione et Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit; quos captos Scipio circumduci per castra iussit, ostendique eis totum exercitum; mox etiam prandium dari, dimittique, ut renunciarent Hannibali, quae apud Romanos vidissent.

XXIII. Interea proelium ab utroque duce instructum est, quale vix ulla memoria fuit, quum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, paene ipso Hannibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum XX, postremo cum quatuor evasit. Inventa in castris Hannibalis argenti pondo XX millia, auri LXXX, cetera supellectilis copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio

Romam rediit, ingenti gloria triumphavit, atque Africanus ex eo appellari coeptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum post annum nonum decimum, quam coeperat.

## LIBER QUARTUS.

I. Transacto Punico bello, secutum est MACEDONICUM contra Philippum regem.

II. Quingentesimo et quinquagesimo primo anno ab Urbe condita, T. Quinctius Flamininus adversus Philippum [regem mittitur:] rem prospere gessit. Pax ei data est his legibus, *ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret: ut captivos et transfugas redderet: quinquaginta solum naves haberet, reliquas Romanis daret: per annos decem quaterna millia pondo argenti praestaret, et obsidem daret filium suum Demetrium.* T. Quinctius etiam Lacedaemoniis intulit bellum: ducem eorum Nabidem vicit, et, quibus voluit conditionibus, in fidem accepit. Ingenti gloria duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium, Philippi filium, et Armenem Nabidis.

III. Transacto bello Macedonico secutum est SYRIACUM contra Antiochum regem, P. Cornelio Scipione, M.' Acilio Glabrione Coss. Huic Antiocho Hannibal se iunxerat; Carthaginem, patriam suam, metu, ne Romanis traderetur, relinquens. M.' Acilius Glabrio in Achaia bene pugnavit: castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt, ipse fugatus. Philippo, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuisset, filius Demetrius redditus est.

IV. L. Cornelio Scipione, C. Laelio Coss. Scipio Africanus fratri suo L. Cornelio Scipioni Consuli Legatus contra Antiochum profectus est. Hannibal, qui cum Antiocho erat, navali proelio victus est. Ipse postea Antiochus circa Sipylum ad Magnesiam, Asiae civitatem, a Cos. Cornelio Scipione ingenti proelio fusus. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. L millia peditum, III equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacem petiit; iisdem conditionibus datur a Senatu, quamquam victo, quibus ante offerebatur: ut ex Europa et Asia recederet, atque intra Taurum se contineret, X millia talentorum et XX obsides praeberet, Hannibalem, concitatorem belli, dederet. Eumeni regi donatae sunt omnes Asiae civitates, quas Antiochus bello perdiderat: et Rhodiis, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multae urbes concessae sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit: nomen et ipse, ad imitationem fratris, Asiagenis [Asiatici] accepit, [quia Asiam vicerat: sicut frater ipsius propter Africam domitam Africanus appellabatur.]

V. Spurio Postumio Albino, Q. Marcio Philippo Coss. M. Fulvius de AETOLIS triumphavit. Hannibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam, Bithyniae regem,

fugerat, repetitus etiam ab eo est per T. Quinctium Flamininum; et quum tradendus Romanis esset, venenum bibit, et apud Libyssam, in finibus Nicomediensium, sepultus est.

VI. Philippo rege Macedoniae mortuo, qui et adversum Romanos bellum gesserat, et postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius eius PERSEUS in Macedonia rebellavit, ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adiutores habebat Cotyn, Thraciae regem; et Illyrici, Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes, Asiae rex, Ariarathes Cappadociae, Antiochus Syriae, Ptolemaeus Aegypti, Masinissa Numidiae. Prusias autem Bithyniae, quamquam sororem Persei uxorem haberet, utrisque se aequum praebuit. Dux Romanorum P. Licinius Cos. contra eum missus est, et a rege gravi proelio victus. Neque tamen Romani, quamquam superati, regi petenti pacem praestare voluerunt, nisi his conditionibus, si *se et suos Senatui et populo Romano dederet*. Mox missus contra eum L. Aemilius Paullus Cos. et in Illyricum C. Anicius Praetor contra Gentium. Sed Gentius facile uno proelio victus, mox se dedidit. Mater eius, et uxor, et duo filii, frater quoque, simul in potestatem Romanorum venerunt. Ita bello intra XXX dies perfecto, ante cognitum est Gentium victum, quam coeptum bellum nuntiaretur.

VII. Cum Perseo autem Aemilius Paullus Cos. III. Non. Septembris dimicavit, vicitque eum, XX millibus peditum eius occisis. Equitatus cum rege fuit integer. Romanorum C milites amissi sunt: urbes Macedoniae omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt. Ipse rex, quum desereretur ab amicis, venit in Paulli potestatem. Sed honorem ei Aemilius, non quasi victo, habuit. Nam et volentem ad pedes sibi cadere, non permisit, sed iuxta se in sella collocavit. Macedonibus et Illyriis hae leges a Romanis datae: *ut liberi essent, et dimidium eorum tributorum praestarent, quae regibus praestitissent:* ut appareret, populum Rom. pro aequitate magis, quam avaritia dimicare. Atque in conventu finitimorum populorum Paullus haec pronuntiavit: et legationes multarum gentium, quae ad eum venerant, magnificentissimo convivio pavit, dicens: *eiusdem hominis esse debere, et bello vincere, et convivii apparatu elegantem esse.*

VIII. Mox LXX civitates Epiri, quae rebellarant, cepit; praedam militibus distribuit; Romam cum ingenti pompa rediit in nave Persei, quae inusitatae magnitudinis fuisse traditur, adeo ut XVI ordines dicatur habuisse remorum. Triumphavit magnificentissime in curru aureo, cum duobus filiis, utroque latere adstantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filii, et ipse Perseus, XLV annos natus. Post eum etiam C. Anicius de Illyriis triumphavit. Gentius cum fratre et filiis ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum multarum gentium reges Romam venerunt; inter alios etiam venit Attalus, atque Eumenes, Asiae reges; atque Prusias Bithyniae. Magno honore accepti sunt, et, permittente Senatu, dona, quae attulerant,

in Capitolio posuerunt: Prusias etiam filium suum Nicomedem Senatui commendavit.

IX. Insequenti anno L. Memmius in Hispania bene pugnavit: Marcellus postea Consul res ibidem prospere gessit.

X. TERTIUM deinde BELLUM CONTRA CARTHAGINEM suscipitur, sexcentesimo et altero anno ab Urbe condita; L. Manlio Censorino et M. Manilio Coss. anno LI. postquam secundum Punicum bellum transactum erat. Hi profecti Carthaginem oppugnaverunt. Contra eos Hasdrubal, dux Carthaginiensium, dimicabat. Phamea, dux alius, equitatui praeerat Carthaginiensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, Tribunus ibi militabat. Huius apud omnes ingens metus et reverentia erat. Nam et paratissimus ad dimicandum, et consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prospere a Coss. gesta sunt. Nec quidquam magis vel Hasdrubal, vel Phamea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat.

XI. Per idem tempus Masinissa, rex Numidarum, per annos sexaginta fere amicus populi Romani, anno vitae XCVII. mortuus est, XLIV filiis relictis. Scipionem divisorem regni inter filios esse iussit.

XII. Quum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuvenis adhuc Cos. est factus et contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa, quae variarum civitatum excidiis Carthago collegerat: et ornamenta urbium civitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod avus eius acceperat, meruit, scilicet, ut propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur.

XIII. Interim in Macedonia quidam PSEUDOPHILIPPUS arma movit, et Romanum Praetorem, P. Iuventium, contra se missum, ad internecionem vicit. Post eum Q. Caecilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est, et XXV millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit: ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.

XIV. CORINTHIIS quoque bellum indictum est, nobilissimae Graeciae civitati, propter iniuriam legatorum Romanorum. Hanc Mummius cepit ac diruit. Tres igitur Romae simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani ex Africa, ante cuius currum ductus est Hasdrubal; Metelli, ex Macedonia, cuius currum praecessit Andriscus, qui et Pseudophilippus dicitur; Mummii, ex Corintho, ante quem signa aenea, et pictae tabulae, et alia urbis clarissimae ornamenta praelata sunt.

XV. Iterum in Macedonia PSEUDOPERSEUS, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servis, rebellavit: et quum sexdecim armatorum millia haberet, a Tremellio Quaestore superatus est. [His diebus androgynus Romae visus, iussu aruspicum in mare mersus est.]

XVI. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Q. Pompeius, nec multo post Q. quoque Caepio ad idem bellum missus est, quod quidam VIRIATHUS contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo meta

Viriathus a suis interfectus est, quum quatuordecim annis Hispanias adversum Romanos movisset. Pastor primo fuit, mox latronum dux: postremo tantos ad bellum populos concitavit, ut assertor, contra Romanos, Hispaniae putaretur. Quum interfectores eius praemium a Caepione Consule peterent, responsum est, *numquam Romanis placuisse, imperatorem a suis militibus interfici.*

XVII. Q. Pompeius deinde Consul a NUMANTINIS, quae Hispaniae civitas fuit opulentissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum C. Hostilius Mancinus Cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem; quam populus et Senatus iussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi, ut in illo, quem auctorem foederis habebant, iniuriam soluti foederis vindicarent. Post tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis bis Romani exercitus fuerant subiugati, P. Scipio Africanus, secundo Consul factus, ad Numantiam missus est. Is primum militem vitiosum et ignavum, exercendo magis, quam puniendo, sine aliqua acerbitate correxit. Tum multas Hispaniae civitates partim bello cepit, partim in deditionem accepit. Postremo ipsam Numantiam, diu obsessam, fame confecit et a solo evertit; reliquam provinciam in fidem accepit.

XVIII. Eo tempore Attalus rex Asiae, frater Eumenis, mortuus est, heredemque populum Romanum reliquit. Ita imperio Romano per testamentum Asia accessit.

XIX. Mox Decimus Iunius Brutus de Gallaecis et Lusitanis triumphavit magna gloria, et P. Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit XIV. anno, postquam priorem de Africa egerat.

XX. Motum interim in Asia bellum est ab ARISTONICO, Eumenis filio, qui ex concubina susceptus fuerat. Is Eumenem frater Attali fuerat. Adversus eum missus Pont. P. Licinius Crassus, infinita regum habuit auxilia. Nam et Bithyniae rex Nicomedes Romanos iuvit, et Mithridates Ponticus, cum quo bellum postea gravissimum fuit, et Ariarathes Cappadox, et Pylaemenes Paphlagon. Victus est tamen Crassus, et in proelio interfectus. Caput eius Aristonico oblatum est, corpus Smyrnae sepultum. Postea Perperna Consul Romanus, qui successor Crasso veniebat, audita belli fortuna, ad Asiam celeravit, et acie victum Aristonicum, apud Stratonicen civitatem, quo fugerat, fame ad deditionem compulit. Aristonicus iussu Senatus [Romae] in carcere strangulatus: triumphari de eo non poterat, quia Perperna apud Pergamum, Romam rediens, diem obierat.

XXI. L. Caecilio Metello et T. Quinctio Flaminino Coss. Carthago in Africa iussu Senatus reparata est, quae nunc manet; annis duobus et viginti, postquam a Scipione fuerat eversa. Deducti eo sunt cives Romani.

XXII. Anno DCXXVII ab Urbe condita, C. Cassius Longinus et Sex. Domitius Calvinus, Consules, GALLIS TRANSALPINIS bellum intulerunt, et Arvernorum tunc nobilissimae civitati, atque eorum duci Bituito, infinitamque multitudinem iuxta *Rhodanum* fluvium interfecerunt. Praeda ex torquibus Gallo-

rum ingens Romam perlata est. Bituitus se Domitio dedidit, atque ab eo Romam ductus est, magnaque gloria Consules ambo triumphaverunt.

XXIII. M. Porcio Catone et Q. Marcio Rege Coss. DCXXXIII anno ab Urbe condita, Narbona in Gallia colonia deducta est. Postea L. Metello et Q. Mucio Scaevola Coss. de Dalmatia triumphatum est.

XXIV. Ab Urbe condita anno DCXXXV. C. Cato Consul Scordiscis intulit bellum, ignominioseque pugnavit.

XXV. C. Caecilio Metello et Cn. Carbone Coss. duo Metelli fratres eodem die, alterum ex Sardinia, alterum ex Thracia triumphum egerunt; nunciatumque Romae est, Cimbros e Gallia in Italiam transisse.

XXVI. P. Scipione Nasica et L. Calpurnio Bestia Coss. Iugurthae, Numidarum regi, bellum illatum est, quod Adherbalem et Hiempsalem, Micipsae filios, fratres suos, reges, et P. R. amicos, interemisset. Missus adversus eum Cos. Calpurnius Bestia, corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quae a Senatu improbata est. Postea contra eundem, insequenti anno, Spurius Postumius Albinus profectus est. Is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit.

XXVII. Tertio missus Q. Caecilius Metellus Consul, exercitum ingenti severitate et moderatione correctum, quum nihil in quemquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham variis proeliis vicit, elephantos eius occidit, vel cepit: [multas civitates ipsius in deditionem accepit.] Et quum iam bello finem positurus esset, successum est ei a C. Mario. Is Iugurtham et Bocchum, Mauretaniae regem, qui auxilium Iugurthae ferre coeperat, pariter superavit. Aliquanta et ipse oppida Numidiae cepit, belloque terminum posuit, capto Iugurtha per Quaestorem suum Cornelium Sullam, ingentem virum: tradente Boccho Iugurtham, qui pro eo ante pugnaverat. A M. Iunio Silano, collega Q. Metelli, Cimbri in Gallia; et a Minucio Rufo in Macedonia Scordisci et Triballi; et a Servilio Caepione in Hispania Lusitani victi sunt, et duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium acti sunt. Ante currum tamen Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus, et mox iussu Consulis in carcere strangulatus.

## LIBER QUINTUS.

I. Dum bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani Consules M. Manlius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonibus, et Tigurinis, et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum; et ingenti internecione attriti, etiam castra sua et magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romae grandis fuit, quantus vix Hannibalis, tempore Punici belli, ne iterum Galli Romam redirent. Ergo Marius post victoriam Iugurthinam secundo Cos. est factus, bellumque ei contra Cimbros et Teutonas decretum est. Tertio

quoque ei et quarto delatus est Consulatus, quia bellum Cimbricum protahebatur. Sed in quarto Consulatu collegam habuit Q. Lutatium Catulum, Cum Cimbris itaque conflixit, et duobus proeliis CC millia hostium cecidit, LXXX millia cepit, et ducem eorum Teutobodum: propter quod meritum absens quinto Cos. est factus.

II. Interea Cimbri et Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam transierunt. Iterum a C. Mario et Q. Catulo contra eos dimicatum est: sed a Catuli parte felicius. Nam proelio, quod simul ambo gesserunt, CXL millia, aut in pugna, aut in fuga, caesa sunt; LX millia capta. Romani milites ex utroque exercitu trecenti [III millia] perierunt. Tria et triginta Cimbris signa sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportavit; Catuli exercitus XXX et unum. Is belli finis fuit: triumphus utrique decretus est.

III. Sex. Iulio Caesare et L. Marcio Philippo Coss. sexcentesimo quinquagesimo nono anno ab Urbe condita, quum prope alia omnia bella cessarent, in Italia gravissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique moverunt: qui, quum annis numerosis iam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi aequam adserere coeperunt. Perniciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius Consul in eo occisus est: Caepio, nobilis iuvenis, et Porcius Cato, alius Cos. Duces autem adversus Romanos Picentibus et Marsis fuerunt T. Vettius, Hierius Asinius, T. Herennius, A. Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum est a C. Mario, qui sexies Consul fuerat, et a Cn. Pompeio: maxime tamen a L. Cornelio Sulla, qui inter alia egregia, ita Cluentium, hostium ducem, cum magnis copiis fudit, ut ex suis unum amitteret. Quadriennio, cum gravi tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum anno finem accepit per L. Cornelium Sullam Consulem, quum antea in eodem bello ipse multa strenue, sed Praetor, egisset.

IV. Anno Urbis conditae DCLXII. primum Romae bellum CIVILE commotum est: eodem anno etiam Mithridaticum. Caussam bello civili C. Marius sexies Cos dedit. Nam quum Sulla Consul contra Mithridaten gesturus bellum, qui Asiam et Achaiam occupaverat, mitteretur; isque exercitum in Campania paullisper teneret, ut belli socialis, (de quo diximus,) quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiae tollerentur; Marius adfectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quare Sulla commotus, cum exercitu ad Urbem venit. Illic contra Marium et Sulpicium dimicavit. Primus urbem Romam armatus ingressus est; Sulpicium interfecit; Marium fugavit. Atque ita Coss. ordinatis in futurum annum, Cn. Octavio et L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est.

V. Mithridates enim, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, et totum Ponticum mare in circuitu cum Bospore tenebat; primo Nicomedem, amicum populi Romani, Bithynia voluit expellere, Senatuique mandavit, bellum se ei propter iniurias, quas passus fuerat, illaturum. A Senatu responsum est *Mithridati*, si id faceret, quod bellum a Romanis et ipse pate-

retur. Quare iratus Cappadociam statim occupavit, et ex ea Ariobarzanem, regem et amicum populi Romani, fugavit. Mox etiam Bithyniam invasit et Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus, amicis populi Romani, Pylaemene et Nicomede. Inde Ephesum contendit, et per omnem Asiam litteras misit, ut, ubicunque inventi essent cives Romani, uno die occiderentur.

VI. Interea etiam Athenae, civitas Achaiae, ab Aristone Atheniensi Mithridati tradita est. Miserat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum, ducem suum, cum centum et viginti millibus equitum ac peditum: per quem etiam reliqua Graecia occupata est. Sulla Archelaum apud Piraeeum, non longe ab Athenis, obsedit, ipsamque urbem cepit: postea commisso proelio contra Archelaum, ita eum vicit, ut ex CXX millibus vix decem Archelao superessent, ex Sullae exercitu XVI tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita, LXX millia lectissima ex Asia Archelao misit, contra quem Sulla iterum commisit. Primo proelio viginti millia hostium interfecta sunt, filiusque Archelai, Diogenes: secundo omnes Mithridatis copiae exstinctae sunt. Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita, Mithridates cum Sulla de pace agere coepit.

VII. Interim eo tempore Sulla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, ac Maedos partim vicit; alios in fidem accepit. Sed quum legati a rege Mithridate, qui pacem petebant, venissent, non aliter se daturum Sulla esse respondit, nisi rex, relictis his, quae occupaverat, ad regnum suum rediisset. Postea tamen ad colloquium ambo venerunt; pax inter eos ordinata est, ut Sulla, ad bellum civile festinans, a tergo periculum non haberet. Nam dum Sulla in Achaia atque Asia Mithridatem vincit, Marius, qui fugatus erat, et Cornelius Cinna, unus ex Consulibus, bellum in Italia repararunt, et ingressi urbem Romam, nobilissimos ex Senatu et Consulares viros interfecerunt; multos proscripserunt; ipsius Sullae domo eversa, filios et uxorem in fugam compulerunt. Universus reliquus Senatus ex Urbe fugiens, ad Sullam in Graeciam venit, orans, ut patriae subveniret. Ille in Italiam traiecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum ac Scipionem Coss. Primo proelio contra Norbanum dimicavit non longe a Capua. Tum VII millia eius cecidit, VI millia cepit; CXXIV suorum amisit. Inde etiam ad Scipionem se convertit, et ante proelium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit.

VIII. Sed quum Romae mutati Consules essent, et Marius, Marii filius, ac Papirius Carbo Consulatum accepissent; Sulla contra Marium iuniorem dimicavit, et XX millibus eius occisis, CCCC de suis perdidit. Mox etiam Urbem ingressus est. Marium, Marii filium, Praenestem persecutus, obsedit, et ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium et Carinatem, duces partis Marianae, ad portam Collinam. LXX millia hostium in eo proelio contra Sullam fuisse dicuntur, XII millia se Sullae dediderunt: ceteri in acie, in castris, in fuga, insatiabili ira victoris consumti sunt. Ca-

quoque Carbo, Cos. alter, ab Arimino ad Siciliam fugit, et ibi per Cn. Pompeium interfectus est, quem adolescentem Sulla annos unum et viginti natum, cognita eius industria, exercitibus praefecerat, ut secundus a Sulla haberetur.

IX. Occiso ergo Carbone, Siciliam Pompeius recepit. Transgressus inde ad Africam, Domitium, Marianae partis ducem, et Hiarbam, regem Mauretaniae, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Post haec Sulla de Mithridate ingenti gloria triumphavit. Cn. etiam Pompeius, [quod nulli Romanorum tributum erat,] quartum et XX annum agens, de Africa triumphavit. Hunc finem habuerunt duo bella funestissima: Italicum, quod et sociale dictum est, et civile: quae ambo tracta sunt per annos decem. Consumserunt ultra CL millia hominum: viros Consulares XXIV, Praetorios VII, Aedilitios LX, Senatores fere CC.

## LIBER SEXTUS.

I. Marco Aemilio Lepido, Q. Catulo Consulibus, quum Sulla Rempublicam composuisset, bella nova exarserunt: unum in Hispania; aliud in Macedonia; tertium in Pamphylia et Cilicia; quartum in Dalmatia. Nam SERTORIUS, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorum, qui interemti erant, ad bellum commovit Hispanias. Missi sunt contra eum duces Q. Caecilius Metellus, filius eius, qui Iugurtham regem vicit, et L. Domitius, Praetor. A Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus: Metellus vario successu contra Sertorium dimicavit. Postea Metellus, quum impar pugnae solus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est. Ita duobus ducibus adversis Sertorius fortuna varia saepe pugnavit. Octavo demum anno a suis occisus est, et finis ei bello datus per Cn. Pompeium adolescentem, et Q. Metellum Pium: atque omnes prope Hispaniae in ditionem populi Romani redactae sunt.

II. Ad Macedoniam missus est Appius Claudius post Consulatum: levia proelia habuit contra varias gentes, quae Rhodopam provinciam incolebant; atque ibi morbo mortuus est. Missus ei successor C. Scribonius Curio post Consulatum. Is Dardanos vicit, et usque ad Danubium penetravit; triumphumque meruit, et intra triennium finem bello dedit.

III. Ad Ciliciam et Pamphyliam missus est P. Servilius ex Consule, vir strenuus. Is Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit, et cepit in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciae. Isauros quoque adgressus in deditionem redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit. Revertens triumphum accepit, et nomen *Isaurici* meruit.

IV. Ad Illyricum missus est Cn. Cosconius pro Consule: multam partem Dalmatiae subegit, Salonas cepit, et composito bello Romam post biennium rediit.

V. Iisdem temporibus Consul M. Aemilius Lepidus, Catuli

collega, bellum civile voluit commovere: intra tamen unam aestatem motus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli ex Hispania, Pompeii secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria.

VI. Anno Urbis conditae DCLXXVI. L. Licinio Lucullo et M. Aurelio Cotta Coss. mortuus est Nicomedes, rex Bithyniae, et testamento populum Romanum fecit heredem. Mithridates, pace rupta, Bithyniam et Asiam rursus voluit invadere. Adversus eum ambo Consules missi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est et obsessus. Sed quum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capta totam etiam invaderet, Lucullus ei alter Consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit, fameque consumsit, et multis proeliis vicit. Postremo Byzantium [quae nunc Constantinopolis est] fugavit; navali quoque proelio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hieme et aestate a Lucullo centum fere millia regis exstincta sunt.

VII. Anno urbis Romae DCLXXVIII Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus eius, qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia novum bellum subito commotum est. Septuaginta enim quatuor gladiatores, ducibus Spartaco, Crixo et Oenomao, effracto Capuae ludo, effugerunt; et per Italiam vagantes, paene non levius bellum in ea, quam Hannibal, moverunt. Nam multis ducibus, et duobus simul Romanorum Consulibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregaverunt: victique sunt in Apulia a M. Licinio Crasso Proconsule, et post multas calamitates Italiae, tertio anno, bello huic finis impositus.

VIII. Sexcentesimo octogesimo primo Urbis conditae anno, P. Cornelio Lentulo et Cn. Aufidio Oreste Coss. duo tantum gravia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum et Macedonicum. Haec duo Luculli agebant, L. Lucullus, et M. Lucullus. L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridaten, ac navalem, qua duces eius oppresserat, persecutus est eum: et, recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum eius invasit; Sinopen et Amison, civitates Ponti nobilissimas, cepit. Secundo proelio apud Cabira civitatem; quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, quum XXX millia lectissima regis a quinque Romanorum millibus vastata essent, Mithridates fugatus, et castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenebat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane, Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupaverat, et Syriam, et Phoenices partem.

IX. Ergo Lucullus, repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est: Tigranocerta, civitatem Armeniae nobilissimam, cepit: ipsum regem cum sexcentis millibus clibanariorum et centum millibus sagittariorum et armatorum venientem, decem et octo millia militum habens, ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit.

Inde Nisibin profectus, eam quoque civitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones victas iam Romanorum tuerentur, negligenter se et avare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus.

X. Alter Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit. Oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo adgressus est, vicit; Cabylen cepit; usque Danubium penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates adgressus est. Illic Apolloniam evertit; Calatin, Parthenopolin, Tomos, Istrum, Burziaonem cepit: belloque confecto, Romam rediit. Ambo tamen triumphaverunt: Lucullus, qui contra Mithridatem pugnaverat, maiori gloria, quum tantorum regnorum victor redisset.

XI. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lucullo, rex collectis auxiliis reparaverat, bellum CRETICUM ortum est. Ad id missus Caecilius Metellus, ingentibus proeliis intra triennium omnem provinciam cepit, appellatusque est *Creticus:* atque ex insula triumphavit. Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex eius fuerat, accessit: in qua inclutae civitates erant, Berenice, Ptolemais et Cyrene.

XII. Dum haec geruntur, PIRATAE omnia maria infestabant ita, ut navigatio Romanis, toto orbe victoribus, sola tuta non esset. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est; quod intra paucos menses, ingenti felicitate et celeritate confecit. Mox ei delatum bellum etiam contra regem Mithridaten et Tigranen: quo suscepto, Mithridaten in Armenia minore nocturno proelio vicit, castra diripuit; quadraginta millibus eius occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit, et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, et duobus comitibus. Neque multo post, quum in suos saeviret, Pharnacis, filii sui, apud milites seditione ad mortem coactus, venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosporum, vir ingentis industriae consiliique: regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus: contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.

XIII. Tigrani deinde Pompeius bellum intulit. Ille se dedidit, et in castra Pompeii sexto decimo milliario ab Artaxata venit: ac diadema suum, quum procubuisset ad genua Pompeii, in manibus eius collocavit: quod ei Pompeius reposuit, honorificeque eum habitum, regni tamen parte multavit, et grandi pecunia. Ademta est ei Syria, Phoenice, Sophene: sex millia praeterea talentorum argenti, quae populo Romano daret, quia bellum sine caussa Romanis commovisset.

XIV. Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, et eorum regem Oroden ter vicit. Postremo per epistolas et munera *rogatus*, veniam ei ac pacem dedit. Iberiae quoque regem Ar-

tacen vicit acie, et in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro, Galatiae regi, donavit, quia socius belli Mithridatici fuerat: Attalo et Pylaemeni Paphlagoniam reddidit; Aristarchum Colchis regem imposuit. Mox Ituraeos et Arabas vicit: et quum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochiae civitatem, libertate donavit, quod regem Tigranen non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus amoenitate loci, et aquarum abundantia. Inde ad Iudaeam transgressus, Hierosolyma, caput gentis, tertio mense cepit, duodecim millibus Iudaeorum occisis, ceteris in fidem acceptis. His gestis, in Asiam se recepit, et finem antiquissimo bello dedit.

XV. M. Tullio Cicerone oratore et C. Antonio Coss. anno ab Urbe condita DCLXXXIX. L. Sergius Catilina, nobilissimi generis vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam patriam coniuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone Urbe expulsus est: socii eius deprehensi, in carcere strangulati sunt. Ab Antonio, altero Consule, Catilina ipse proelio victus est et interfectus.

XVI. Sexcentesimo nonagesimo anno ab Urbe condita D. Iunio Silano et L. Murena Coss. Metellus de Creta triumphavit; Pompeius de bello piratico et Mithridatico. Nulla umquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante eius currum filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobulus, rex Iudaeorum; praelata ingens pecunia, auri atque argenti infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

XVII. Anno Urbis conditae DCXCIII. C. Iulius Caesar, qui postea imperavit, cum L. Bibulo Consul est factus. Decreta est ei Gallia et Illyricum, cum legionibus decem. Is primo vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur. Deinde vincendo per bella gravissima, usque ad Oceanum Britannicum processit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum et Oceanum est, et circuitu patet ad bis et tricies centena millia passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; et eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties: Germanosque trans Rhenum adgressus, immanissimis proeliis vicit. Inter tot successus ter male pugnavit: apud Arvernos semel praesens, et absens in Germania bis. Nam Legati eius duo, Titurius et Aurunculeius, per insidias caesi sunt.

XVIII. Circa eadem tempora, anno Urbis conditae DCXCVII. M. Licinius Crassus, collega Cn. Pompeii Magni in Consulatu secundo, contra Parthos missus est. Et quum circa Carras contra omina et auspicia dimicasset, a Surena, Orodis regis duce, victus, ad postremum interfectus est cum filio, clarissimo et praestantissimo iuvene. Reliquiae exercitus per C. Cassium Quaestorem servatae sunt, qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas, rediens trans Euphratem, crebris proeliis vinceret.

XIX. Hinc iam bellum civile successit exsecrandum et lacrymabile; quo praeter calamitates, quae in proeliis acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Caesar enim, rediens e Gallia victor, coepit poscere alterum Consulatum: atque ita, ut sine dubietate ei aliqua deferretur. Contradictum est a Marcello Cos., a Bibulo, a Pompeio, a Catone, iussusque dimissis exercitibus ad Urbem redire. Propter quam iniuriam, ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversus patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompeio, Senatusque omnis atque universa nobilitas ex Urbe fugit, et in Graeciam transiit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, Senatus contra Caesarem bellum paravit.

XX. Caesar vacuam Urbem ingressus, Dictatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superavit. Inde regressus, in Graeciam transiit, adversus Pompeium dimicavit. Primo proelio victus et fugatus, evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit: dixitque Caesar, *nec Pompeium scire vincere, et illo tantum die se potuisse superari.* Deinde in Thessalia apud Palaeopharsalum, productis utrimque ingentibus copiis, dimicaverunt. Pompeii acies habuit XL millia peditum, equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos; praeterea totius Orientis auxilia, totamque nobilitatem, innumeros Senatores, Praetorios, Consulares, et qui magnorum iam populorum victores fuissent. Caesar in acie sua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille.

XXI. Numquam adhuc Romanae copiae in unum, neque maiores, neque melioribus ducibus, convenerant, totum terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen est ingenti contentione, victusque ad postremum Pompeius, et castra eius direpta sunt. Ipse fugatus, Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a Senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis, quam amicitiam secutus, occidit Pompeium, caput eius et annulum Caesari misit. Quo conspecto, Caesar etiam lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi quondam sui.

XXII. Mox Caesar Alexandriam venit. Ipsi quoque Ptolemaeus parare voluit insidias, qua caussa regi bellum illatum est. Victus, in Nilo periit, inventumque est corpus eius cum lorica aurea. Caesar Alexandria potitus, regnum Cleopatrae dedit, Ptolemaei sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat. Rediens inde Caesar Pharnacem, Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, et multas populi Romani provincias occupantem, vicit acie: postea ad mortem coëgit.

XXIII. Inde Romam regressus, tertio se Consulem fecit cum M. Aemilio Lepido, qui ei Dictatori Magister equitum ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba, Mauretaniae rege, bellum reparaverat. Duces

autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: [hic etiam socer Pompeii Magni fuerat] M. Petreius, Q. Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, Sullae Dictatoris filius. Contra hos, commisso proelio, post multas dimicationes victor fuit Caesar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt. Faustus, [Sullae quondam Dictatoris filius,] Pompeii gener, a Caesare interfectus est.

XXIV. Post annum Caesar Romam regressus, quarto se Consulem fecit, et statim ad Hispanias est profectus, ubi Pompeii filii, Cnaeus et Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa proelia fuerunt; ultimum apud Mundam civitatem, in quo adeo Caesar paene victus est, ut, fugientibus suis, se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adolescentium, natus annos sex et quinquaginta, veniret. Denique reparatis suis vicit: et Pompeii filius maior occisus est, minor fugit.

XXV. Inde Caesar, bellis civilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius coepit, et contra consuetudinem Romanae libertatis. Quum ergo et honores ex sua voluntate praestaret, qui a populo antea deferebantur, nec Senatui ad se venienti adsurgeret, aliaque regia ac paene tyrannica faceret; coniuratum est in eum a LX vel amplius Senatoribus equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romae Consul fuerat, et reges expulerat; C. Cassius et Servilius Casca. Ergo Caesar, quum Senatus die quadam inter ceteros venisset ad curiam, XXIII vulneribus confossus est.

## LIBER SEPTIMUS.

I. Anno Urbis septingentesimo fere ac nono, interfecto Caesare, bella civilia reparata sunt. Percussoribus enim Caesaris Senatus favebat. Antonius Consul, partium Caesaris, civilibus bellis opprimere eos conabatur. Ergo turbata Republica multa Antonius scelera committens, a Senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo Coss. Pansa et Hirtius, et Octavianus adolescens, annos X et VIII natus, Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat, et nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus, et rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores Coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.

II. Fugatus Antonius, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui Caesari Magister equitum fuerat, et tum copias militum grandes habebat, a quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Caesar cum Antonio pacem fecit, et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus est, extorsitque, ut sibi XX. anno Consulatus daretur. Senatum proscripsit, cum Antonio et Lepido, et Rempublicam armis tenere coepit. Per hos etiam Cicero orator occisus est, multique alii nobiles.

III. Interea Brutus et Cassius, interfectores Caesaris, ingens bellum moverunt: erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus, quos occupaverant. Profecti igitur contra eos Caesar Octavianus Augustus et M. Antonius, (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniae urbem, contra eos pugnaverunt. Primo proelio victi sunt Antonius et Caesar, periit tamen dux nobilitatis Cassius: secundo Brutus, et infinita nobilitas, quae cum illis bellum gesserat. Ac sic inter eos divisa est res publica, ut Augustus Hispanias, Gallias, Italiam teneret: Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed intra Italiam L. Antonius Cos. bellum civile commovit, frater eius, qui cum Caesare contra Brutum et Cassium dimicaverat. Is apud Perusiam, Tusciae civitatem, victus et captus est, neque occisus.

IV. Interim a Sex. Pompeio, Cn. Pompeii Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, his, qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. Bellatum per Caesarem Augustum Octavianum et M. Antonium adversus Sex. Pompeium: pax postremo convenit.

V. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit: et L. Ventidius Bassus irrumpentes in Syriam Persas tribus proeliis vicit. Pacorum, regis Orodis filium, interfecit eo ipso die, quo olim Orodes, Persarum rex, per ducem Surenam, Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romae egit.

VI. Interim Pompeius pacem rupit, et navali proelio victus, fugiens ad Asiam interfectus est. Antonius, qui Asiam et Orientem tenebat, repudiata sorore Caesaris Augusti Octaviani, Cleopatram, reginam Aegypti, duxit uxorem. Contra Persas ipse etiam pugnavit: primis eos proeliis vicit: regrediens tamen fame et pestilentia laboravit. Et quum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit.

VII. Hic quoque ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in Urbe regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est; ex qua fugit in Aegyptum: et, desperatis rebus, quum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit: Cleopatra sibi aspidem admisit, et veneno eius exstincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est, praepositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit.

VIII. Ita bellis toto orbe confectis, OCTAVIANUS AUGUSTUS Romam rediit, XII. anno, quam Cos. fuerat. Ex eo Rempublicam per quadraginta et quatuor annos solus obtinuit. Ante enim XII annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius usque ad finem LVI anni fuere. Obiit autem LXXVI. anno, morte communi, in oppido Campaniae Atella. Romae in Campo Martio sepultus est: vir, qui non immerito ex maxima parte Deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace modera-

flor. XLIV annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus, quos tantis evexit honoribus, ut paene aequaret fastigio suo.

IX. Nullo tempore res Romana magis floruit. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, saepe ante victam, sed penitus tunc subactam; Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhaetiam, Vindelicos, et Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates: in his nobilissimas Bosporum et Panticapaeon. Vicit autem proeliis Dacos; Germanorum ingentes copias cecidit; ipsos quoque trans Albim fluvium submovit, qui in barbarico longo ultra Rhenum est. Hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit; sicut per Tiberium, privignum alterum, Pannonicum. Quo bello XXXX millia captivorum ex Germania transtulit, et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam a Parthis recepit: obsides, quod nulli antea, Persae ei dederunt; reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso victo ademerant.

X. Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, quum antea regnum fuisset: primusque eam M. Lollius pro Praetore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges, populi Romani amici, in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent: sicut in Mauretania a rege Iuba: et in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur; et habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens Divus appellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

XI. TIBERIUS ingenti socordia imperium gessit, gravi crudelitate, scelesta avaritia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnavit: bella per Legatos suos gessit: quosdam reges, per blanditias ad se evocatos, numquam remisit: in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam redegit, et maximam civitatem appellari nomine suo iussit, quae nunc Caesarea dicitur, quum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio et vigesimo imperii anno, aetatis septuagesimo octavo, ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

XII. Successit ei CAIUS CAESAR, cognomento CALIGULA, Drusi, privigni Augusti, et ipsius Tiberii nepos: sceleratissimus, ac funestissimus, et qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. Bellum contra Germanos suscepit; et ingressus Sueviam, nihil strenue fecit. Stupra sororibus intulit; ex una etiam natam filiam agnovit. Quum adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate saeviret, interfectus in palatio est anno aetatis suae XXIX. imperii III. mense X. dieque VIII.

XIII. Post hunc CLAUDIUS fuit, patruus Caligulae, Drusi, qui apud Mogontiacum monumentum habet, filius: cuius et Caligula nepos erat. Hic medie imperavit, multa gerens tranquille

atque moderate, quaedam crudeliter atque insulse. Britanniae bellum intulit, quam nullus Romanorum post Iulium Caesarem attigerat: eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium, illustres et nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas etiam, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano imperio addidit, quae appellantur Orcades, filioque suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos extitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium laevus incederet. Is vixit annos IV et LX, imperavit XIV. Post mortem consecratus est, Divusque appellatus.

XIV. Successit huic NERO, Caligulae, avunculo suo, simillimus, qui imperium Romanum et deformavit, et diminuit: insitatae luxuriae sumtuumque, ut qui exemplo Caii Caligulae calidis et frigidis lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quae blattinis funibus extrahebat. Infinitam partem Senatus interfecit; bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut saltaret et cantaret in scena, citharoedico habitu vel tragico. Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre interfectis. Urbem Romam incendit, ut spectaculi eius imaginem cerneret, quali olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britanniam paene amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub iugum miserunt. Duae tamen provinciae sub eo factae sunt: Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, et Alpes Cottiae, Cottio rege defuncto.

XV. Per haec Romano orbi exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, et a Senatu hostis iudicatus, quum quaereretur ad poenam, (quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis usque ad mortem caederetur, atque ita praecipitaretur de saxo,) e palatio fugit, et in suburbano se liberti sui, quod inter Salariam et Nomentanam viam ad quartum Urbis milliarium, interfecit. Aedificavit Romae thermas, quae ante Neronianae dictae, nunc Alexandrinae appellantur. Obiit trigesimo et altero aetatis anno, imperii quarto decimo, atque in eo omnis familia Augusti consumta est.

XVI. Huic Servius GALBA successit, antiquissimae nobilitatis Senator, quum septuagesimum et tertium annum ageret aetatis. Ab Hispanis et Gallis Imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. Nam privata eius vita insignis fuerat militaribus et civilibus rebus; saepe Consul, saepe pro Consule, frequenter dux in gravissimis bellis. Huius breve imperium fuit, et quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. Insidiis tamen Othonis occisus est, imperii mense septimo; iugulatus in foro Romae, sepultusque in hortis suis, qui sunt Aurelia via non longe ab urbe Roma.

XVII. OTHO, occiso Galba, invasit imperium, materno genere nobilior, quam paterno, neutro tamen obscuro. In privata vita mollis, et Neronis familiaris: in imperio documentum

sui non potuit ostendere. Nam quum iisdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset a Germanicianis exercitibus Imperator, bello contra eum suscepto, quum apud Betriacum in Italia levi proelio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semetipsum occidit, petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, quum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur. Voluntaria morte obiit, trigesimo et octavo aetatis anno, nonagesimo et quinto imperii die.

XVIII. Dein VITELLIUS imperio potitus est, familia honorata magis, quam nobili. Nam pater eius non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat Consulatus. Hic cum multo dedecore imperavit, et gravi saevitia notabilis, praecipue ingluvie et voracitate: quippe quum de die saepe quarto vel quinto feratur epulatus. Notissima certe coena memoriae mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit; in qua, super ceteros sumtus, duo millia piscium, septem avium millia apposita traduntur. Hic quum Neroni similis esse vellet, atque id adeo prae se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoraret; a Vespasiani ducibus occisus est, interfecto prius Sabino, Vespasiani Imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. Interceptus autem est, et cum magno dedecore tractus per urbem Romam publice, nudus, erecta coma et capite, subiecto ad mentum gladio, stercore in vultum et pectus ab omnibus obviis appetitus. Postremo iugulatus, et in Tiberim deiectus, etiam communi caruit sepultura. Periit autem aetatis anno septimo et quinquagesimo, imperii mense VIII. et die uno.

XIX. VESPASIANUS huic successit, factus apud Palaestinam Imperator; princeps obscure quidem natus, sed optimis comparandus, privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies et bis cum hoste conflixerit; duas validissimas gentes, XX oppida, insulam Vectam, Britanniae proximam, imperio Romano adiecerit. Romae se in imperio moderatissime gessit: pecuniae tantum avidior fuit, ita ut eam nulli iniuste auferret: quam quum omni diligentiae provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus. Nec facile ante eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. Placidissimae lenitatis, ut qui maiestatis quoque contra se reos non facile puniret ultra exsilii poenam. Sub hoc Iudaea Romano accessit imperio; et Hierosolyma, quae fuit urbs clarissima Palaestinae. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quae liberae ante hoc tempus fuerant; item Thraciam, Ciliciam, Commagenen, quae sub regibus amicis egerant, in provinciarum formam redegit.

XX. Offensarum et inimicitiarum immemor fuit. Convicia a caussidicis et philosophis in se dicta leniter tulit: diligens tamen coercitor disciplinae militaris. Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit. Per haec quum Senatui et populo, postremo cunctis amabilis ac iucundus esset, profluvio ventris extinctus est in villa propria, circa Sabinos, annum aetatis agens

sexagesimum nonum, imperii nonum, et diem septimum: atque inter Divos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut, quum multae contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contemsit, in Senatu dixerit, *aut filios sibi successuros, aut neminem.*

XXI. Huic TITUS filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut *amor et deliciae humani generis* diceretur. Facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Caussas latine egit; poemata et tragoedias graece composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII propugnatores XII sagittarum ictibus confixit. Romae tantae civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret; convictos adversum sese coniurationis ita dimiserit, ut in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis tantae fuit et liberalitatis, ut nulli quidquam negaret; et quum ab amicis reprehenderetur, respondit, *nullum tristem debere ab Imperatore discedere.* Praeterea quum quodam die in coena recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam praestitisse, dixit: *amici, hodie diem perdidi.* Hic Romae amphitheatrum aedificavit, et quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit.

XXII. Per haec inusitato favore dilectus, morbo periit in ea, qua pater, villa, post biennium, menses octo, dies XX, quam Imperator erat factus, aetatis anno altero et quadragesimo. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tamquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo umquam egerat, nec praesenti. Inter Divos relatus est.

XXIII. DOMITIANUS mox accepit imperium, frater ipsius iunior; Neroni, aut Caligulae, aut Tiberio similior, quam patri vel fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit; mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiae, crudelitatis, avaritiae tantum in se odii concitavit, ut merita et patris et fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu: dominum se et Deum primus appellari iussit; nullam sibi nisi auream et argenteam statuam in Capitolio poni passus est: consobrinos suos interfecit: superbia quoque in eo exsecrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit: unam adversum Sarmatas; alteram adversum Cattos; duas adversum Dacos. De Dacis Cattisque duplicem triumphum egit: de Sarmatis solam lauream usurpavit. Multas tamen calamitates iisdem bellis passus est. Nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta, et a Dacis Oppius Sabinus, Consularis, et Cornelius Fuscus, Praefectus praetorio, cum magnis exercitibus occisi sunt. Romae quoque multa opera fecit: in his Capitolium, et Forum transitorium, Odeum, Divorum porticus, Iseum, Serapeum, ac Stadium. Verum quum ob scelera universis exosus esse coepisset, interfectus est suorum coniuratione in palatio, anno aetatis XLV. imperii quinto decimo. Funus eius cum ingenti dedecore per *vespillones* exportatum et ignobiliter est sepultum.

# LIBER OCTAVUS.

I. Anno octingentesimo et quinquagesimo ab Urbe condita, Vetere et Valente Consulibus, Respublica ad prosperrimum statum rediit, bonis principibus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim, exitiabili tyranno, NERVA successit; vir in privata vita moderatus et strenuus; nobilitatis mediae. Qui senex admodum, operam dante Petronio Secundo, Praefecto praetorio, item Parthenio, interfectore Domitiani, Imperator factus, aequissimum se et civilissimum praebuit. Reipublicae divina provisione consuluit, Traianum adoptando. Mortuus est Romae post annum et quatuor menses imperii sui, ac dies octo, aetatis septuagesimo et altero anno; atque inter Divos relatus est.

II. Successit ei ULPIUS TRAIANUS CRINITUS, natus Italicae in Hispania, familia antiqua magis, quam clara. Nam pater eius primum Consul fuit. Imperator autem apud Agrippinam in Galliis factus est. Rempublicam ita administravit, ut omnibus principibus merito praeferatur. Inusitatae civilitatis et fortitudinis fuit. Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit: urbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam, Decebalo victo, subegit, provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaiphali habent, Victoali et Thervingi. Ea provincia decies centena millia passuum in circuitu tenuit.

III. Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, Parthamasire occiso, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorum regem, et Sauromatorum, et Bosporanorum, et Arabum, et Osdroënorum, et Colchorum, in fidem accepit. Carduenos, Mardos, Medos occupavit, et Anthemusium, magnam Persidis regionem, Seleuciam et Ctesiphontem, Babylonem et Messenios [Edessios] vicit ac tenuit: usque ad Indiae fines et mare rubrum accessit, atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus, quae Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciae formam redegit. In mari rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.

IV. Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens; amicos salutandi caussa frequentans, vel aegrotantes, vel, quum festos dies habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens, saepe in vehiculis eorum sedens; nullum Senatorum laedens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens; liberalis in cunctos, publice privatimque ditans omnes, et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset; orbem terrarum aedificans; multas immunitates civitatibus tribuens; nihil non tranquillum et placidum agens, adeo, ut omni eius aetate unus Senator damnatus sit, atque is tamen per Senatum, ignorante Traiano. Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit et vivus et mortuus.

V. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium. Amicis enim

culpantibus, quod nimis circa omnes communis esset, respondit: *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Post ingentem igitur gloriam, belli domique quaesitam, e Perside rediens, apud Seleuciam Isauriae profluvio ventris exstinctus est. Obiit autem aetatis anno LXIII. mense nono, et die quarto: imperii anno XIX. mense VI. die XV. Inter Divos relatus est, solusque omnium intra Urbem sepultus. Ossa eius collocata in urna aurea in foro, quod aedificavit, sub columna sita sunt, cuius altitudo CXLIV pedes habet. Huius tantum memoriae delatum est, ut usque ad nostram aetatem non aliter in Senatu principibus acclametur, nisi FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAIANO. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel adsentantibus, vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi praestet exempli.

VI. Defuncto Traiano, AELIUS HADRIANUS creatus est princeps; sine aliqua quidem voluntate Traiani, sed operam dante Plotina, Traiani uxore. Nam eum Traianus, quamquam consobrinae filium, vivens noluerat adoptare. Natus et ipse Italicae in Hispania; qui Traiani gloriae invidens statim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat; et de Assyria, Mesopotamia et Armenia revocavit exercitus, ac finem imperii esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt, ne multi cives Romani barbaris traderentur; propterea quod Traianus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat, ad agros et urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta.

VII. Pacem tamen omni tempore imperii sui habuit, semel tantum per praesidem dimicavit; orbem Romanum circumivit, et multa aedificavit. Facundissimus Latino sermone, Graeco eruditissimus fuit: non magnam clementiae gloriam habuit: diligentissimus tamen circa aerarium et militum disciplinam. Obiit in Campania, maior sexagenario, imperii anno XXI. mense X. die XXIX. Senatus ei tribuere noluit divinos honores: tamen, quum successor ipsius Titus Aurelius Fulvius Antoninus hoc vehementer exigeret, et universi Senatores palam resisterent, tandem obtinuit.

VIII. Ergo Hadriano successit T. ANTONINUS FULVIUS BOIONIUS, idem etiam PIUS nominatus; genere claro, sed non admodum vetere: vir insignis, et qui merito Numae Pompilio conferatur, ita ut Romulo Traianus aequatur. Vixit ingenti honestate privatus: maiori, in imperio; nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria, defendere magis provincias, quam amplificare studens: viros aequissimos ad administrandam Rempublicam quaerens, bonis honorem habens, imbrobos sine aliqua acerbitate detestans: regibus amicis venerabilis non minus, quam terribilis: adeo ut barbarorum plurimae nationes, depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferrent, sententiaeque eius parerent. Hic ante imperium ditissimus, opes quidem omnes suas stipendiis militum, et circa amicos liberalitatibus minuit; verum aerarium opulentum reliquit. PIUS propter clementiam dictus est. Obiit apud Lorium,

villam suam, milliario ab Urbe XII. vitae anno LXXIII. imperii XXIII. atque inter Divos relatus est, et merito consecratus.

IX. Post hunc imperavit MARCUS ANTONINUS VERUS, haud dubie nobilissimus; quippe quum eius origo paterna a Numa Pompilio, materna a Sallentino rege penderet; et cum eo L. [ANNIUS] ANTONINUS VERUS. Tumque primum Romana respublica duobus, aequo iure imperium administrantibus, paruit, quum usque ad eos singulos semper habuisset Augustos.

X. Hi et genere inter se coniuncti fuerunt et adfinitate. Nam Verus [Annius] Antoninus M. Antonini filiam in matrimonium habuit: M. autem Antoninus gener Antonini Pii fuit per uxorem Galeriam Faustinam iuniorem, consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt, qui post victoriam Traiani tum primum rebellaverant. Verus Antoninus ad id profectus est: qui Antiochiae et circa Armeniam agens, multa per duces, et ingentia patravit: Seleuciam, Assyriae urbem nobilissimam, cum quadraginta millibus hominum cepit: Parthicum triumphum revexit; cum fratre eodemque socero triumphavit. Obiit tamen in Venetia, quum a Concordia civitate Altinum proficisceretur, et cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Graeci ἀπόπληξιν vocant. Vir ingenii parum civilis; reverentia tamen fratris nihil umquam atrox ausus. Quum obisset undecimo imperii anno, inter Deos relatus est.

XI. Post eum MARCUS ANTONINUS solus Rempublicam tenuit: vir, quem mirari facilius quis, quam laudare possit. Principio vitae tranquillissimus: adeo, ut ex infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex moerore mutaret. Philosophiae deditus Stoicae; ipse etiam non solum vitae moribus, sed etiam eruditione philosophus; tantae admirationis adhuc iuvenis, ut eum successorem paraverit Hadrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio, generum esse ei idcirco voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret.

XII. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium; ad scientiam litterarum Graecarum per Sextum Chaeronensem, Plutarchi nepotem; Latinas autem litteras eum Fronto, orator nobilissimus, docuit. Hic cum omnibus Romae aequo iure egit, ad nullam insolentiam elatus imperii fastigio: liberalitatis promtissimae: provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestae sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomannicum: sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. Nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant. Sub hoc enim tantus casus pestilentiae fuit, ut post victoriam Persicam, Romae ac per Italiam provinciasque maxima hominum pars, militum omnes fere copiae languore defecerint.

XIII. Ingenti ergo labore et moderatione, quum apud Carnuntum iugi triennio perseverasset, bellum Marcomannicum confecit, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatae, Suevi, atque omnis barbaria commoverat: multa hominum millia interfecit: ac Pannoniis servitio liberatis, Romae rursus cum Commodo Antonino, filio suo, quem iam Caesarem fecerat,

triumphavit. Ad huius belli sumtum, aerario exhausto, quum largitiones nullas haberet, neque indicere provincialibus aut Senatui aliquid vellet, instrumentum regii cultus, facta in foro Divi Traiani sectione, distraxit: vasa aurea, pocula crystallina et murrhina, uxoriam ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum; ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emtoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt: molestus nulli fuit, qui maluit semel emta retinere.

XIV. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem culta, quo ipse, et ministris similibus, exhiberent. In editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur. Quum igitur fortunatam Rempublicam et virtute et mansuetudine reddidisset, obiit XVIII. imperii anno, vitae LXI. et omnibus certatim adnitentibus, inter Divos relatus est.

XV. Huius successor L. ANTONINUS COMMODUS nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter et ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed luxuria et obscenitate depravatus, gladiatoriis armis saepissime in ludo, deinceps etiam in amphitheatro cum huiusmodi hominibus saepe dimicavit. Obiit morte subita, atque adeo, ut strangulatus, vel veneno interfectus putaretur, quum annis XII post patrem, et VIII mensibus imperasset; tanta exsecratione omnium, ut hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur.

XVI. Huic successit PERTINAX, grandaevus iam, ut qui septuagenariam attigisset aetatem, praefecturam Urbi tum agens, ex S. C. imperare iussus. Octogesimo imperii die, praetorianorum militum seditione, et Iuliani scelere occisus est.

XVII. Post eum SALVIUS IULIANUS Rempublicam invasit, vir nobilis et iure peritissimus; nepos Salvii Iuliani, qui sub Divo Hadriano *perpetuum* composuit *edictum*. Victus est a Severo apud Mulvium pontem, interfectus in palatio. Vixit mensibus septem, postquam coeperat imperare.

XVIII. Hinc imperii summam administrationem SEPTIMIUS SEVERUS accepit; oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti. Solus omni memoria et ante et postea ex Africa Imperator fuit. Hic primum fisci advocatus, mox militaris Tribunus, per multa deinde ac varia officia atque honores usque ad administrationem totius Reipublicae pervenit. Pertinacem se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis, qui a Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura saevus; bella multa, et feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Aegypto et Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit, et Arabas interiores et Adiabenos. Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparavit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano, Caesarem se in Gallia fecit, victusque apud Lugdunum est et interfectus.

XIX. Serverus autem praeter bellicam gloriam etiam civilibus studiis clarus fuit, et litteris doctus, philosophiae scientiam ad plenum adeptus. Novissimum bellum in Britannia habuit: utque receptas provincias omni securitate muniret, vallum per XXXII millia passuum a mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperii anno sexto decimo, mense tertio, et Divus appellatus est: Nam filios duos successores reliquit, Bassianum et Getam: sed Bassiano Antonini nomen a Senatu voluit imponi. Itaque dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus, patrique successit. Nam Geta, hostis publicus iudicatus, confestim periit.

XX. MARCUS igitur AURELIUS ANTONINUS BASSIANUS, idemque CARACALLA, morum fere paternorum fuit; paullo asperior et minax. Opus Romae egregium fecit lavacri, quae Antoninianae [thermae] appellantur; nihil praeterea memorabile. Impatiens libidinis, ut qui novercam suam Iuliam uxorem duxerit. Defunctus est in Osdroene apud Edessam, moliens adversum Parthos expeditionem, anno imperii VI. mense II. vix egressus aetatis XLIII. annum. Funere publico elatus est.

XXI. OPILIUS deinde MACRINUS, qui Praefectus praetorio erat, cum filio DIADUMENIANO facti Imperatores, nihil memorabile ex temporis brevitate gesserunt. Nam imperium eorum duum mensium et unius anni fuit. Seditione militari ambo pariter occisi sunt.

XXII. Creatus est post hos M. AURELIUS ANTONINUS. Hic Antonini Caracallae filius putabatur: sacerdos autem Elagabali templi erat. Is quum Romam ingenti et militum et Senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Impudicissime et obscenissime vixit, biennioque post et VII mensibus tumultu interfectus est militari, et cum eo mater Soaemis, Syra.

XXIII. Successit huic AURELIUS ALEXANDER; ab exercitu Caesar, a Senatu Augustus nominatus; iuvenis admodum: susceptoque adversus Persas bello, Xerxen eorum regem gloriosissime vicit. Militarem disciplinam severissime rexit; quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Adsessorem habuit, vel scrinii magistrum, Ulpianum, iuris conditorem. Romae quoque favorabilis fuit. Periit in Gallia, militari tumultu, tertio decimo imperii anno, et die VIII. in matrem suam Mammaeam unice pius.

## LIBER NONUS.

I. Post hunc MAXIMINUS ex corpore militari primus ad imperium accessit, sola militum voluntate, quum nulla Senatus intercessisset auctoritas, neque ipse Senator esset. Is bello adversus Germanos feliciter gesto, quum a militibus esset Imperator appellatus, a Pupieno Aquileiae occisus est, deserentibus eum militibus suis, cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio et paucis diebus.

II. Postea tres simul Augusti fuerunt, PUPIENUS, BALBINUS, et GORDIANUS: duo superiores obscurissimo genere,

Gordianus, nobilis: quippe cuius pater, senior Gordianus, consensu militum, quum proconsulatum Africae gereret, Maximino imperante, princeps fuisset electus. Itaque quum Romam venisset, Balbinus et Pupienus in palatio interfecti sunt; soli Gordiano imperium reservatum. Gordianus admodum puer, quum Tranquillinam Romae duxisset uxorem, Ianum geminum aperuit, et ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, proeliisque ingentibus Persas adflixit. Rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit. Miles ei tumulum vigesimo milliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, aedificavit, exsequias Romam revexit, ipsum Divum appellavit.

III. PHILIPPI duo, filius ac pater, Gordiano occiso, imperium invaserunt, atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profecti sunt. His imperantibus millesimus annus Romae urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronae, Romae iunior. Annis quinque imperaverunt; inter Divos tamen relati sunt.

IV. Post hos DECIUS, e Pannonia inferiore Budaliae natus, imperium sumsit. Bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit; filium suum Caesarem fecit, Romae lavacrum aedificavit. Quum biennio ipse et filius eius imperassent, uterque in barbarico interfecti sunt, et inter Divos relati.

V. Mox Imperatores creati sunt GALLUS HOSTILIANUS et Galli filius, VOLUSIANUS. Sub his Aemilianus in Moesia res novas molitus est: ad quem opprimendum quum ambo profecti essent, Interamnae interfecti sunt, non completo biennio. Nihil omnino clarum gesserunt. Sola pestilentia, et morbis, atque aegritudinibus notus eorum principatus fuit.

VI. AEMILIANUS obscurissime natus, obscurius imperavit, ac tertio mense exstinctus est.

VII. Hinc LICINIUS VALERIANUS, in Rhaetia et Norico agens, ab exercitu Imperator, et mox Augustus est factus. GALLIENUS quoque Romae a Senatu Caesar est appellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum, et paene exitiabile fuit, vel infelicitate principum, vel ignavia. Germani Ravennam usque venerunt. Valerianus, in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore, Persarum rege, superatus est: mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit.

VIII. Gallienus, quum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter, mox commode, ad ultimum pernicioſe gessit. Nam iuvenis in Gallia et Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumserat, et Regaliano. Diu placidus et quietus, mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendae Reipublicae habenas probrosa ignavia et desperatione laxavit. Alamanni, vastatis Galliis, in Italiam penetraverunt. Dacia, quae a Traiano ultra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Graecia, Macedonia, Pontus, Asia, vastata *per Gothos*. Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est. Ger-

nani usque ad Hispanias penetraverunt, et civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt. Parthi, Mesopotamia occupata, Syriam sibi coeperunt vindicare.

IX. Tum iam desperatis rebus, et deleto paene imperio Romano, POSTUMUS in Gallia, obscurissime natus, purpuram sumsit, et per annos decem ita imperavit, ut consumtas paene provincias ingenti virtute et moderatione reparaverit: qui seditione militum interfectus est, quod Mogontiacum, quae adversus eum rebellaverat, L. Aeliano [Lolliano] res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eum Marius, vilissimus opifex, purpuram accepit, et secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus. Sed quum nimiae libidinis esset, et matrimonia aliena corrumperet, Agrippinae occisus est, actuario quodam machinante dolum, imperii sui anno secundo.

X. Huic successit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore praesidis administrans, absens a militibus Imperator electus est, et apud Burdigalam purpuram sumsit: seditiones multas militum pertulit. Sed dum haec in Gallia geruntur, in Oriente per Odenathum Persae victi sunt. Defensa Syria, recepta Mesopotamia, usque ad Ctesiphontem Odenathus penetravit.

XI. Ita, Gallieno Rempublicam deserente, Romanum imperium in Occidente per Postumum, per Odenathum in Oriente servatum est. Gallienus interea [fraude Aureoli ducis sui] Mediolani cum fratre Valeriano occisus est, imperii anno nono, CLAUDIUSque ei successit, a militibus electus, a Senatu appellatus Augustus. Hic Gothos, Illyricum Macedoniamque vastantes, ingenti proelio vicit. Parcus vir ac modestus, et iusti tenax, et Reipublicae gerendae idoneus: qui tamen intra imperii biennium morbo interiit, et Divus appellatus est. Senatus ingenti eum honore decoravit, scilicet ut in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur.

XII. QUINTILLUS post eum, Claudii frater, consensu militum Imperator electus est; vir unicae moderationis et civilitatis, aequandus fratri, vel praeponendus. Consensu Senatus appellatus Augustus, septimo decimo die imperii occisus est.

XIII. Post eum AURELIANUS suscepit imperium, Dacia Ripensi oriundus: vir in bello potens, animi tamen immodici, et ad crudelitatem propensioris, quique Gothos strenuissime vicit. Romanam ditionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate revocavit. Superavit in Gallia Tetricum apud Catalaunos, ipso Tetrico prodente exercitum suum, cuius assiduas seditiones ferre non poterat. Quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia versu Virgiliano [Aen. VI, 365.] uteretur:

*Eripe me his, invicte, malis.*

Zenobiam quoque, quae, occiso Odenatho marito, Orientem tenebat, haud longe ab Antiochia sine gravi proelio cepit, ingressusque Romam, nobilem triumphum, quasi receptor Orientis Occidentisque, egit, currum praecedentibus Tetrico et Zeno-

bia, qui quidem Tetricus corrector Lucaniae postea fuit, ac privatus diutissime vixit. Zenobia autem posteros, qui adhuc manent, Romae reliquit.

XIV. Hoc imperante etiam monetarii in Urbe rebellaverunt, vitiatis pecuniis, et Felicissimo rationali interfecto: quos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit: plurimos nobiles capite damnavit: saevus et sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis Imperator, trux omni tempore, etiam filii sororis interfector: disciplinae tamen militaris, et morum dissolutorum magna ex parte corrector.

XV. Urbem Romam muris firmioribus cinxit: templum Soli aedificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Provinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermisit, vastato omni Illyrico et Moesia, desperans eam posse retineri: abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciae in media Moesia collocavit: appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit, et est in dextera Danubio, in mare fluenti, quum antea fuerit in laeva. Occiditur servi sui fraude, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit adnotata, falso manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Itaque ut praeveniretur, ab iisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolin et Heracleam est stratae veteris. Locus Caenophrurium appellatur. Mors tamen eius inulta non fuit. Meruit quoque inter Divos referri. Imperavit annos quinque, menses VI.

XVI. TACITUS post hunc suscepit imperium; vir egregie moratus, et Reipublicae gerendae idoneus. Nihil tamen clarum potuit ostendere, intra sextum mensem imperii morte praeventus. FLORIANUS, qui Tacito successerat, duobus mensibus et diebus XX in imperio fuit; neque quidquam dignum memoria egit.

XVII. Post hunc PROBUS, vir illustris gloria militari, ad administrationem Reipublicae accessit. Gallias a barbaris occupatas ingenti proeliorum felicitate restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in Oriente, Proculum et Bonosum Agrippinae, multis certaminibus oppressit. Vineas Gallos et Pannonios habere permisit; opere militari Almam montem apud Sirmium, et Aureum apud Moesiam superiorem vineis conseruit, et provincialibus colendas dedit. Hic quum bella innumera gessisset, pace parta dixit, *brevi milites necessarios non futuros.* Vir acer, strenuus, iustus, et qui Aurelianum aequaret gloria militari, morum autem civilitate superaret. Interfectus est tamen Sirmii, tumultu militari, in turri ferrata. Imperavit annos VI, menses quatuor.

XVIII. Post hunc CARUS est factus Augustus, Narbone natus in Gallia: qui confestim Carinum et Numerianum, filios, Caesares fecit, cum quibus regnavit duobus annis. Sed dum bellum adversum Sarmatas gerit, nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus, res contra Persas nobiles gessit: ipsos proelio fudit. Cochen et Ctesiphontem, urbes nobilissimas, *cepit.* Et quum castra supra Tigridem haberet, ictu divini

ulminis periit. NUMERIANUS quoque, filius eius, quem secum
id Persas duxerat, adolescens egregiae indolis, quum oculorum
lolore correptus in lecticula veheretur, impulsore Apro, qui
ocer eius erat, per insidias occisus est: et quum dolo occul-
aretur ipsius mors, quousque Aper invadere posset imperium,
oetore cadaveris prodita est. Milites enim, qui eum seque-
bantur, foetore commoti, diductis lecticulae palliis, post ali-
quot dies mortem eius notam habere potuerunt.

XIX. Interea CARINUS, quem Caesarem in Parthos profi-
iscens Carus in Illyrico, Gallia, Italia reliquerat, omnibus se
celeribus coinquinavit: plurimos innoxios, fictis criminibus,
ccidit: matrimonia nobilia corrupit: condiscipulis quoque, qui
um in auditorio vel levi fatigatione taxaverant, perniciosus
iit. Ob quae omnibus bonis invisus, non multo post poe-
as dedit. Nam de Perside victa exercitus rediens, quum Carum
ugustum fulmine, Numerianum Caesarem insidiis perdidisset,
IOCLETIANUM Imperatorem creavit, Dalmatia oriundum,
irum obscurissime natum, adeo ut a plerisque scribae filius,
nonnullis Anulini Senatoris libertinus fuisse credatur.

XX. Is prima militum concione iuravit, Numerianum nullo
uo dolo interfectum, et quum iuxta eum Aper, qui Numeria-
o insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus, manu
Diocletiani, gladio percussus est. Postea Carinum, omnium
dio et detestatione viventem, apud Margum ingenti proelio
icit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat; certe
esertum, inter Viminacium atque Aureum montem. Ita rerum
omanarum potitus, quum tumultum rusticani in Gallia conci-
issent, et factioni suae Bagaudarum nomen imponerent, duces
atem haberent Amandum et Aelianum, ad subigendos eos Ma-
imianum Herculium Caesarem misit, qui levibus proeliis agre-
es domuit, et pacem Galliae reformavit.

XXI. Per haec tempora etiam Carausius, qui vilissime natus,
renuae militiae ordine famam egregiam fuerat consecutus,
uum apud Bononiam per tractum Belgicae et Armoricae pa-
andum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant,
ultis barbaris saepe captis, nec praeda integra aut provincia-
bus reddita, aut Imperatoribus missa, quum suspicio esse coe-
isset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum
raeda exciperet, atque hac se occasione ditaret; a Maximiano
assus occidi, purpuram sumsit, et Britannias occupavit.

XXII. Ita quum per orbem terrarum res turbatae essent, et
arausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Aegypto, Afri-
am Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum infer-
et: Diocletianus MAXIMIANUM HERCULIUM ex Caesare
ecit Augustum, Constantium et Maximianum Caesares: quorum
onstantius per filiam nepos Claudii traditur: Maximianus Ga-
rius in Dacia haud longe a Sardica natus. Atque ut eos etiam
lfinitate coniungeret, Constantius privignam Herculii Theodo-
im accepit, ex qua postea sex liberos, Constantini fratres, ha-
uit; Galerius filiam Diolectiani Valeriam: ambo uxores, quas
abuerant, repudiare compulsi. Cum Carausio tamen, quum

bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit. Eum post septennium Allectus, socius eius, occidit, atque ipse post eum Britannias triennio tenuit. Qui ductu Asclepiodoti, Praefecti praetorio, est oppressus. Ita Britanniae decimo anno receptae.

XXIII. Per idem tempus a Constantino Caesare in Gallia pugnatum est circa Lingonas. Die una adversam et secundam fortunam expertus est. Nam quum, repente barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus tam praecipiti necessitate, ut, clausis portis, in murum funibus tolleretur: vix quinque horis mediis, adventante exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum occidit. Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis, et ad pacem redactis. Diolectianus obsessum Alexandriae Achilleum octavo fere mense superavit, eumque interfecit. Victoria acerbe usus est; totam Aegyptum gravibus proscriptionibus caedibusque foedavit. Ea tamen occasione ordinavit provide multa et disposuit; quae ad nostram aetatem manent.

XXIV. Galerius Maximianus primo adversus Narseum insecundum proelium habuit, inter Callinicum Carrasque congressus, quum inconsulte magis, quam ignave dimicasset. Admodum enim parva manu cum copiosissimo hoste commisit. Pulsus igitur, et ad Diocletianum profectus, quum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia a Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse.

XXV. Mox tamen per Illyricum Moesiamque contractis copiis, rursus cum Narseo, Hormisdae et Saporis avo, in Armenia maiori pugnavit successu ingenti, nec minore consilio, simulque fortitudine; quippe qui etiam speculatoris munus cum altero ac tertio equite susceperit. Pulso Narseo, castra eius diripuit, uxores, sorores, liberos cepit; infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam: ipsum in ultimas regni solitudines egit. Quare ad Diocletianum, in Mesopotamia cum praesidiis tunc morantem, ovans regressus, ingenti honore susceptus est. Varia deinceps et simul, et viritim bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.

XXVI. Diocletianus moratus callide fuit, sagax praeterea, et admodum subtilis ingenio, et qui severitatem suam aliena invidia vellet explere. Diligentissimus tamen et sollertissimus princeps: et qui imperio Romano primus regiae consuetudinis formam magis, quam Romanae libertatis, invexit, adorarique se iussit, quum ante eum cuncti salutarentur: ornamenta gemmarum vestibus calceamentisque indidit. Nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantum erat; reliqua communia.

XXVII. Herculius autem propalam ferus, et incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturae suae indulgens, Diocletiano in omnibus, etiam severioribus *consiliis obsecutus* est. Quum tamen ingravescente aevo parum

se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, et stationem tuendae Reipublicae viridioribus iunioribusque mandarent. Cui aegre collega obtemperavit. Tamen uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit; Nicomediae Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclutum, quem Romae ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei coniuges sororesque et liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tunc Salonas unus, alter in Lucaniam.

XXVIII. Diocletianus privatus in villa, quae haud procul a Salonis est, praeclaro otio senuit: inusitata virtute usus, ut solus omnium, post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio sponte ad privatae vitae statum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut, quum privatus obisset, inter Divos tamen referretur.

## LIBER DECIMUS.

I. His igitur abeuntibus ab administratione Reipublicae, CONSTANTIUS et GALERIUS Augusti creati sunt: divisusque inter eos ita Romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumtis duobus Caesaribus. Constantius tamen, contentus dignitate Augusti, Italiae atque Africae administrandae sollicitudinem recusavit: vir egregius et praestantissimae civilitatis, divitiis provincialium ac privatorum studens, fisci commoda non admodum adfectans, dicensque, *melius publicas opes a privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari.* Adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum ei argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit: praecipue quod Diocletiani suspectam prudentiam, et Maximiani sanguinariam temeritatem imperio eius evaserant. Obiit in Britannia Eboraci, principatus anno tertio decimo, atque inter Divos relatus est.

II. Galerius, vir et probe moratus, et egregius in re militari, quum Italiam quoque, sinente Constantio, administrationi suae accessisse sentiret, Caesares duos creavit: MAXIMINUM, quem Orienti praefecit; et SEVERUM, cui Italiam dedit: ipse in Illyrico commoratus est. Verum Constantio mortuo, CONSTANTINUS, ex obscuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus est Imperator, et in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romae interea praetoriani, excitato tumultu, MAXENTIUM, Herculii filium, qui haud procul ab Urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupaverunt. Quo nuntio Maximianus Herculius ad spem arrectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania, quam sedem privatus elegerat, in agris amoenissimis consenescens: Diocletianumque etiam per litteras adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem: quas ille irritas habuit. Sed adversum

motum praetorianorum atque Maxentii Severus Caesar, Roma missus a Galerio, cum exercitu venit: obsidensque Urbem militum suorum scelere desertus est.

III. Auctae Maxentio opes, confirmatumque imperium. Se verus fugiens Ravennae interfectus est. Herculius tamen Maximianus post haec in concione exercitus filium Maxentium de dare conatus, seditionem et convicia militum tulit. Inde Gallias profectus est, dolo composito, tamquam a filio ex expulsus, ut Constantino genero iungeretur: moliens tam Constantinum reperta occasione interficere, qui in Galliis militum et provincialium ingenti iam favore regnabat, caes Francis atque Alamannis, captisque eorum regibus, quos etiam bestiis, quum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quae dolum viro nuntiaverat, profugit Herculius, Massiliaeque oppressus (ex ea etenim navigare ad filium praeparabat) poenas dedit iustissimo exitu: vir ad omnem asperitatem saevitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers.

IV. Per hoc tempus a Galerio LICINIUS Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, et in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus et officiis acceptus. Mors Galerii confestim secuta est. Itaque Respublica tunc a novis quatuor Imperatoribus tenebatur, Constantino et Maxentio, filiis Augustorum, Licinio et Maximino, novis hominibus. Quinto tamen Constantinus imperii sui anno bellum adversum Maxentium civile commovit; copias eius multis proeliis fudit: ipsum postremo Romae adversus nobiles omnibus exitiis saevientem, apud pontem Mulvium vicit, Italiaque est potitus. Non multo deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximinus res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte praevenit.

V. CONSTANTINUS tamen, vir ingens, et omnia efficere nitens, quae animo praeparasset, simul principatum totius orbis adfectans, Licinio bellum intulit; quamvis necessitudo et adfinitas cum eo esset: nam soror Constantia nupta Licinio erat. Ac primo cum in Pannonia secunda, ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem, repentinus oppressit, omnique Dardania, Moesia, Macedonia potitus, numerosas provincias occupavit.

VI. Varia deinceps inter eos bella, et pax reconciliata ruptaque est. Postremo Licinius navali et terrestri proelio victus, apud Nicomediam se dedidit, et contra religionem sacramenti Thessalonicae privatus occisus est. Eo tempore res Romana sub uno Augusto et tribus Caesaribus, (quod numquam alias,) fuit, quum liberi Constantini Galliae, Orienti, Italiaeque praecessent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinum ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primum necessitudines persecutus, [Crispum] filium, egregium virum, et sororis filium, commodae indolis iuvenem, interfecit; mox uxorem; post numerosos amicos.

VII. Vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo *mediis comparandus*. Innumerae in eo animi corporisque vir-

tes claruerunt. Militaris gloriae appetentissimus, fortuna in ellis prospera fuit, verum ita, ut non superaret industriam. m etiam Gothos, post civile bellum, varie profligavit, pace ad postremum data, ingentemque apud barbaras gentes meoriae gratiam collocavit. Civilibus artibus et liberalibus stuis deditus; adfectator iusti amoris, quem ab omnibus sibi et beralitate et docilitate quaesivit. Sicut in nonnullos amicos ubius, ita in reliquos egregius: nihil occasionum praetermitens, quo opulentiores eos clarioresque praestaret.

VIII. Multas leges rogavit, quasdam ex bono et aequo, plerasque superfluas, nonnullas severas. Primusque urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romae aemulam faceret. Bellum adversus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, uno et trigesimo anno imperii, aetatis sexto et sexagesimo, Nicomediae in villa publica obiit. Denuntiata mors eius est etiam per crinitam stellam, quae inusitatae magnitudinis aliquamdiu fulsit: eam Graeci κομήτην vocant; atque inter Divos meruit referri.

IX. Successores filios tres reliquit, atque unum fratris filium. Verum Dalmatius Caesar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est factione militari, et Constantio, patruele suo, sinente potius, quam iubente. Constantinum porro, fratri bellum inferentem, et apud Aquileiam inconsultius proelium adgressum, Constantis duces interemerunt. Ita Respublica ad duos Augustos redacta est. Constantis imperium strenuum aliquamdiu et iustum fuit. Mox quum et valetudine improspera et amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus, quum intolerabilis provincialibus, militibus iniucundus esset, factione Magnentii occisus est. Obiit haud longe ab Hispaniis, in castro, cui Helenae nomen est, anno imperii decimo septimo, aetatis trigesimo: rebus tamen plurimis strenue in militia gestis, exercituique per omne vitae tempus sine gravi crudelitate terribilis.

X. Diversa Constantii fortuna fuit. A Persis enim multa et gravia perpessus, saepe captis oppidis, obsessis urbibus, caesis exercitibus: nullumque ei contra Saporem prospèrum proelium fuit: nisi quod, apud Singaram, haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiose et stolide, contra rationem belli, die iam praecipiti, poposcerunt. Post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias obtinente, etiam Illyricum res novas habuit, Vetranione ad imperium consensu militum electo: quem grandaevum iam, et cunctis amabilem, diuturnitate et felicitate militiae, ad tuendum Illyricum, principem creaverunt: virum probum et morum veterum, ac iucundae civilitatis; sed omnium liberalium artium expertem adeo, ut ne elementa quidem prima litterarum, nisi grandaevus et iam Imperator, acceperit.

XI. Sed a Constantio, qui ad ultionem fraternae necis bellum civile commoverat, abrogatum est Vetranioni imperium: qui novo inusitatoque more, consensu militum deponere insigne compulsus est. Romae quoque tumultus fuit, Nepotiano, Con-

stantini sororis filio, per gladiatoriam manum imperium invadente, qui saevis exordiis dignum exitum nactus est. Vigesimo enim atque octavo die a Magnentianis ducibus oppressus, poenas dedit: caput eius pilo per Urbem circumlatum est; gravissimaeque proscriptiones et nobilium caedes fuerunt.

XII. Non multo post Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac paene captus. Ingentes Romani imperii vires ea dimicatione consumtae sunt, ad quaelibet bella externa idoneae, et quae multum triumphorum possent securitatisque conferre. Orienti mox a Constantio Caesar est datus, patrui filius GALLUS: Magnentiusque, diversis proeliis victus, vim vitae suae apud Lugdunum attulit, imperii anno tertio, mense septimo; frater quoque eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Caesarem miserat.

XIII. Per haec tempora etiam a Constantio, multis incivilibus gestis, Gallus Caesar occisus est; vir natura ferus, et ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. Silvanus quoque in Gallia res novas molitus, ante diem trigesimum extinctus est, solusque imperio Romano eo tempore Constantius princeps et Augustus fuit.

XIV. MOX IULIANUM Caesarem ad Gallias misit, patruelem suum, Galli fratrem, tradita ei in matrimonium sorore: quum multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent, ubique foeda vastitas esset, Romanumque imperium non dubia iam calamitate nutaret. A quo modicis copiis apud Argentoratum, Galliae urbem, ingentes Alamannorum copiae exstinctae sunt, rex nobilissimus captus, Galliae restitutae. Multa postea per eundem Iulianum egregie adversum barbaros gesta sunt: submotique ultra Rhenum Germani, et finibus suis Romanum imperium restitutum.

XV. Neque multo post, quum Germaniciani exercitus a Galliarum praesidio tollerentur, consensu militum Iulianus factus Augustus est, interiectoque anno, ad Illyricum obtinendum profectus, Constantio Parthicis bellis occupato. Qui, rebus cognitis, ad bellum civile conversus, in itinere obiit inter Ciliciam Cappadociamque, anno imperii octavo et trigesimo, aetatis quinto et quadragesimo, meruitque inter Divos referri: vir egregiae tranquillitatis, placidus, nimis amicis et familiaribus credens, mox etiam uxoribus deditior; qui tamen primis imperii annis ingenti se modestia egerit. Familiarium etiam locupletator: neque inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia. Ad severitatem tamen propensior, si suspicio imperii moveretur; mitis alias, et cuius in civilibus magis, quam in externis bellis, sit laudanda fortuna.

XVI. Hinc IULIANUS rerum potitus est, ingentique apparatu Parthis intulit bellum, cui expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida et castella Persarum in deditionem accepit, vel vi expugnavit; Assyriamque populatus, castra apud Ctesiphontem stativa aliquamdiu habuit, remeansque victor, dum se inconsultius proeliis inserit, hostili manu interfectus est, VI. Kalend. Iulias, imperii anno septimo, aetatis altero et trigesimo: atque inter Divos relatus est. Vir egregius et Rempublicam

insigniter moderaturus, si per fata licuisset. Liberalibus disciplinis apprime eruditus: Graecis doctior, atque adeo, ut Latina eruditione nequaquam cum Graeca scientia conveniret. Facundia ingenti et prompta, memoriae tenacissimae, in quibusdam philosopho propior. In amicos liberalis: sed minus diligens, quam tantum principem decuit; fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriae eius inferrent. In provinciales iustissimus, et tributorum, quatenus fieri posset, repressor: civilis in cunctos: mediocrem habens aerarii curam: gloriae avidus, ac per eam animi plerumque immodici: [nimius] religionis Christianae insectator, perinde tamen, ut cruore abstineret. Marco Antonino non absimilis, quem etiam aemulari studebat.

XVII. Post hunc Iovianus, qui tunc domesticus militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus lectus est: commendatione patris, quam sua, militibus notior. Qui iam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno a Persis atque altero proelio victus, pacem cum Sapore, necessariam quidem, sed ignobilem fecit: multatus finibus, ac nonnulla imperii Romani parte tradita, quod ante eum annis mille centum et duobus de viginti fere, ex quo Romanum imperium conditum erat, numquam accidit. Quin etiam legiones nostrae ita et apud Caudium per Pontium Telesinum, et in Hispania apud Numantiam, et in Numidia sub iugum missae sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si foederis necessitatem, quum integrum fuit, mutare voluisset: sicut a Romanis, omnibus his bellis, quae commemoravi, factum est. Nam et Samnitibus, et Numantinis, et Numidis confestim bella illata sunt, neque pax rata fuit. Sed dum aemulum imperii veretur, intra Orientem residens, gloriae parum consuluit. Itaque iter ingressus, atque Illyricum petens, in Galatiae finibus repentina morte obiit: vir alias neque iners, neque imprudens.

XVIII. Multi exanimatum opinantur nimia cruditate; inter coenandum enim epulis indulserat: alii odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quiescentibus erat: quidam nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas iusserat. Decessit imperii mense septimo, quarto decimo Kalend. Martias: aetatis, ut qui plurimum ac minimum tradunt, tertio et trigesimo anno, ac benignitate principum, qui ei successerunt, inter Divos relatus est. Nam et civilitati propior, et natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romanae rei, Ioviano eodem et Varroniano Coss. anno Urbis conditae millesimo centesimo et nono decimo. Quia autem ad inclutos principes venerandosque perventum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stilo maiore dicenda sunt; quae nunc non tam praetermittimus, quam ad maiorem scribendi diligentiam reservamus.

# SEXTI
# AURELII VICTORIS
## HISTORIA ROMANA.

INSUNT LIBELLI

DE ORIGINE GENTIS ROMANAE.
DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE.
DE CAESARIBUS.
EPITOME DE CAESARIBUS.

SEXTI AURELII VICTORIS

# ORIGO GENTIS ROMANAE,

A IANO ET SATURNO CONDITORIBUS, PER SUCCEDENTES SIBIMET REGES, USQUE AD CONSULATUM DECIMUM CONSTANTII, DIGESTA EX AUCTORIBUS VERRIO FLACCO, ANTIATE, (UT QUIDEM IDEM VERRIUS MALUIT DICERE, QUAM ANTIA) TUM EX ANNALIBUS PONTIFICUM; DEIN CNAEO EGNATIO VERATIO, FABIO PICTORE, LICINIO MACRO, VARRONE, CAESARE, TUBERONE, ATQUE EX OMNI PRISCORUM HISTORIA; PROINDE UT QUISQUE NEOTERICORUM ADSEVERAVIT, HOC EST, ET LIVIUS ET VICTOR AFER.

1. Primus in Italiam creditur venisse Saturnus, ut etiam Maronis Musa testatur illis versibus:

*Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,*
*Arma Iovis fugiens, et regnis exsul ademtis*; cet.

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur 2
fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientia praediti, ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes atque originem ignorabant, coelo et terra editos non solum ipsi crederent, verum etiam posteris affirmarent; veluti hunc ipsum Saturnum, quem Coeli et Terrae filium esse dixerunt. Quod quum ita 3
existimetur, certum tamen est, priorem Ianum in Italiam devenisse, ab eoque postea venientem exceptum esse Saturnum. Unde intelligendum est, Virgilium quoque non ignoratione veteris historiae, sed suo more, *primum* dixisse Saturnum, non 4
ante quem nemo, sed *principem*: ut

*Troiae qui primus ab oris:*

quum procul dubio constet, ante Aeneam priorem Antenorem 5
in Italiam esse pervectum, eumque non in ora litori proxima, sed in interioribus locis, id est, Illyrico, urbem Patavium condidisse, ut quidem idem Virgilius illis versibus ex persona Veneris, apud Iovem de aerumnis Aeneae sui conquerentis:

*Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,*
*Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus* cet.

Quare autem addiderit *tutus*, suo loco plenissime adnotavimus 6
in commentatione, quum hoc scribere coepimus, cognita ex

7 libro, qui inscriptus est, *De Origine Patavina*. Itaque nunc, *primus*, ex ea quoque significatione est, e qua illud in secundo Aeneidos, de enumeratione eorum, qui equo Durio digredie-
8 bantur. Nam quum nominasset Thessandrum, Sthenelum, Ulyxem, Acamanta, Thoanta, Neoptolemum; post intulit, *primusque*
9 *Machaon*. De quo quaeri potest, quomodo potest *primus* dici, post tantos, qui supra dicti sunt? Verum intelligemus *primum* pro principe, vel quia is ad perfectum illis temporibus circa peritiam medicae artis praecipuus fuisse traditur.

II. Sed ut ad propositum revertamur, ferunt Creusam, Erechthei, regis Atheniensium, filiam speciosissimam, stupratam ab Apolline, enixam puerum, eumque Delphos olim educandum esse missum; ipsam vero a patre, istarum rerum nescio, Xutho
2 cuidam comiti collocatam. Ex qua quum ille pater non posset existere, Delphos eum petiisse ad consulendum oraculum, quomodo pater fieri posset. Tum illi deum respondisse, ut,
3 quem postero die obviam habuisset, eum sibi adoptaret. Itaque supra dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obviam
4 illi fuisse, eumque adoptatum. Quum adolevisset, non contentum patrio regno cum magna classe in Italiam devenisse, occupatoque monte, urbem ibidem constituisse, eamque ex suo nomine Ianiculum cognominasse.

III. Igitur Iano regnante apud indigenas rudes incultosque, Saturnus, regno profugus, quum in Italiam venisset, benigne exceptus hospitio est; ibique haud procul a Ianiculo arcem suo
2 nomine Saturniam constituit. Isque primus agriculturam edocuit, ferosque homines et rapto vivere adsuetos ad compositam vitam eduxit. Unde Virgilius in octavo sic ait:

*Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,*
*Gensque virum, truncis et duro robore nata:*
*Queis neque mos neque cultus erat: nec iungere tauros,*
*Aut componere opes norant, aut parcere parto:*
*Sed rami atque asper victu venatus alebat.*

3 Omissoque Iano, qui nihil aliud, quam ritum colendorum Deorum religionesque induxerat, se Saturno maluit adnectere; qui, vitam moresque feris etiam tum mentibus insinuans, ad communem utilitatem, ut supra diximus, disciplinam colendi ruris edocuit, ut quidem indicant illi versus:

*Is genus indocile ac dispersum montibus altis*
*Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
*Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

4 Istum etiam usum signandi aeris ac monetae in formam incudendae ostendisse traditur, in qua ab una parte caput eius im-
5 primeretur, altera navis, qua vectus illo erat. Unde hodieque aleatores, posito nummo opertoque, optionem collusoribus ponunt enuntiandi, quid putent subesse, caput aut navem: quod
6 nunc vulgo corrumpentes *naviam* dicunt. Aedes quoque sub clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, aerarium
7 Saturni hodieque dicitur. Verum quia, ut supra diximus, prior illuc Ianus advenerat, quum eos post obitum divinis honoribus *aemulandos* censuissent, in sacris omnibus primum locum Iano

detulerunt; usque eo, ut etiam, quum aliis Diis sacrificium fit, dato ture in altaria, Ianus prior nominetur, cognomento quoque addito Pater, secundum quod noster [cognomento] sic intulit:

*Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit arcem:* ac subindit:

*Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen:*

eique, eo quod mire praeteritorum memor, tum etiam futuri **** [dixerit:

*Rex arva Latinus et urbes*
*Iam senior longa placidas in pace regebat:*

quo regnante Troianos refert Italiam devenisse. Quaeritur, quomodo Sallustius dicat: *Cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum?*]

IV. Quidam autem tradunt, terris diluvio coopertis, passim multos diversarum regionum in montibus, ad quos confugerant, constitisse: ex quibus quosdam sedem quaerentes, pervectos in Italiam, Aborigines appellatos; appellatione, a cacuminibus montium, quae Graeca scilicet illi ὄρη vocant. Alii volunt, eos, 2
quod errantes illo venerint, primo Aberrigines, post, mutata una littera, altera ademta, Aborigines cognominatos. Eos adve- 3
nientes Picus excepit, permissos vivere, ut vellent. Post Picum 4
regnavit in Italia Faunus, quem a fando dictum volunt, quod is solet futura praecinere versibus, quos Saturnios dicimus; quod genus metri in vaticinatione Saturniae primum proditum est. [Sed urbem Saturnus, quum in Italiam venisset, condidisse 5
traditur.] Eius rei Ennius testis est, quum ait:

*Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.*

Hunc Faunum plerique eundem Silvanum a silvis, Inuum deum; 6
quidam etiam Pana vel Pan esse dixerunt.

V. Igitur regnante Fauno, ante annos circiter sexaginta, quam Aeneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii et Carmentis Nymphae filius, simul cum matre eodem venit: quam 2
quidam memoriae prodiderunt primo Carmentim dictam, post Nicostraten, de carminibus, eo quod videlicet omnium litterarum peritissima, futurorumque prudens, versibus canere sit solita: adeo ut plerique velint, non tam ipsam a carmine Carmentam, quam carmina, a qua dicta essent, appellata. Huius admonitu 3
transvectus in Italiam Evander, ob singularem eruditionem atque scientiam litterarum, brevi tempore in familiaritatem Fauni se insinuavit, atque ab eo hospitaliter benigneque exceptus, non parvum agri modum ad incolendum accepit; quem suis comitibus distribuit, exaedificatis domiciliis in eo monte, quem primo tum illi a Pallante Pallanteum, postea nos Palatium diximus: ibique Pani deo fanum dedicavit; quippe is familiaris Arcadiae deus est, teste etiam Marone, qui ait:

*Pan, deus Arcadiae, captam te, Luna, fefellit:*

et item:

*Pan etiam Arcadia mecum si iudice cantet.*

Primus itaque omnium Evander Italicos homines legere et scri- 4
bere edocuit, litteris, partim quas ipse antea didicerat: idemque fruges in Graecia primum inventas ostendit, serendique usum edocuit, terraeque excolendae gratia primus boves in Italia iunxit.

VI. Eo regnante, forte Recaranus quidam, Graecae originis, ingentis corporis et magnarum virium pastor, qui erat forma et virtute ceteris antecellens, Hercules appellatus, eodem venit. 2 Quumque armenta eius circa flumen Albulam pascerentur, Cacus, Evandri servus, nequitiae versutus et praeter cetera furacissimus, Recarani hospitis boves surripuit; ac, ne quod esset 3 indicium, aversas in speluncam attraxit. Quumque Recaranus, vicinis regionibus peragratis, scrutatisque omnibus eiusmodi latebris, desperasset inventurum, utcunque aequo animo dispen- 4 dium ferens, excedere his finibus constituerat. At vero Evander, excellentissimae iustitiae vir, postquam rem, uti acta erat, 5 comperit, servum noxae dedit, bovesque restitui fecit. Tum Recaranus sub Aventino Inventori Patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, et apud eam decimam sui pecoris profanavit. 6 Quumque ante moris esset, uti homines decimam fructuum regibus suis praestarent, aequius sibi ait videri, Deos potius illo honore impartiendos esse, quam reges; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari mos esset, secundum quod Plautus, *In partem*, inquit, *Herculaneam*, id est, decimam. Consecrata igitur ara Maxima, profanataque apud eam decima; Recaranus, eo quod Carmentis invitata ad id sacrum non adfuisset, sanxit, ne cui feminae fas esset vesci ex eo, quod eidem arae sacratum esset; atque ab ea re divina feminae in totum remotae.

VII. Haec Cassius lib. I. At vero in libris Pontificalium traditur Hercules, Iove atque Alcmena genitus, superato Geryone, agens nobile armentum, cupidus eius generis boves in Graecia instituendi, forte in ea loca venisse, et ubertate pabuli delectatus, ut ex longo itinere homines sui et pecora reficeren- 2 tur, aliquamdiu sedem ibi constituisse. Quae quum in valle, ubi nunc est Circus Maximus, pascerentur, neglecta custodia, quod nemo credebatur ausurus violare Herculis praedam, latronem quendam regionis eiusdem, magnitudine corporis et virtute ceteris praevalentem, octo boves in speluncam, quo minus fur- 3 tum vestigiis colligi posset, caudis abstraxisse. Quumque inde Hercules proficiscens, reliquum armentum casu praeter eandem speluncam ageret, forte quadam inclusas boves transeuntibus 4 admugisse, atque ita furtum detectum: interfectoque Caco, Evandrum, re comperta, hospiti obviam ivisse, gratantem, quod tanto malo fines suos liberasset; compertoque, quibus parentibus ortus esset Hercules, rem ita, uti erat gesta, ad Faunum pertulisse. Tum eum quoque amicitiam Herculis cupidissime appetisse. Quam opinionem sequi metuit [maluit] noster Maro.

VIII. Quum ergo Recaranus, sive Hercules, Patri Inventori aram Maximam consecrasset; duos ex Italia, quos eadem sacra certo ritu administranda edoceret, adscivit, Potitium et Pina- 2 rium. Sed eorum Potitio, quia prior venerat, ad comedenda exta admisso, Pinarius, eo quod tardius venisset, posteriquè eius submoti. Unde hodieque servatur: Nemini [Potitio] Pi- 3 nariae gentis in eis sacris vesci licet. Eosque alio vocabulo *prius* appellatos, nonnulli volunt; post vero Pinarios dictos

ἀπὸ τοῦ πεινᾶν, quod videlicet ieiuni, ac per hoc esurientes ab eiusmodi sacrificiis discedant. Isque mos permansit usque 4
Appium Claudium Censorem, ut Potitiis sacra facientibus vescentibusque de eo bove, quem immolaverant, postquam inde nihil reliquissent, Pinarii deinde admitterentur. Verum postea 5
Appius Claudius, accepta pecunia, Potitios illexit, ut administrationem sacrorum Herculis servos publicos edocerent, nec non etiam mulieres admitterent. Quo facto aiunt intra dies tri- 6
ginta omnem familiam Potitiorum, quae prior in sacris habebatur, exstinctam: atque ita sacra penes Pinarios resedisse, eosque, tam religione quam etiam pietate edoctos, mysteria eiusmodi fideliter custodisse.

IX. Post Faunum Latino, eius filio, in Italia regnante, Aeneas, Ilio Achivis prodito ab Antenore aliisque principibus, quum, prae se deos Penates patremque Anchisen humeris gestans, nec non et parvulum filium manu trahens, noctu excederet, orta luce cognitus ab hostibus, eo quod tanta onustus pietatis sarcina erat, non modo a nullo interpellatus, sed etiam a rege Agamemnone, quo vellet, ire permissus, Idam petit: ibique navibus fabricatis, cum multis diversi sexus oraculi admonitu Italiam petit; ut docet Alexander Ephesius lib. I. belli Marsici. At vero Lutatius non modo Antenorem, sed etiam 2
ipsum Aeneam proditorem patriae fuisse tradit: cui quum a rege 3
Agamemnone permissum esset ire, quo vellet, et humeris suis, quod potissimum putaret, hoc ferret; nihil illum praeter deos Penates et patrem duosque parvulos filios, ut quidam tradunt, ut vero alii, unum, cui Iulo cognomen, post etiam Ascanio fuerit, secum extulisse: qua pietate motos Achivorum principes 4
remisisse, ut reverteretur domum, atque inde omnia secum, quae vellet, auferret. Itaque eum magnis cum opibus pluribusque sociis utriusque sexus a Troia digressum, longo mari emenso, per diversas terrarum oras in Italiam devenisse; ac primum Thraciam appulsum, Aenum ex suo nomine condidisse. Dein, cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece, inde 5
digressum pervectumque ad insulam Delum, atque illinc ab eo Laviniam, Anii sacerdotis Apollinis filiam, in matrimonium adscitam, ex cuius nomine *Lavinia litora* appellata. Postquam is, 6
multa maria permensus, appulsus sit ad Italiae promontorium, quod est in Baiano, circa Averni lacum, ibique gubernatorem Misenum morbo absumtum, sepultum ab eo; ex cuius nomine urbem Misenon appellatam, ut etiam scribit Caesar, Pontificalium lib. I., qui tamen hunc Misenum non gubernatorem, sed tubicinem fuisse tradit. Inde non immerito, utramque opinio- 7
nem secutus, Maro sic intulit:

*At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum*
*Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque:*

quamvis, auctore Homero, quidam adserant, tubae usum Tro- 8
janis temporibus etiam tunc ignoratum.

X. Addunt praeterea quidam, Aeneam in eo litore Euxini cuiusdam comitis matrem, ultimo aetatis affectam, circa stagnum, quod est inter Misenon Avernumque, extulisse, atque inde loco

nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur: quumque comperisset, ibidem Sibyllam mortalibus futura praecinere, in oppido, quod vocatur Cimmerion, [Cimbarionis,] venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum; aditisque fatis, vetitum, ne is [cognitam] in Italia sepeliret Prochytam, cognatione
2 sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae uunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius et
3 Acilius Piso. Inde profectum pervenisse in eum locum, qui nunc portus Caietae appellatur, ex nomine nutricis eius, quam
4 ibidem amissam sepeliit. At vero Caesar et Sempronius aiunt, Caietae cognomen fuisse, non nomen, ex eo scilicet inditum, quod eius consilio impulsuque matres Troianae taedio longi navigii classem ibidem incenderint, Graeca scilicet appellatione
5 ἀπὸ τοῦ καίειν, quod est incendere. Inde ad eam Italiae oram, quae ab arbusto eiusdem generis Laurens appellata est, Latino regnante, pervectum cum patre Anchise filioque et ceteris suorum, navibus egressum, in litore accubuisse, consumtoque, quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse.

XI. Tum, Anchisa coniiciente, illam esse miseriarum errorisque finem; (quippe meminerat, Venerem sibi aliquando praedixisse, quum in externo litore esurie compulsi sacratasque mensas invasissent, illum condendae sedis fatalem locum fore;)
2 scrofam etiam incientem, quam quum e navi produxissent, ut eam immolarent, [et] se ministrorum manibus eripuisse, et recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem futuram ducem: cum simulacris Deorum Penatium prosecutum, atque urbem, ubi illa procubuit enixaque est proculos triginta, ibidem auspicatum, quam post Lavinium dixit: ut scribit Caesar lib. I. et Lutatius lib. II.

XII. At vero Domitius, non orbes farreos, ut supra dictum est, sed mensarum vice sumendi cibi gratia apium, cuius maxima erat ibidem copia, fuisse substratum, quod ipsum, consumtis aliis eduliis, eos comedisse, ac post subinde intellexisse,
2 illas esse mensas, quas illos comesturos praedictum esset. Quum interim, immolata sue, in litore sacrificium perageret, traditur forte advertisse Argivam classem, in qua Ulyxes erat: quumque vereretur, ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse. Inde posteris traditum morem ita sacrificandi, ut scribit Marcus
3 Octavius lib. I. At vero Domitius lib. I. docet, sorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret, ubi duo maria invenisset, prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem
4 uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem, quum paullulum e litore processisset, pervenisse ad duo stagna aquae salsae, vicina inter se: ibique quum se lavisset, ac refectum cibo, quum apium quoque, quod tunc vice mensae substratum fuerat, consumsisset, existimantem procul dubio illa esse duo maria, *quod in illis* stagnis aquae marinae species esset, mensasque,

quae erant ex stramine apii, comestas; urbem in eo loco condidisse; eamque, quod in stagno laverit, Lavinium cognominasse. Tum deinde a Latino, rege Aboriginum, data ei, quae incoleret, iugera quingenta. At Cato in Origine generis Romani ita 5
docet: Suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium: quumque Aeneas ibi urbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visa Deorum Penatum simulacra, adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat; nam post annos totidem, quot foetus illius suis essent, Troianos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, et urbem clarissimi nominis in Italia condituros.

XIII. Igitur Latinum, Aboriginum regem, quum ei nuntiatum esset, multitudinem advenarum, classe advectam, occupavisse agrum Laurentem, adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse: ac prius, quam signum dimicandi 2
daret, animadvertisse Troianos militariter instructos, quum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis integumento erant, sinistris manibus involutis, processissent. Itaque suspenso certamine, per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent, utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur: namque extis ac somniis saepe admonitus erat, tutiorem se adversum hostes fore, si copias suas cum advenis coniunxisset: quumque cognovisset, Aeneam et Anchisen, 3
bello patria pulsos, cum simulacris Deorum errantes sedem quaerere; amicitiam foedere inisse, dato invicem iureiurando, ut communes quoque hostes amicosve haberent. Itaque coeptum a 4
Troianis muniri locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis filiae, quae iam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam, Latini regis 5
uxorem, quum indigne ferret, Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano advenae collocatam, Turnum ad arma concitavisse; eumque mox, coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem, et adversus eum Latinum pariter cum Aenea progressum, inter proeliantes circumventum occisumque. Nec tamen, amisso socero, Aeneas Rutulis obsistere 6
desiit; namque et Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque, 7
victor Lavinium se cum suis recepit, consensuque omnium Latinorum rex declaratus est; ut scribit Lutatius lib. III. Piso 8
quidem, Turnum matruelem Amatae fuisse tradit, interfectoque Latino, mortem ipsam sibimet conscivisse.

XIV. Igitur Aeneam, occiso Turno, rerum potitum, quum adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentii, regis Agyllaeorum, adscivisse ac imploravisse, pollicitos, si victoria parta foret, omnia, quae Latinorum essent, Mezentio cessura. Tum Aeneam, quod copiis 2
inferior erat; multis rebus, quae necessario tuendae erant, in urbem comportatis, castra sub Lavinio collocasse; praepositoque his filio Euryleone, ipsum, electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxisse, circa Numici fluminis stagnum: ubi quum acerrime dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aëre,

repente coelo tantum imbrium effusum, tonitrubus etiam consecutis flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modo praestringerentur, verum etiam mentes quoque confusae essent: quumque universos utriusque partis dirimendi proelia cupiditas incessisset, nihilo minus in illa tempestatis subitae confusione
3 interceptum Aeneam nusquam deinde comparuisse. Traditur autem, non proviso, quod propinquus flumini esset, ripa depulsus, forte in fluvium decidisse, atque ita proelium diremtum; dein post apertis fugatisque nubibus quum serena facies
4 effulsisset, creditum est, vivum eum coelo adsumtum. Idemque tamen post ab Ascanio, et quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam, eo habitu armisque, quibus in proelium processerat. Quae res immortalitatis eius famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum consecratum, appellarique placuit
5 *Patrem indigetem*. Dein filius eius Ascanius, idem qui Eurileo, omnium Latinorum iudicio rex appellatus.

XV. Igitur summam imperii Latinorum adeptus Ascanius, quum continuis proeliis Mezentium persequi instituisset, filius
2 eius Lausus collem Laviniae arcis occupavit. Quumque id oppidum circumfusis omnibus copiis regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt sciscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet; quumque ille inter alia onerosa *illud* quoque adiiceret, ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur: consilio atque auctoritate Ascanii placuit ob libertatem mori potius, quam illo modo servitutem subire. Itaque
3 vino ex omni vindemia Iovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coëgerunt. Is postea per legatos amicitiam
4 societatemque Latinorum impetravit, ut docet Iulius Caesar lib. I., itemque Aulus Postumius in eo volumine, quod de adventu
5 Aeneae conscripsit atque edidit. Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Iove ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paullulum nomine, primo Iobum, dein postea Iulum appellarunt; a quo Iulia familia manavit, ut scribunt Caesar lib. II. et Cato in Originibus.

XVI. Interim Lavinia, ab Aenea gravida relicta, metu veluti insecuturi se Ascanii, in silvam profugit ad magistrum patrii pecoris Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate
2 Silvius est dictus. At vero vulgus Latinorum, existimans clam ab Ascanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, usque
3 eo, ut armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Ascanius iureiurando se purgans, quum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram praesentem vulgi aliquantulum fregit; pollicitusque est, se ingentibus praemiis cumulaturum eum, qui sibi Laviniam investigasset: mox recuperatam cum filio in urbem Lavinium reduxit, dilexitque honore materno.
4 Quae res rursum ei magnum favorem populi conciliavit, ut scribunt Caius Caesar et Sextus Gellius in Origine Gentis Ro-
5 manae. At vero alii tradunt, quod quum Ascanius ab universo populo ad restituendam Laviniam cogeretur, iuraretque, se *neque interemisse*, neque scire, ubi esset, Tyrrhum, petito

silentio, in illa concionis frequentia professum indicium, si sibi Laviniaeque pueroque ex ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum, accepta fide, Laviniam in urbem cum filio reduxisse.

XVII. Post haec Ascanius, completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis condendae tempus advenisse ex numero porcorum, quos pepererat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita est, Albanus nuncupatur, civitatem communit; eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis, Albam cognominavit. Quumque illuc simulacra Deorum Penatium transtulisset, postridie apud Lavinium apparuerunt: rursusque relata Albam, appositisque custodibus [nescio quantis], se Lavinium in pristinam sedem identidem receperunt. Itaque tertio nemo ausus est amovere ea, ut scriptum est in Annali Pontificum IV. lib. Cincii et Caesaris II. Tuberonis I. At Ascanius postquam excessisset e vita, inter Iulum, filium eius, et Silvium Postumum, qui ex Lavinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio est, quum dubitaretur, an Aeneae filius, an nepos potior esset. Permissa disceptatione eius rei, ab universis rex Silvius declaratus est. Eiusdem posteri omnes cognomento Silvii, usque ad conditam Romam, Albae regnaverunt, ut est scriptum Annalium Pontificalium lib. IV. Igitur regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia, Corioli [Locri], Crustumium, Cameria, Bovillae, ceteraque oppida circumquaque.

XVIII. Post eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui quum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in Albulam flumen, deperiit, mutandique nominis exstitit causa, ut scribunt Lucius Cincius lib. I. Lutatius lib. III. Post eum regnavit Aremulus Silvius; qui tantae superbiae non adversum homines modo, sed etiam deos fuisse traditur, ut praedicaret, se superiorem esse ipso Iove, ac, tonante coelo, militibus imperaret, ut telis clypeos quaterent, dictitaretque, clariorem sonum se facere. Qui tamen praesenti affectus est poena: nam fulmine ictus raptusque turbine in Albanum lacum praecipitatus est, ut scriptum est Annalium lib. VI. et Epitomarum Pisonis II. Aufidius sane in Epitomis et Domitius lib. I. non fulmine ictum, sed terrae motu prolapsum, simul cum eo regiam, in Albanum lacum tradunt. Post illum regnavit Aventinus Silvius; isque, finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumventus ab hostibus prostratus est, ac sepultus circa radices montis, cui ex se nomen dedit, ut scribit Iulius Caesar lib. II.

XIX. Post eum Silvius Procas rex Albanorum, duos filios, Numitorem et Amulium, aequis partibus heredes instituit. Tum Amulius in una parte regnum tantummodo, in altera totius patrimonii summam atque omnem paternorum bonorum substantiam posuit, fratrique Numitori, qui maior natu erat, optionem dedit, ut ex his, utrum mallet, eligeret. Numitor quum privatam omne cum facultatibus regno praetulisset, Amulius regnum

3 obtinuit. Quod ut firmissime possideret, Numitoris fratris sui
4 filium in venando interimendum curavit. Tum etiam Rheam Silviam, eius sororem, sacerdotem Vestae fieri iussit, simulato somnio, quo admonitus ab eadem Dea esset, ut id fieret; quum re vera ita faciendum sibi existimaret, periculosum ducens, si quis ex ea nasceretur, qui avitas persequeretur iniurias, ut
5 scribit Valerius Antias lib. I. At vero Marcus Octavius et Licinius Macer tradunt, Amulium, patruum Rheae sacerdotis, amore eius captum, nubilo coelo obscuroque aëre, quum primum illucescere coepisset, in usum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis compressisse eam: tum exactis men-
6 sibus geminos editos. Quod quum comperisset, celandi facti gratia per scelus concepti, necari iussit sacerdotem, partum
7 sibi exhiberi. Tumque Numitorem spe futurorum, quod hi, si adolevissent, iniuriarum suarum quandoque ultores futuri essent, alios pro eis subdidisse, illosque suos veros nepotes Faustulo, pastorum magistro, dedisse nutriendos.

XX. At vero Fabius Pictor lib. I. et Vennonius, solito institutoque egressam virginem, in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, subito imbribus tonitrubusque, quae cum illa erant, disiectis, a Marte compressam: conturbatamque mox recreatam consolatione Dei, nomen suum indicantis affirmantisque, ex ea natos dignos patre evasuros.
2 Primum igitur Amulius rex, ut comperit, Rheam Silviam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad
3 aquam profluentem, atque eo abiici. Tum illi, quibus id imperatum erat, impositos alveo pueros, circa radices montis Palatii in Tiberim, qui tum magnis imbribus stagnaverat, abiecerunt: eiusque regionis subulcus Faustulus, speculatus exponentes, ut vidit, relabente flumine, alveum, in quo pueri erant, obhaesisse ad arborem fici, puerorumque vagitu lupam excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos detersisse, dein levandorum uberum gratia mammas praebuisse; descendit ac sustulit, nutriendosque Accae Larentiae, uxori suae, dedit, ut scribunt
4 Ennius lib. I. et Caesar lib. II. Addunt quidam, Faustulo inspectante, picum quoque advolasse, et ore pleno cibum pueris ingessisse: inde videlicet lupum picumque Martiae tutelae esse. Arborem quoque illam Ruminalem dictam, circa quam pueri abiecti erant, quod eius sub umbra pecus acquiescens meridie ruminare sit solitum.

XXI. At vero Valerius tradit, pueros ex Rhea Silvia natos Amulium regem Faustulo servo necandos dedisse: sed eum, a Numitore exoratum, ne pueri necarentur, Accae Larentiae amicae suae nutriendos dedisse; quam mulierem, eo quod pretio
2 corpus esset vulgare solita, Lupam dictam. Notum quippe, ita appellari mulieres quaestum corpore facientes: unde et eiusmodi
3 loci, in quibus hae consistunt, lupanaria dicta. Quum vero pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graecarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos, Nu-
4 mitore avo clam omnia subministrante. Itaque ut primum adolevissent, Romulum, indicio educatoris Faustuli comperto, qui

sibi avus, quae mater fuisset, quidque de ea factum esset, cum armatis pastoribus Albam protinus perexisse, interfectoque Amulio, Numitorem avum in regnum restitutum. Romulum autem a virium magnitudine appellatum: nam Graeca lingua ῥώμην *virtutem* dici certum est. Alterum vero Remum dictum, videlicet a tarditate: quippe talis naturae homines ab antiquis *remores* dicti.

XXII. Igitur actis, quae supra diximus, et re divina facta eo in loco, qui nunc Lupercal dicitur, ludibundi discurrerant, pellibus hostiarum occursantes quosque sibimet verberantes; utque solemne sacrificium sibi posterisque id esset, sanxerunt, separatimque suos appellaverunt, Remus Fabios, Romulus Quintilios: quorum utrumque nomen etiamnum in sacris manet. At 2
vero lib. II. Pontificalium proditur, missos ab Amulio, qui Remum, pecorum pastorem, attraherent, quum non auderent ei vim afferre, opportunum tempus sibi ad insidiandum nactos, quod tum Romulus aberat, genus lusus simulasse, quinam eorum, manibus post terga ligatis, lapidem, quo lana pensitari solebat, mordicus sublatum, quam longissime perferret. Tum Remum 3
fiducia virium in Aventinum usque se perlaturum spopondisse: dein, postquam vinciri se passus est, Albam abstractum. Quod postquam Romulus comperisset, coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa, perticas manipulis foeni varie formatis in summo iunctas dedisse, quo facilius eo signo suum quisque ducem sequeretur. Unde institutum, ut postea milites, 4
qui eiusdem signi essent, manipulares dicerentur. Itaque ab eo, oppresso Amulio, fratrem vinculis liberatum, avum regno restitutum.

XXIII. Quum igitur inter se Romulus et Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulusque locum, qui sibi idoneus videretur, in monte Palatino designaret, Romamque appellari vellet; contraque item Remus in alio colle, qui aberat a Palatio millibus quinque, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret, neque ea inter eos finiretur contentio: avo Numitore arbitro adscito, placuit disceptatores eius controversiae immortales Deos sumere; ita ut, utri eorum priori secunda auspicia obvenissent, urbem conderet, eamque ex suo nomine nuncuparet atque in ea regni summam teneret. Quumque auspicaretur Romulus in Palatio, Remus in Aventino, 2
sex vultures, pariter volantes, a sinistra Remo prius visos, tumque ab eo missos, qui Romulo nuntiarent, sibi iam data auspicia, quibus condere urbem iuberetur; itaque maturaret ad se venire. Quumque ad eum Romulus venisset, quaesissetque, 3
quaenam illa auspicia fuissent, dixissetque ille, sibi auspicanti sex vulturios simul apparuisse: *At ego*, inquit Romulus, *iam tibi duodecim demonstrabo*; ac repente duodecim vultures apparuisse, subsecuto coeli fulgore pariter tonitruque. Tum Ro- 4
mulus, *Quid*, inquit, *Reme, affirmas priora, quum praesentia intuearis?* Remus postquam intellexit, sese regno fraudatum, *Multa*, inquit, *in hac urbe, temere sperata atque praesumta, felicissime proventura sunt.* At vero Licinius Macer lib. I. docet, 5

contentionis illius perniciosum exitum fuisse; namque ibidem
6 obsistentes Remum et Faustulum interfectos. Contra Egnatius
lib. I. in ea contentione non modo Remum non esse occisum,
7 sed etiam ulterius a Romulo vixisse tradit. Sed horum omnium opinionibus diversis repugnat [nostrae memoriae proclamans] historia Liviana, quae testatur, quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam vocavit: quumque muniret moenibus, edixit, ne quis vallum transiliret; quod Remus irridens, transilivit, et a Celere centurione rastro [rutro] fertur occisus. Romulus asylum convenis cet.

# SEXTUS AURELIUS VICTOR

## DE

# VIRIS ILLUSTRIBUS

## URBIS ROMAE.

### CAPUT I.

#### PROCAS, REX ALBANORUM.

Procas, rex Albanorum, Amulium et Numitorem filios habuit; quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit, [et ut alternis imperarent.] Sed Amulius fratri imperium non dedit; et, ut eum sobole privaret, Rheam Silviam, filiam eius, Vestae sacerdotem praefecit, ut virginitate perpetua teneretur: quae a
2 Marte compressa, Romulum et Remum edidit. Amulius ipsam in vincula compegit; parvulos in Tiberim abiecit, quos aqua
3 in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eosque uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor collectos Accae Larentiae con-
4 iugi educandos dedit. Qui postea, Amulio interfecto, Numitori avo regnum restituerunt: ipsi, pastoribus adunatis, civitatem condiderunt, quam Romulus, augurio victor, quod ipse XII, Remus VI vultures viderat, Romam vocavit; et, ut eam prius legibus muniret, quam moenibus, edixit, ne quis vallum transiliret: quod Remus irridens, transilivit, et a Celere centurione rastro fertur occisus.

### CAPUT II.

#### ROMULUS, ROMANORUM REX I.

Romulus asylum convenis patefecit, et, magno exercitu facto, *quum videret* coniugia deesse, per legatos a finitimis civitatibus

petiit. Quibus negatis, ludos Consualia simulavit: ad quos 2
quum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo, virgines raptae sunt. Ex quibus quum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Talassio eam duci responsum. Quae nuptiae quia feliciter cesserant, institutum est, ut omnibus nuptiis Talassii nomen vocaretur. 3
Quum feminas finitimorum Romani vi rapuissent, primi Caeninenses contra eos bellum sumserunt. Adversus quos Romulus processit, et exercitum 4
eorum ac ducem Acronem singulari proelio devicit. Spolia 5
opima Iovi Feretrio in Capitolio consecravit. [Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veientes,] Sabini [etiam] ob raptas bellum adversus Romanos sumserunt. Et quum Romae appropinqua- 6
rent, Tarpeiam virginem nacti, quae aquae, caussa sacrorum, hauriendae descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit, quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos et armillas. Quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius scutis eam obrui praecepit; nam et ea in laevis habuerant. Romulus adversus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat, pro- 7
cessit; et in eo loco, ubi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit: ibi Hostus Hostilius fortissime dimicans cecidit; cuius interitu consternati Romani fugere coeperunt. Tunc Romu- 8
lus Iovi Statori aedem vovit, et exercitus seu forte seu divinitus restitit. Tunc raptae in medium processerunt; et hinc patres, 9
inde coniuges deprecatae, pacem conciliarunt. Romulus foedus 10
percussit, et Sabinos in urbem recepit; populum a Curibus, oppido Sabinorum, Quirites vocavit. Centum Senatores a pie- 11
tate Patres appellavit. Tres equitum centurias instituit, quas a suo nomine Ramnenses, a Tito Tatio Tatienses, a Lucumone Luceres appellavit. Plebem in triginta curias distribuit, easque 12
raptarum nominibus appellavit. Quum ad Caprae paludem exercitum lustraret, nusquam comparuit: unde inter Patres et populum seditione orta, Iulius Proculus, vir nobilis, in concionem processit, et iureiurando firmavit, Romulum a se in colle Quirinali visum augustiore forma, quum ad Deos abiret; eundemque praecipere, ut seditionibus abstinerent, virtutem colerent; futurum, ut omnium gentium domini exsisterent. Huius 14
auctoritati creditum est. Aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus et Quirinus est appellatus.

## CAPUT III.

### NUMA POMPILIUS, ROMANORUM REX II.

Post consecrationem Romuli, quum diu interregnum esset et seditiones orirentur, Numa Pompilius, Pomponis filius, Curibus, oppido Sabinorum, accitus, quum addicentibus avibus Romam venisset, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit. Aedem Vestae fecit; virgines Vestales legit; Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem; Salios, Martis sacerdotes, quorum primus Praesul vocatur, XII institui-

Pontificem maximum creavit; portas Iano gemino aedificavit. Annum in XII menses distribuit, additis Ianuario et Februario. Leges quoque plures et utiles tulit: omnia, quae gerebat, iussa Egeriae Nymphae, uxoris suae, se facere simulans. Ob hanc tantam iustitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata: qui libri, quia leves quasdam sacrorum caussas continebant, ex auctoritate Patrum cremati sunt.

## CAPUT IV.

### TULLUS HOSTILIUS, ROMANORUM REX III.

Tullus Hostilius, quia bonam operam adversum Sabinos navaverat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certamine finivit. Albam propter perfidiam ducis Metii Fufetii diruit: Albanos Romam transire iussit. Curiam Hostiliam constituit: Montem Coelium urbi addidit. Et dum Numam Pompilium sacrificiis imitatus Iovi Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagravit. Quum inter Romanos et Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio et Fufetio, placuit rem paucorum certatione finire. Erant apud Romanos trigemini Horatii, tres apud Albanos Curiatii: quibus, foedere icto, concurrentibus, statim duo Romanorum cecidere runt, tres Albanorum vulnerati. Unus Horatius, quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit, et singulos per intervalla, ut vulnerum erat dolor, insequentes, interfecit. Et quum spoliis onustus rediret, sororem obviam habuit; quae, viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere coepit. Frater eam occidit. Qua re apud Duumviros condemnatus, ad populum provocavit: ubi patris lacrimis condonatus, ab eo, expiandi gratia, sub tigillum missus; quod nunc oque, viae suppositum, Sororium appellatur. Metius Fufetius, dux Albanorum, quum se invidiosum apud cives videret, quod bellum solo trigeminorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes et Fidenates adversum Romanos incitavit. Ipse ab Tullo in auxilium arcessitus, aciem in collem subduxit, ut fortunam sequeretur. Qua re Tullus intellecta magna voce ait, suo illud iussu Metium facere. Qua re hostes territi et victi sunt. Postera die Metius quum ad gratulandum Tullo venisset, iussu ipsius quadrigis religatus et in diversa distractus est.

## CAPUT V.

### ANCUS MARCIUS, ROMANORUM REX IV.

Ancus Marcius, Numae Pompilii ex filia nepos, aequitate et religione avo similis, Latinos bello domuit. Aventinum et Ianiculum montes Urbi addidit: nova moenia oppido circumdedit. Silvas ad usum navium publicavit. Salinarum vectigal instituit. Carcerem primus aedificavit. Ostiam, coloniam maritimis commeatibus opportunam in ostio Tiberis, deduxit. Ius fetiale,

quo legati ad res repetundas uterentur, ab Aequiculis transtulit; quod primus fertur Rhesus excogitasse. His rebus intra paucos dies confectis, immatura morte praereptus, non potuit praestare, qualem promiserat, regem.

## CAPUT VI.

### L. TARQUINIUS PRISCUS, ROMANORUM REX V.

Lucius Tarquinius Priscus, Damarati Corinthii filius, eius, qui Cypseli tyrannidem fugiens, in Etruriam commigravit. Ipse Lucumo dictus, urbe Tarquiniis profectus Romam petiit. Advenienti aquila pileum sustulit, et, quum alte subvolasset, reposuit. Tanaquil coniux, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia et industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus est: a quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, et ita administravit, quasi iure adeptus fuisset. Centum Patres in curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicavit: nomina mutare non potuit, Attii Navii auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis suae novacula et cote firmavit. Latinos bello domuit. Circum maximum aedificavit. Ludos magnos instituit. De Sabinis et priscis Latinis triumphavit. Murum lapideum Urbi circumdedit. Filium XIII annorum, quod in proelio hostem percussisset, praetexta bullaque donavit; unde haec ingenuorum puerorum insignia esse coeperunt. Post ab Anci liberis, immissis percussoribus, per dolum regno exutus et interfectus est.

## CAPUT VII.

### SERVIUS TULLIUS, ROMANORUM REX VI.

Servius Tullius, Tullii Corniculani et Ocresiae captivae filius, quum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flammae species caput eius amplexa est. Hoc visu Tanaquil summam dignitatem portendi intellexit. Coniugi suasit, ut ita eum, ut liberos suos, educaret. Qui quum adolevisset, gener a Tarquinio adsumtus est: et quum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore [loco] ad populum despiciens, ait, Priscum gravi quidem, sed non letali, vulnere accepto, petere, ut interim, dum convalescit, Servio Tullio dicto audientes essent. Servius Tullius quasi precario regnare coepit; sed recte imperium administravit. Etruscos saepe domuit: collem Quirinalem et Viminalem et Esquilias Urbi addidit; aggerem fossasque fecit. Populum in quatuor tribus distribuit, ac post plebi distribuit annonam. Mensuras, ponderа, classes, centuriasque constituit. Latinorum populis persuasit, uti exemplo eorum, qui Dianae Ephesiae aedem fecissent, et ipsi aedem Dianae in Aventino aedificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino mirae magnitudinis nata, et responsum somnio datum, eum populum summam imperii habiturum, cuius civis bovem illam Dianae immolasset. Latinus bovem in Aven-

12tinum egit, et caussam sacerdoti Romano exposuit. Ille calli-
13dus dixit, prius eum vivo flumine manus abluere debere. La-
14tinus dum ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita
imperium civibus, sibi gloriam facto consilioque quaesivit.
15Servius Tullius, filiam alteram ferocem, mitem alteram habens,
quum Tarquinii filios pari animo videret, ut omnium mentes
morum diversitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in ma-
16trimonium dedit. Sed mites seu forte seu fraude perierunt;
17feroces morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Super-
bus, a Tullia incitatus, advocato Senatu, regnum paternum re-
18petere coepit. Qua re audita, Servius, dum ad curiam prope-
rat, iussu Tarquinii gradibus deiectus et, domum refugiens,
19interfectus est. Tullia statim in forum properavit, et prima
coniugem regem salutavit: a quo iussa turba decedere, quum
domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem super
ipsum corpus carpentum agere praecepit: unde vicus ille Scele-
ratus dictus. Postea Tullia cum coniuge in exsilium acta est.

## CAPUT VIII.

### TARQUINIUS SUPERBUS, ROMANORUM REX VII.

Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Ser-
2 vio Tullio, regnum sceleste occupavit. Tamen bello strenuus,
Latinos Sabinosque domuit; Suessam Pometiam Volscis eripuit;
Gabios per Sextum filium, simulato transfugio, in potestatem
3 redegit; et ferias Latinas primus instituit. Foros in Circo, et
cloacam maximam fecit, ubi totius populi viribus usus est:
4 unde illae fossae Quiritium sunt dictae. Quum Capitolium in-
ciperet, caput hominis invenit; unde cognitum est, eam urbem
5 capnt gentium futuram. Et quum in obsidione Ardeae filius eius
Lucretiae stuprum intulisset, cum eo in exsilium actus, ad Por-
senam, Etruriae regem, confugit, cuius ope regnum retinere
6 tentavit. Pulsus, Cumas concessit; ubi per summam ignomini-
am reliquum vitae tempus exegit.

## CAPUT IX.

### L. TARQUINIUS COLLATINUS ET LUCRETIA UXOR.

Tarquinius Collatinus, sorore Tarquini Superbi genitus, in
contubernio iuvenum regiorum Ardeae erat: ubi quum forte in
liberiore convivio coniugem suam unusquisque laudaret, placuit
2 experiri. Itaque equis Romam petunt. Regias nuras in convi-
vio et luxu deprehendunt. Exinde Collatiam petunt. Lucretiam
inter ancillas in lanificio offendunt: itaque ea pudicissima iudi-
3 catur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Colla-
tiam rediit, et iure propinquitatis in domum Collatini venit,
4 et in cubiculum Lucretiae irrupit, pudicitiam expugnavit. Illa
postero die, advocatis patre et coniuge, rem exposuit; et se
5 cultro, quem veste texerat, occidit. Illi in exitium regum
*coniurarunt*, eorumque exsilio necem Lucretiae vindicaverunt.

## CAPUT X.

### IUNIUS BRUTUS, PRIMUS ROMANORUM CONSUL.

Lucius Iunius Brutus, sorore Tarquinii Superbi genitus, quum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divitias et prudentiam fuerat ab avunculo occisus, stultitiam finxit; unde Brutus dictus. Iuvenibus regiis Delphos euntibus 2
deridiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum Deo donum tulit. Ubi responsum est, eum Romae sum- 3
mam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiae stuprum 4
cum Tricipitino et Collatino in exitium regum coniuravit. Qui- 5
bus in exsilium actis, primus Consul creatus, filios suos, quod cum Aquiliis et Vitelliis ad recipiendum in Urbem Tarquinios coniuraverant, virgis caesos securi percussit. Deinde in proe- 6
lio, quod adversus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte, filio Tarquinii, congressus, se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Cuius corpus in foro positum, a collega laudatum matronae anno luxerunt.

## CAPUT XI.

### HORATIUS COCLES.

Porsena, rex Etruscorum, quum Tarquinios in Urbem restituere tentaret, et primo impetu Ianiculum cepisset, Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio proelio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit, et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit, et armatus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publice 2
datum est, quantum uno die circumarari potuisset. Statua quoque ei in Vulcanali posita.

## CAPUT XII.

### C. MUCIUS SCAEVOLA.

Quum Porsena rex Urbem obsideret, Mucius Cordus, vir Romanae constantiae, Senatum adiit, et veniam transfugiendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsenae 2
venit, ibique purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehen- 3
sus et ad regem pertractus, dextram aris imposuit; hoc supplicii ab ea exigens, quod in caede pecasset. Unde quum miseri- 4
cordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens, ait, trecentos adversus eum similes coniurasse. Qua re ille territus, 5
bellum, acceptis obsidibus, deposuit. Mucio prata trans Tibe- 6
rim data, ab eo Mucia appellata. Statua quoque ei honoris 7
gratia constituta est.

## CAPUT XIII.

### CLOELIA VIRGO.

Porsena Cloeliam virginem nobilem inter obsides accepit: quae, deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum,

quem fors dederat, arripuit, et Tiberim traiecit. A Porsena per legatos repetita, reddita est. Cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset, in patriam redire permisit. Illa virgines puerosque elegit, quorum aetatem iniuriae obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

## CAPUT XIV.

### FABII TRECENTI SEX.

Romani quum adversum Veientes bellarent, eos sibi hostes familia Fabiorum privato nomine deposcit: et profecti trecenti sex, duce Fabio Consule, fuerunt. Quum saepe victores extitissent, apud Cremeram fluvium castra posuerunt. Veientes, ad dolos conversi, pecora ex diverso in conspectu illorum protulerunt: ad quae progressi Fabii, in insidias delapsi, ad unum occisione perierunt. Dies, quo id factum est, inter nefastos relatus. Porta, qua profecti erant, Scelerata est appellata. Unus ex ea gente, propter impuberem aetatem domi relictus, genus propagavit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, Cunctator ab obtrectatoribus dictus.

## CAPUT XV.

### P. VALERIUS POPLICOLA.

Publius Valerius, Volesi filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de utrisque gentibus triumphavit. Hic, quia in locum Tricipitini collegae Consulem non subrogaverat, et domum in Velia, tutissimo loco, habebat, in suspicionem regni adfectati venit. Quo cognito, apud populum questus, quod de se tale aliquid timuissent, immisit, qui domum suam dirurent. Secures etiam fascibus demsit, eosque in populi concione submisit. Legem de provocatione a magistratibus ad populum tulit. Hinc Poplicola dictus. Quum diem obiisset, publice sepultus et annuo matronarum luctu honoratus est.

## CAPUT XVI.

### A. POSTUMIUS.

Tarquinius eiectus, ad Mamilium Tusculanum generum suum confugit: qui quum Latio concitato Romanos graviter urgeret, A. Postumius, Dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit. Ubi quum victoria nutaret, Magister equitum equis frenos detrahi iussit, ut irrevocabili impetu ferrentur: ubi et aciem Latinorum fuderunt, et castra ceperunt. Sed inter eos duo iuvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos Dictator quaesitos, ut dignis muneribus honoraret, non reperit: Castorem et Pollucem ratus, communi titulo dedicavit.

## CAPUT XVII.

### L. QUINCTIUS CINCINNATUS.

Lucius Quinctius Cincinnatus filium Caesonem petulantissimum *abdicavit*, qui ob a Censoribus notatus, ad Volscos et Sabinos

confugit, qui duce Cloelio Graccho bellum adversus Romanos gerebant, et Q. Minucium Consulem in Algido monte cum exercitu obsidebant. Quinctius Dictator dictus; ad quem missi legati nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt: qui, insignibus sumtis, Consulem obsidione liberavit. Quare a Minucio 2
et eius exercitu corona aurea et obsidionali donatus est. Vicit 3
hostes; ducem eorum in deditionem accepit, et triumphi die ante currum egit. Sextodecimo die dictaturam, quam accepe- 4
rat, deposuit, et ad agriculturam reversus est. Iterum post vi- 5
ginti annos Dictator dictus, Spurium Maelium, regnum affectantem, a Servilio Ahala, Magistro equitum, occidi iussit: domum eius solo aequavit: unde locus ille Aequimelium dictus.

## CAPUT XVIII.

### MENENIUS AGRIPPA LANATUS.

Menenius Agrippa, cognomento Lanatus, dux electus adversum Sabinos, de his triumphavit. Et quum populus a Patribus se- 2
cessisset, quod tributum et militiam toleraret, nec revocari posset; Agrippa apud eum, *Olim*, inquit, *humani artus, quum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt, et suum illi ministerium negaverunt. Quum eo pacto et ipsi deficerent, intel-* 3
*lexerunt, ventrem acceptos cibos per omnia membra disserere, et cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus et populus, quasi* 4
*unum corpus, discordia pereunt, concordia valent.* Hac fabula 5
populus regressus est. Creavit tamen Tribunos plebis, qui libertatem suam adversum nobilitatis superbiam defenderent. Me- 6
nenius autem tanta paupertate decessit, ut eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulcro Senatus publice daret.

## CAPUT XIX.

### C. MARCIUS CORIOLANUS.

Caius Marcius, captis Coriolis, urbe Volscorum, Coriolanus dictus, ob egregia militiae facinora a Postumio optionem munerum accipiens, equum tantum et hospitem sumsit, virtutis et pietatis exemplum. Hic Consul gravi annona advectum e Sicilia 2
frumentum magno pretio dandum populo curavit; ut hac iniuria plebs agros, non seditiones, coleret. Ergo a Tribuno plebis De- 3
cio die dicta, ad Volscos concessit; eosque duce Attio Tullo adversus Romanos concitavit, et ad quartum ab Urbe lapidem castra posuit. Quumque nullis civium legationibus flecteretur, 4
a Veturia matre et Volumnia uxore, matronarum numero comitata, motus, omisso bello, ut proditor occisus est. Ibi tem- 5
plum Fortunae muliebri constitutum est.

## CAPUT XX.

### C. LICINIUS STOLO.

Fabius Ambustus ex duabus filiis alteram Licinio Stoloni plebeio, alteram Aulo Sulpicio patricio coniugem dedit. Quarum

plebeia quum sororem salutaret, cuius vir Tribunus militaris consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos inde-
2 center expavit. A sorore irrisa, marito quaesta est: qui, adiuvante socero, ut primum tribunatum plebis adgressus est, legem tulit, ut alter Consul ex plebe crearetur. Lex, resistente Appio Claudio, lata tamen; et primus Licinius Stolo Consul
3 factus. Idem legem scivit, ne cui plebeio plus centum iugera
4 agri habere liceret. Et ipse quum iugera quinquaginta centum haberet, et altera emancipati filii nomine possideret, in iudicium vocatus et primus omnium sua lege punitus est.

## CAPUT XXI.

### L. VIRGINIUS CENTURIO.

Populus Romanus quum seditiosos magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, qui eas, ex libris
2 Solonis translatas, duodecim tabulis exposuerunt. Sed quum pacto dominationis magistratum sibi prorogarent, unus ex his Appius Claudius Virginiam, Virginii Centurionis filiam, in Algido militantis, adamavit. Quam quum corrumpere non posset, clientem subornavit, qui eam in servitium deposceret; facile
3 victurus, quum ipse esset accusator et iudex. Pater, re cognita, quum ipso die iudicii supervenisset et filiam iam addictam videret, ultimo eius alloquio impetrato, quum eam in secretum abduxisset, occidit; et corpus eius humero gerens ad exercitum profugit, et milites ad vindicandum facinus accendit: qui, creatis decem Tribunis, Aventinum occuparunt, Decemviros abdicare se magistratu praeceperunt, eosque omnes aut morte aut
4 exsilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

## CAPUT XXII.

### AESCULAPIUS ROMAM ADVECTUS.

Romani ob pestilentiam, responso monente, ad Aesculapium Epidauro arcessendum decem legatos, principe Q. Ogulnio, mi-
2 serunt. Qui quum eo venissent, et simulacrum ingens mirarentur, anguis e scdibus eius elapsus, venerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Roma-
3 nam perrexit, et se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. Legati, Deum vehentes, Antium provecti sunt; ubi per malaciam maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit, et post paucos dies ad navem rediit: et quum adverso Tiberi subveheretur, in proximam insulam desiluit; ubi templum ei constitutum, et pestilentia mira celeritate sedata est.

## CAPUT XXIII.

### M. FURIUS CAMILLUS.

Furius Camillus quum Faliscos obsideret, ac ludi litterarii *magister principum* filios ad eum adduxisset, vinctum eum iis-

dem pueris in urbem redigendum et verberandum tradidit. Statim Falisci se ei ob tantam iustitiam dediderunt. Veios [decenni] obsidione et hieme domuit, deque his triumphavit. Postmodum est crimini datum, quod albis equis triumphasset et praedam inique divisisset: die dicta ab L. Appuleio, Tribuno plebis, damnatus Ardeam concessit. Mox quum Galli Senones, relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium, Italiae oppidum, obsiderent, missi sunt Roma tres Fabii, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent. Ex his unus contra ius gentium in aciem processit, et ducem Senonem interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt, et exercitum Romanum apud Alliam fluvium ceciderunt, die XVI. Kalend. Augusti; qui dies inter nefastos relatus, Alliensis dictus. Victores Galli Urbem intraverunt, ubi nobilissimos senum in curulibus et honorum insignibus, primo ut Deos venerati, deinde ut homines despicati, interfecere. Reliqua iuventus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obsessa Camilli virtute est servata. Qui absens Dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos improvisus internecione occidit. Populum Romanum migrare Veios volentem retinuit. Sic et oppidum civibus, et cives oppido reddidit.

2 3 4 5 6 7 8 9 10 11

## CAPUT XXIV.

### M. MANLIUS CAPITOLINUS.

Manlius, ob defensum Capitolium Capitolinus dictus, sedecim annorum voluntarium militem se obtulit. Triginta septem militaribus donis a suis ducibus ornatus, viginti tres cicatrices in pectore habuit. Capta Urbe, auctor in Capitolium confugiendi fuit. Quadam nocte, clangore anseris excitus, Gallos adscendentes deiecit. Patronus a civibus appellatus et farre donatus est. Domum etiam in Capitolio publice accepit. Qua superbia elatus, quum Senatum suppressisse Gallicos thesauros argueret, et addictos propria pecunia liberaret, regni adfectati suspicione in carcerem coniectus, populi consensu liberatus est. Rursus quum in eadem culpa et gravius perseveraret, reus factus, et ob conspectum Capitolii ampliatus est. Alio deinde loco damnatus et de saxo Tarpeio praecipitatus est: domus diruta; bona publicata. Gentilitas eius Manlii cognomen eiuravit.

2 3 4 5 6 7 8

## CAPUT XXV.

### A. CORNELIUS COSSUS.

Fidenates, [fidei] Romanorum hostes, ut sine spe veniae fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt: ad quos Quinctius Cincinnatus Dictator missus magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit. De eo spolia opima Iovi Feretrio secundus ab Romulo consecravit.

2

## CAPUT XXVI.

### P. DECIUS MUS, PATER.

Publius Decius Mus bello Samnitico sub Valerio Maximo et Cornelio Cosso Consulibus Tribunus militum, exercitu in angustiis Gauri montis insidiis hostium clauso, accepto, quod postulaverat, praesidio, in superiorem locum evasit; hostes terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis evasit. Ob hoc ab exercitu civica corona [de quercu, quae dabatur ei, qui cives in bello servasset, obsidionali, quae dabatur ei, qui obsidione cives liberasset] donatus est. Consul bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluvium castris, quum utrique Consuli somnio obvenisset, eos victores futuros, quorum dux in proelio cecidisset; tum, collato cum collega somnio, quum convenisset, ut, cuius cornu in acie laboraret, Diis se Manibus voveret, inclinante sua parte, se et hostes per Valerium Pontificem Diis Manibus devovit. Impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit.

## CAPUT XXVII.

### P. DECIUS, FILIUS.

Publius Decius, Decii filius, primo Consul de Samnitibus triumphavit; spolia ex his Cereri consecravit. Iterum et tertio Consul, multa domi militiaeque gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, quum Galli, Samnites, Umbri, Tusci contra Romanos conspirassent; ibi exercitu in aciem ducto, et cornu inclinante, exemplum patris imitatus, advocato Marco Livio Pontifice, hastae insistens et solemnia verba respondens, se et hostes Diis Manibus devovit. Impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit. Corpus a collega laudatum, magnifice sepultum est.

## CAPUT XXVIII.

### T. MANLIUS TORQUATUS.

Titus Manlius Torquatus, ob ingenii et linguae tarditatem a patre rus relegatus, quum audisset, ei diem dictam a Pomponio Tribuno plebis, nocte Urbem petiit. Secretum colloquium a Tribuno impetravit, et gladio stricto dimittere eum accusationem terrore multo compulit. Sulpitio Dictatore Tribunus militum Gallum provocatorem occidit. Torquem ei detractum cervici suae induit. Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Veserim fluvium, Decii collegae devotione, superavit. Consulatum recusavit, quod diceret, neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre.

## CAPUT XXIX.

### M. VALERIUS CORVINUS.

Reliquias Senonum Camillus persequebatur. Adversum ingentem *Gallum* provocatorem solus Valerius, Tribunus militum,

omnibus territis, processit. Corvus ab ortu solis galeae eius 2
insedit, et inter pugnandum ora oculosque Galli verberavit.
Hoste devicto, Valerius Corvinus dictus. Hinc, quum ingens 3
multitudo, aere alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, et
ducem sibi Quinctium necessitate compulsum fecisset, sublato
aere alieno, seditionem compressit.

## CAPUT XXX.

### SP. POSTUMIUS.

Caius Veturius et Spurius Postumius Consules, bellum adver- 1
sum Samnites gerentes, a Pontio Telesino, duce hostium, in in-
sidias seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui 2
Romanis dicerent, Luceriam Appulam a Samnitibus obsideri;
quo duo itinera ducebant, aliud longius et tutius, aliud brevius
et periculosius. Festinantibus itaque quum insidias statuisset, 3
(qui locus Furculae Caudinae vocabatur) Pontius accitum patrem
Herennium rogavit, quid fieri placeret. Ille ait, aut omnes oc- 4
cidendos, ut vires frangerentur; aut omnes dimittendos, ut be-
neficio obligarentur. Utroque improbato consilio, omnes sub
iugum misit ex foedere, quod a Romanis postea improbatum
est. Postumius Samnitibus deditus, nec receptus est. 5

## CAPUT XXXI.

### L. PAPIRIUS CURSOR.

Lucius Papirius, a velocitate Cursor, quum Consulem se ad- 1
versis ominibus adversum Samnitas progressum esse sensisset,
ad auspicia repetenda Romam regressus, edixit Fabio Rutilio,
quem exercitui imponebat, ne manum cum hoste consereret.
Sed ille, opportunitate ductus, pugnavit. Reversus securi eum 2
ferire voluit: ille in Urbem confugit; nec supplicem Tribuni
tuebantur. Dein pater lacrymis, populus precibus veniam im- 3
petrarunt. Papirius de Samnitibus triumphavit. Idem quum 4
Praenestinum Praetorem gravissime increpuisset, *Expedi*, inquit, 5
*lictor secures*. Et quum eum metu mortis attonitum vidisset; 6
incommodam ambulantibus radicem excidi iussit.

## CAPUT XXXII.

### Q. FABIUS RUTILIUS.

Quinctus Fabius Rutilius, primus ex ea familia ob virtutem
Maximus, Magister equitum a Papirio securi paene percussus,
primum de Appulis et Nucerinis, iterum de Samnitibus, tertio
de Gallis, Umbris, Marsis atque Tuscis triumphavit. Censor 2
libertinos tribubus amovit. Iterum Censor fieri noluit, dicens,
non esse ex usu Reipublicae, eosdem Censores saepius fieri. Hic 3
primus instituit, uti equites Romani Idibus Quinctilibus ab aede
Honoris, equis insidentes, in Capitolium transirent. Mortuo 4
hoc tantum aeris populi liberalitate congestum est, ut inde fili-
us visceratione et epulas publice daret.

## CAPUT XXXIII.

### M'. CURIUS DENTATUS.

Manius Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit,
2 quos usque ad mare superum perpacavit. Regressus, in concione ait: *Tantum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem; tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuissent, nisi tantum agri cepissem.* Iterum de Sabinis tri-
4 umphavit. Tertio de Lucanis ovans Urbem introivit. Pyrrhum
5 Epirotam Italia expulit. Quaterna dena agri iugera viritim po-
6 pulo divisit. Sibi deinde totidem constituit, dicens, neminem
7 esse debere, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapas torreret, *Malo*, inquit, *haec in fictilibus meis esse, et aurum habentibus imperare.*
8 Quum interversae pecuniae arguerctur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, iuravitque, se nihil amplius de praeda hostili in domum suam convertisse.
9 Aquam Anienem de manubiis hostium in Urbem induxit. Tri-
10 obunus plebis Patres auctores fieri coëgit comitiis, quibus plebeius magistratus creabatur. Ob haec merita domus ei apud Tiphatam et agri iugera quinquaginta publice data.

## CAPUT XXXIV.

### APPIUS CLAUDIUS CAECUS.

Appius Claudius Caecus in censura libertinos quoque in Senatum legit. Epulandi decantandique ius tibicinibus in publico
2 ademit. Duae familiae ad Herculis sacra sunt destinatae, Poti-
3 tiorum et Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra Herculea servos publicos edocerent: unde cae-
4 catus est: gens Potitiorum funditus periit. Ne consulatus cum
5 plebeiis communicaretur, acerrime restitit. Ne Fabius solus ad bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnitas, Etruscos
6 bello domuit. Viam usque Brundisium lapidibus stravit; unde
7 illa Appia dicta. [Aquam Anienem in Urbem induxit.] Censu-
8 ram solus omni quinquennio obtinuit. Quum de pace Pyrrhi
9 ageretur, et gratia potentum per legatum Cineam pretio quaereretur, senex et caecus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.

## CAPUT XXXV.

### PYRRHUS, REX EPIROTARUM.

Pyrrhus, rex Epirotarum, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, quum imperium orbis agitaret, et Roma-
2 nos potentes videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambigue respondit:

*Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

3 Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinis bellum Romanis intulit. Laevinum Consulem apud Heracleam elephantorum

novitate turbavit. Quumque Romanos adversis vulneribus occi- 4
os videret, *Ego*, inquit, *talibus militibus brevi orbem terrarum*
*ubigere potuissem.* Amicis gratulantibus, *Quid mihi cum tali*
*victoria*, inquit, *ubi exercitus robur amittam?* Ad vicesimum 6
ab Urbe lapidem castra posuit: captivos Fabricio gratis reddi-
dit. Viso Laevini exercitu, eandem sibi, ait, adversus Roma- 7
nos, quam Herculi adversus hydram, fuisse fortunam. A Curio 8
et Fabricio superatus, Tarentum refugit; in Siciliam traiecit.
Mox in Italiam Locros regressus, pecuniam Proserpinae avehere 9
tentavit. Sed ea naufragio relata est. Tum in Graeciam regres- 10
sus, quum Argos oppugnaret, ictu tegulae prostratus est. Cor- 11
pus ad Antigonum, regem Macedoniae, relatum magnifice
sepultum. [Pyrrhus quum secundo proelio a Romanis esset pul- 12
sus Tarentum, interiecto anno contra Pyrrhum Fabricius mis-
sus est, qui prius inter legatos sollicitari non poterat, quarta
regni parte promissa. Quum vicina castra ipse et rex haberent, 13
medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens, se Pyrrhum
veneno occisurum, si sibi quidquam pollicitaretur: quem Fabri-
cius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quae
contra caput eius medicus spopondisset. Tum rex, admiratus 14
eum, dixisse fertur: *ille est Fabricius, qui difficilius ab hone-*
*state, quam sol a suo cursu averti posset.*]

## CAPUT XXXVI.

### DECIUS MUS.

Volsinii, Etruriae nobile oppidum, luxuria paene perierunt. Nam quum temere servos manumitterent, dein in curiam legerent, consensu eorum oppressi. Quum multa indigna paterentur, clam Romae auxilium petierunt. Missusque Decius Mus mox libertinos omnes aut in carcere necavit, aut dominis in servitutem restituit. 2 3

## CAPUT XXXVII.

### APPIUS CLAUDIUS CAUDEX.

Appius Claudius, [victis Volsiniensibus] cognomento Caudex dictus, frater Caeci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus est, quorum arcem Carthaginienses et Hiero, rex Syracusanus, obsidebant. Primo ad explorandos hostes fretum piscatoria nave traiecit, et cum duce Carthaginiensium egit, ut praesidium arce deduceret. Rhegium regressus, quinqueremem hostium copiis pedestribus cepit: ea legionem in Siciliam traduxit. Carthaginienses Messana expulit. Hieronem proelio apud Syracusas in deditionem accepit; qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petiit, iisque postea fidelissimus fuit. 2 3 4 5

## CAPUT XXXVIII.

### C. DUILIUS.

Caius Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, quum videret eos multum mari posse, classem magis

validam, quam decoram, fabricavit; et [quas corvos vocavere] manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naves apprehendit, qui victi et capti sunt.
2 Hannibal, dux classis, Carthaginem fugit, et a senatu quaesi-
3 vit, quid faciendum censerent. Omnibus, ut pugnaret, acclamantibus, *Feci*, inquit, *et victus sum:* sic poenam crucis effugit. Nam apud Poenos dux, male re gesta, puniebatur. Duilio concessum est, ut praelucente funali et praecinente tibicine a coena publice rediret.

## CAPUT XXXIX.

### A. ATILIUS CALATINUS.

Atilius Calatinus, dux adversus Carthaginienses missus, maximis et munitissimis civitatibus, Enna, Drepano, Lilybaeo,
2 hostilia praesidia deiecit. Panormum cepit. Totam Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem, duce Ha-
3 milcare, superavit. Sed quum ad Camerinam, ab hostibus obsessam, festinaret, a Poenis in angustiis clausus est, ubi Tribunus militum Calpurnius Flamma, acceptis trecentis sociis, in superiorem locum evasit, Consulem liberavit: ipse cum trecentis pugnans cecidit. Postea ab Atilio semianimis inventus
4 et sanatus, magno postea terrori hostibus fuit. Atilius gloriose triumphavit.

## CAPUT XL.

### M. ATILIUS REGULUS.

Marcus Atilius Regulus Consul, fusis Sallentinis, triumphavit; primusque Romanorum ducum in Africam classem traiecit. Ea quassatas de Hamilcare naves longas tres et sexaginta accepit,
2 Oppida ducenta et hominum ducenta millia cepit. Absente eo, coniugi eius et liberis ob paupertatem sumtus publice dati.
3 Mox arte Xanthippi Lacedaemonii, mercenarii militis, captus,
4 in carcerem missus. Legatus de permutandis captivis Romam missus, dato iureiurando, ut, si non impetrasset, ita demum rediret; in Senatu conditionem dissuasit, reiectisque a se coniuge et liberis, Carthaginem regressus; ubi, in arcam ligneam coniectus, clavis introrsum adactis, vigiliis ac dolore punitus est.

## CAPUT XLI.

### C. LUTATIUS CATULUS.

Caius Lutatius Catulus primo Punico bello, trecentis navibus adversum Poenos profectus, sexcentas eorum naves, commeatibus et aliis oneribus impeditas, duce Hamilcare, apud Aegates insulas inter Siciliam et Africam depressit aut cepit, finemque
2 bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, Sicilia, Sardinia, et ceteris insulis intra Italiam Africamque *decederent*; Hispania citra Hiberum abstinerent.

## CAPUT XLII.

### HANNIBAL, CARTHAGINIENSIS DUX.

Hannibal, Hamilcaris filius, novem annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne iuravit. Exinde socius et miles in castris patri fuit. Mortuo eo, caussam belli quae- 2
rens, Saguntum Romanis foederatum intra sex menses evertit. Tum, Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem 3
apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium 4
apud Trasimenum, Paullum et Varronem apud Cannas superavit. Quumque Urbem capere posset, in Campaniam devertit, 5
cuius deliciis elanguit. Et quum ad tertium ab Urbe lapidem 6
castra posuisset, tempestatibus repulsus, primum a Fabio Maximo frustratus, deinde a Valerio Flacco repulsus, a Graccho et Marcello fugatus, in Africam revocatus, a Scipione superatus, ad Antiochum, regem Syriae, confugit, eumque hostem Romanis fecit. Quo victo, ad Prusiam, Bithyniae regem, concessit. Unde Romana legatione [per Titum Flaminium] repetitus, [ne Romanis traderetur] hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno, absumtus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodieque inscriptum est: *Hannibal hic situs est.*

## CAPUT XLIII.

### Q. FABIUS MAXIMUS.

Quinctus Fabius Maximus Cunctator, ut Verrucosus a verruca in labris, ita Ovicula a clementia morum, Consul de Liguribus triumphavit. Hannibalem mora fregit. Minucium Magistrum 2
equitum imperio sibi aequari passus est: nihilo minus periclitanti subvenit. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Marium 3
Statilium, transfugere ad hostes volentem, equo et armis donatis retinuit; et Lucano cuidam fortissimo, ob amorem mulieris infrequenti, eandem emtam dono dedit. Tarentum ab hostibus 4
recepit: Herculis signum inde translatum in Capitolio dedicavit. De redemtione captivorum cum hostibus pepigit: quod pactum 5
quum a Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, et fidei satisfecit. 6

## CAPUT XLIV.

### P. SCIPIO NASICA.

Publius Scipio Nasica, a Senatu vir optimus iudicatus, Matrem Deum hospitio recepit. Is quum adversum auspicia Con- 2
sulem se a Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem in 3
foro ponebat, sustulit. Consul Delminium, urbem Dalmatarum, 4
expugnavit. Imperatoris nomen a militibus, et ab Senatu tri- 5
umphum oblatum recusavit. Eloquentia primus, iuris scientia 6
consultissimus, ingenio sapientissimus; unde vulgo Corculum dictus.

## CAPUT XLV.

### M. CLAUDIUS MARCELLUS.

Marcus Marcellus Viridomarum, Gallorum ducem, singulari
2 proelio fudit. [Spolia opima Iovi Feretrio tertius a Romulo
3 consecravit. Primus docuit, quomodo milites cederent, nec
4 terga praeberent.] Hannibalem apud Nolam, locorum angustia
5 adiutus, vinci docuit. Syracusas per tres annos expugnavit.
6 Et quum per calumniam triumphus ei a Senatu negaretur, de
7 sua sententia in Albano monte triumphavit. Quinquies Consul,
insidiis Hannibalis deceptus occubuit, et magnifice sepultus.
8 Ossa Romam remissa a praedonibus intercepta perierunt.

## CAPUT XLVI.

### CLAUDIA, VIRGO VESTALIS.

Hannibale Italiam devastante, ex responso librorum Sibylli-
norum Mater Deum a Pessinunte arcessita, quum adverso Ti-
2 beri veheretur, repente in alto stetit. Et quum moveri nullis
viribus posset, ex libris cognitum, castissimae demum feminae
manu moveri posse. Tum Claudia, virgo Vestalis, falso incestu
suspecta, Deam oravit, ut, si pudicam sciret, sequeretur; et
zona imposita navem movit, simulacrum Matris Deum abduxit.
3 Templum aedificavit Nasica, qui vir optimus iudicabatur.

## CAPUT XLVII.

### M. PORCIUS CATO CENSORIUS.

Marcus Porcius Cato, genere Tusculanus, a Valerio Flacco
Romam sollicitatus, Tribunus militum in Sicilia, Quaestor sub
Scipione fortissimus, Praetor iustissimus fuit: in praetura Sar-
2 diniam subegit, ubi ab Ennio Graecis litteris institutus. Con-
sul Celtiberos domuit; et, ne rebellare possent, litteras ad
3 civitates singulas misit, ut muros diruerent. Quum unaquaeque
sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Tribunus
militum sub M'. Acilio Glabrione, occupatis Thermopylarum
4 iugis, praesidium hostium depulit. Censor L. Flaminium Con-
sularem Senatu movit, quod ille in Gallia, ad cuiusdam scorti
spectaculum, eductum quendam e carcere in convivio iugulari
5 iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis orna-
6 menta, erepta Oppia lege, repetentibus restitit. Accusator
7 assiduus malorum, Galbam octogenarius accusavit; ipse quadra-
8 gies quater accusatus, gloriose absolutus. Carthaginem delen-
9 dam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago huius
funeris gratia e curia produci solet.

## CAPUT XLVIII.

### C. CLAUDIUS NERO, ET HASDRUBAL, FRATER HANNIBALIS.

Hasdrubal, frater Hannibalis, ingentibus copiis in Italiam
*transiecit*; actumque erat de Romano imperio, si iungere se

Hannibali potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum 2
Hannibale castra coniunxerat, relicta in castris parte, cum de-
lectis ad Hasdrubalem properavit, et se Livio collegae apud
Senam oppidum et Metaurum flumen coniunxit: amboque Has-
drubalem vicerunt. Nero, regressus pari celeritate, qua vene- 3
rat, caput Hasdrubalis ante vallum Hannibalis proiecit. Quo 4
ille viso, vinci se Fortuna Carthaginis confessus. Ob haec Li-
vius triumphans, Nero ovans, Urbem introierunt.

## CAPUT XLIX.

### P. CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS.

Publius Scipio ex virtutibus nominatus Africanus, Iovis filius
creditus: nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris
eius apparuit; et ipsi parvulo draco circumfusus, nihil nocuit.
In Capitolium intempesta nocte euntem numquam canes latrave- 2
runt. Nec hic quidquam prius coepit, quam in cella Iovis diu- 3
tissime sedisset, quasi divinam mentem accepisset. Decem et 4
octo annorum, patrem apud Ticinum singulari virtute servavit.
Clade Cannensi nobilissimos iuvenes, Italiam deserere cupientes, 5
sua auctoritate compescuit. Reliquias incolumes per media ho- 6
stium castra Canusium perduxit. Viginti quatuor annorum, 7
Praetor in Hispaniam missus, Carthaginem, qua die venit, cepit.
Virginem pulcherrimam, ad cuius adspectum concurrebatur, ad 8
se vetuit adduci, patrique eius ac sponso restituit. Hasdruba- 9
lem Magonemque, fratres Hannibalis, Hispania expulit. Ami- 10
citiam cum Syphace, Maurorum rege, coniunxit. Masinissam 11
in societatem recepit. Victor domum regressus, Consul ante 12
annos factus, concedente collega, in Africam classem traiecit.
Hasdrubalis et Syphacis castra una nocte perrupit. Revocatum 13
ex Italia Hannibalem superavit. Victis Carthaginiensibus leges 14
imposuit. Bello Antiochi Legatus fratri fuit: captum filium gra- 15
tis recepit. A Petillio Ateio, Tribuno plebis, repetundarum 16
accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: *Hac die*, inquit, *Carthaginem vici: quare bonum factum, in Capitolium eamus et Diis supplicemus.* Inde in voluntarium exsilium 17
concessit, ubi reliquam egit aetatem. Moriens ab uxore petiit, 18
ne corpus suum Romam referretur.

## CAPUT L.

### M. LIVIUS SALINATOR.

Livius Salinator primo Consul de Illyriis triumphavit; deinde,
ex invidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia,
condemnatus. Iterum cum Claudio Nerone inimico suo Consul, 2
ne Respublica discordia male administraretur, amicitiam cum eo
iunxit, et de Hasdrubale triumphavit. Censor cum eodem col- 3
lega omnes tribus, excepta Metia, aerarias fecit, stipendio pri-
vavit, eo crimine, quod aut prius se iniuste condemnassent, aut
postea tantos honores non recte tribuissent.

## CAPUT LI.

### T. QUINTUS FLAMINIUS.

Quintus Flaminius, Flaminii, qui apud Trasimenum periit,
filius, Consul Macedoniam sortitus, ducibus Charopae principis
pastoribus, provinciam ingressus, regem Philippum proelio fu-
2 dit, castris exuit. Filium eius Demetrium obsidem accepit;
3 quem, pecunia mulctatum, in regnum restituit. A Nabide quo-
4 que Lacedaemonio filium obsidem accepit. Liberos etiam Grae-
5 cos Nemeae per praeconem pronuntiavit. Legatus etiam ad
Prusiam, ut Hannibalem repeteret, missus.

## CAPUT LII.

### M. FULVIUS NOBILIOR.

Marcus Fulvius Nobilior Consul Vettones Oretanosque supe-
2 ravit: unde ovans Urbem introiit. Consul Aetolos, qui bello
Macedonico interfuerant, post ad Antiochum defecerant, proe-
liis frequentibus victos, et in Ambraciam oppidum coactos, in
deditionem accepit; tamen signis tabulisque pictis spoliavit: de
3 quibus triumphavit. Quam victoriam, per se magnificam, Quin-
ctus Ennius, amicus eius, insigni laude celebravit.

## CAPUT LIII.

### L. SCIPIO ASIATICUS.

Scipio Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in
Africa virtutis nomine a fratre laudatus, Consul Antiochum,
regem Syriae, Legato fratre, apud Sipylum montem, quum
arcus hostium pluvia hebetati fuissent, vicit, et regni relicti a
2 patre parte privavit: hinc Asiaticus dictus. Post reus pecuniae
interceptae, ne in carcerem duceretur, Gracchus pater, Tribu-
3 nus plebis, intercessit. M. Cato Censor equum ei ignominiae
caussa ademit.

## CAPUT LIV.

### ANTIOCHUS, REX SYRIAE.

Antiochus, Syriae rex, nimia opum fiducia bellum Romanis
intulit, specie Lysimachiae repetundae, quam a maioribus suis
in Thracia conditam Romani possidebant: statimque Graeciam
2 insulasque eius occupavit. In Euboea luxuria elanguit. Adventu
Acilii Glabrionis excitus, Thermopylas occupavit: unde indu-
3 stria Marci Catonis eiectus, in Asiam refugit. Navali proelio,
cui Hannibalem praefecerat, a L. Aemilio Regillo superatus,
filium Scipionis Africani, quem inter navigandum ceperat, patri
remisit: qui ei, quasi pro reddenda gratia, suasit, ut amicitiam
4 Romanam peteret. Antiochus, spreto consilio, apud Sipylum
5 montem cum L. Scipione conflixit. Victus et ultra Taurum
montem relegatus, a sodalibus, quos temulentus in convivio
*pulsaverat*, occisus est.

## CAPUT LV.

### CN. MANLIUS VULSO.

Cnaeus Manlius Vulso [Consul] missus ad ordinandam Scipionis Asiatici provinciam, cupidine triumphi bellum Pisidis et Gallograecis, qui Antiocho adfuerant, intulit. His facile victis, inter 2
captivos uxor regis Ortiagontis centurioni cuidam in custodiam data: a quo vi stuprata, de iniuria tacuit; et post, impetrata redemtione, marito adulterum interficiendum tradidit.

## CAPUT LVI.

### L. AEMILIUS PAULLUS MACEDONICUS.

Lucius Paullus Aemilius, filius eius, qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum 2
publice posuit. Iterum Consul Persen, Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit; quem victum flevit et adsidere sibi iussit: tamen in triumphum duxit. In hac laetitia 3
duos filios amisit: et progressus ad populum, gratias Fortunae egit, quod, si quid adversi Reipublicae imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob haec omnia ei a populo et a Senatu 4
concessum est, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur. Ob huius licentiam et paupertatem post mortem eius dos uxori, 5
nisi venditis possessionibus, non potuit exsolvi.

## CAPUT LVII.

### TIB. SEMPRONIUS GRACCHUS.

Tiberius Sempronius Gracchus, nobilissima familia ortus, Scipionem Asiaticum, quamvis inimicum, duci in carcerem non
est passus. Praetor Galliam domuit, Consul Hispaniam; altero 2
consulatu Sardiniam: tantumque captivorum adduxit, ut longa venditione res in proverbium veniret, *Sardi venales*. Censor li- 3
bertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quotuor urbanas divisit: ob quod a populo collega eius Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus; et quum eum duae classes condemnassent, Tiberius iuravit, se cum illo in exsilium iturum: ita reus absolutus est. Quum in domo Tiberii duo angues e 4
geniali toro repsissent, responso dato, eum de dominis perituram, cuius sexus anguis fuisset occisus; amore Corneliae coniugis marem iussit interfici.

## CAPUT LVIII.

### P. SCIPIO AEMILIANUS.

Publius Scipio Aemilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione Africani filio adoptatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispaniam Legatus, apud Intercatiam oppi- 2

3 dum provocatorem singulari proelio vicit. Muros hostilis civi-
4 tatis primus adscendit. Tribunus in Africa sub M'. Manilio im-
peratore, cohortes octo obsidione vallatas consilio et virtute
5 servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus. Quum
aedilitatem peteret, Consul ante annos ultro factus, Carthaginem
6 intra sex menses delevit. Numantiam in Hispania, correcta prius
7 militum disciplina, fame vicit. Hinc Numantinus. Caio Laelio
plurimum usus. [Ad reges adeundos missus, duo secum, prae-
8 ter eum, servos duxit.] Ob res gestas superbus, Gracchum iure
caesum videri respondit: obstrepente populo, *Taceant*, inquit,
*quibus Italia noverca, non mater est*; et addidit, *Quos ego sub*
9 *corona vendidi.* Censor, Mummio collega segniore, in Senatu
ait, *Utinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis.*
10Suscepta agrariorum caussa, domi repente exanimis inventus,
11obvoluto capite elatus, ne livor in ore appareret. Huius pa-
trimonium tam exiguum fuit, ut XXXII libras argenti, duas et
semilibram auri reliquerit.

## CAPUT LIX.

### C. HOSTILIUS MANCINUS.

Caius Hostilius Mancinus Praetor adversum Numantinos, ve-
tantibus avibus, et nescio qua voce revocante, profectus, quum
ad Numantiam venisset, exercitum Pompeii acceptum prius cor-
2 rigere decrevit, et solitudinem petiit. Eo die Numantini forte
solemni nuptu filias locabant: et unam speciosam duobus com-
petentibus, pater puellae conditionem tulit, ut ei illa nuberet,
3 qui hostis dextram retulisset. Profecti iuvenes, abscessum Ro-
manorum in modum fugae properantium cognoscunt: rem ad
4 suos referunt. Illi statim quatuor millibus suorum viginti mil-
5 lia Romanorum ceciderunt. Mancinus, auctore Tiberio Grac-
cho, Quaestore suo, in leges hostium foedus percussit: quo per
Senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus,
augurio in castra reductus, praeturam postea consecutus est.

## CAPUT LX.

### L. MUMMIUS ACHAICUS.

Lucius Mummius, devicta Achaia Achaicus, adversus Corin-
2 thios missus, victoriam alieno labore quaesitam intercepit. Nam
quum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset et
duce Critolao privasset; cum lictoribus et paucis equitibus in
Metelli castra properavit et Corinthios apud Leucopetram vicit
duce Diaeo, qui domum refugit, eamque incendit: coniugem
3 interfecit et in ignem praecipitavit: ipse veneno interiit. Mum-
mius Corinthum signis tabulisque spoliavit: quibus quum totam
replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.

## CAPUT LXI.

### Q. CAECILIUS METELLUS MACEDONICUS.

Quinctus Caecilius Metellus, a domita Macedonia Macedoni-
*cus, Praetor* Pseudophilippum, qui idem Andriscus dictus est,

vicit. Achaeos bis proelio fudit: triumphandos Mummio tradi- 2
dit. Invisus plebi ob nimiam severitatem; et ideo post duas 3
repulsas Consul aegre factus, Arbacos in Hispania domuit. Apud 4
Contrebiam oppidum cohortes loco pulsas redire et locum re-
cipere iussit. Quum omnia proprio et subito consilio ageret, 5
amico cuidam, quid acturus esset, roganti, *Tunicam*, inquit,
*meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.*
Hic, quatuor filiorum pater, supremo tempore humeris eorum 6
ad sepulcrum latus est: ex quibus tres Consulares, unum etiam
triumphantem vidit.

## CAPUT LXII.

### Q. CAECILIUS METELLUS NUMIDICUS.

Quinctus Caecilius Metellus Numidicus, qui de Iugurtha rege
triumphavit, Censor Quinctium, qui se Tiberii Gracchi filium
mentiebatur, in censum non recepit. Idem in legem Appuleiam, 2
per vim latam, iurare noluit: quare in exsilium actus, Smyrnae
exsulavit. Calidia deinde rogatione revocatus, quum ludis forte 3
litteras in theatro accepisset, non prius eas legere dignatus est,
quam spectaculum finiretur. Metellae, sororis suae, virum lau- 4
dare noluit, quod is solus iudicium contra leges detrectarat.

## CAPUT LXIII.

### Q. METELLUS PIUS.

Quinctus Metellus Pius, Numidici filius, Pius, quia patrem la-
crimis et precibus assidue [ab exsilio] revocavit, Praetor bello
sociali Q. Pompedium, Marsorum ducem, interfecit. Consul 2
in Hispania Herculeios fratres oppressit: Sertorium Hispania
expulit. Adolescens in petitione praeturae et pontificatus con- 3
sularibus viris praelatus est.

## CAPUT LXIV.

### TIBERIUS GRACCHUS.

Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, Quaestor Mancino
in Hispania, foedus eius flagitiosum probavit. Periculum dedi- 2
tionis eloquentiae gratia effugit. Tribunus plebis legem tulit, 3
ne quis plus mille agri iugera haberet. Octavio collega inter- 4
cedente, novo exemplo magistratum abrogavit. Dein tulit, ut 5
de familia, quae ex Attali hereditate erat, ageretur, et populo
divideretur. Deinde quum prorogare sibi potestatem vellet, 6
adversis auspiciis in publicum processit, statimque Capitolium
petiit, manum ad caput referens; quo salutem suam populo
commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posce- 7
ret: seguiterque cessante Mucio Consule, Scipio Nasica sequi
se iussis, qui salvam Rempublicam vellent, Gracchum in Capi-
tolium persecutus oppressit. Cuius corpus Lucretii Aedilis manu 8
in Tiberim missum; unde ille Vespillo dictus. Nasica ut invi- 9
diae subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est.

## CAPUT LXV.

### C. GRACCHUS.

Caius Gracchus, pestilentem Sardiniam Quaestor sortitus, non
2 veniente successore, sua sponte decessit. Asculanae et Fregel-
3 lanae defectionis invidiam sustinuit. Tribunus plebis agrarias et
frumentarias leges tulit: colonos etiam Capuam et Tarentum
4 mittendos censuit. Triumviros agris dividundis se, et Fulvium
5 Flaccum, et C. Crassum constituit. Minucio Rufo, Tribuno
plebis, legibus suis obrogante, in Capitolium venit: ubi quum
Antyllius, praeco Opimii Consulis, in turba fuisset occisus, in
forum descendit et imprudens concionem a Tribuno plebis avo-
cavit; qua re arcessitus, quum in senatum non venisset, armata
familia Aventinum occupavit. Ubi ab Opimio victus, dum a
templo Lunae desiliit, talum intorsit, et Pomponio [Pontino]
amico apud portam Trigeminam, P. Laetorio in ponte sublicio,
6 persequentibus resistente, in lucum Furinae pervenit. Ibi vel
sua, vel servi Eupori manu interfectus: caput a Septimuleio,
amico Gracchi, ad Opimium relatum, auro expensum fertur,
propter avaritiam infuso plumbo gravius effectum.

## CAPUT LXVI.

### M. LIVIUS DRUSUS.

Marcus Livius Drusus, genere et eloquentia magnus, sed am-
bitiosus et superbus, Aedilis munus magnificentissimum dedit.
2 Et ibi Remmio collegae, quaedam de utilitate Reipublicae sug-
3 gerenti, *Quid tibi*, inquit, *cum Republica nostra?* Quaestor in
Asia nullis insignibus uti voluit, ne quid ipso esset insignius.
4 Tribunus plebis Latinis civitatem, plebi agros, equitibus curi-
5 am, Senatui iudicia permisit. Nimiae liberalitatis fuit: ipse
etiam professus, nemini se ad largiendum praeter coelum et
coenum reliquisse; ideoque quum pecunia egeret, multa contra
6 dignitatem fecit. Magulsam, Mauretaniae principem, ob regis
simultatem profugum, accepta pecunia Boccho prodidit: quem
7 ille elephanto obiecit. Adherbalem, filium regis Numidarum,
obsidem domi suae sumsit, redemtionem eius occultam a patre
8 sperans. Caepionem inimicum, actionibus suis resistentem, ait,
9 se de saxo Tarpeio praecipitaturum. Consuli, legibus agrariis
resistenti, ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis
efflueret e naribus: quam ille, luxuriam exprobrans, muriam
10 de turdis esse dicebat. Deinde ex gratia nimia in invidiam ve-
nit. Nam plebs acceptis agris gaudebat; expulsi dolebant:
[equites in senatu lecti laetabantur; sed praeteriti querebantur:]
Senatus permissis iudiciis exsultabat; sed societatem cum equi-
11 tibus aegre ferebat. Unde Livius anxius, ut Latinorum postu-
lata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in
publico concidit, sive morbo comitiali, seu hausto caprino san-
12 guine, semianimis domum relatus. Vota pro illo per Italiam
publice suscepta sunt. Et quum Latini Consulem in Albano

monte interfecturi essent, Philippum admonuit, ut caveret: unde in senatu accusatus, quum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Invidia caedis apud Philip- 13
pum et Caepionem fuit.

## CAPUT LXVII.

### C. MARIUS PATER.

Caius Marius, septies Consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, Legatus Metello in Numidia, criminando eum consulatum adeptus, Iugurtham captum ante currum egit. In proximum annum Consul ultro factus, 2
Cimbros in Gallia apud Aquas Sextias, Teutonas in Italia, in campo Raudio vicit, deque his triumphavit. Usque sextum con- 3
sulatum per ordinem factus, Appuleium Saturninum Tribunum plebis, et Glauciam Praetorem, seditiosos, ex senatusconsulto interemit. Et quum Sulpicia rogatione provinciam Sullae eri- 4
peret, armis ab eo victus, Minturnis in palude latuit. Inven- 5
tus et in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit; acceptaque navicula in Africam traiecit: ibi diu exsulavit. Mox Cinnana dominatione revoca- 6
tus, ruptis ergastulis, exercitum fecit; caesisque inimicis iniuriam ultus, septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

## CAPUT LXVIII.

### C. MARIUS FILIUS.

Caius Marius filius viginti septem annorum consulatum invasit: quem honorem tam immaturum mater flevit. Hic, patri 2
saevitia similis, curiam armatus obsedit, inimicos trucidavit, quorum corpora in Tiberim praecipitavit. In apparatu belli, 3
quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum, vigiliis et labore defessus, sub dio requievit: et absens victus, fugae, non pugnae interfuit. Praeneste refugit, ubi per Lucretium Ofel- 4
lam obsessus, tentata per cuniculum fuga, quum omnia septa intelligeret, iugulandum se Pontio Telesino praebuit.

## CAPUT LXIX.

### L. CORNELIUS CINNA.

Lucius Cornelius Cinna, flagitiosissimus, Rempublicam summa crudelitate vastavit. Primo consulatu legem de exsulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus et honore privatus, Urbe profugit; vocatisque ad pileum servis, adversarios vicit, Octavium interfecit, Ianiculum occupavit. Iterum et tertium 2
Consulem se ipse fecit. Quarto consulatu quum bellum contra 3
Sullam pararet, Anconae ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

## CAPUT LXX.

### C. FLAVIUS FIMBRIA.

Caius Flavius Fimbria (saevissimus quippe Cinnae satelles) Valerio Flacco Consuli Legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curavit.
2 Ipse, correptis imperii insignibus, provinciam ingressus, Mi-
3 thridatem Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portae patuerunt, incendi iussit; ubi Minervae templum inviolatum stetit,
4 quod divina maiestate servatum nemo dubitavit. Ibidem Fimbria militiae principes securi percussit: mox, a Sulla Pergami obsessus, corrupto exercitu desertus, semet occidit.

## CAPUT LXXI.

### VIRIATHUS LUSITANUS.

Viriathus, genere Lusitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad postremum dux, bellum adversum Romanos sumsit, eorumque imperatorem
2 Claudium Unimanum, dein C. Nigidium oppressit. Pacem a populo [Romano] maluit integer petere, quam victus: et quum
3 alia dedisset, et arma retinerentur, bellum renovavit. Caepio quum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum humi depositum peremerunt. Quae victoria, quia emta erat, Senatu non probata.

## CAPUT LXXII.

### M. AEMILIUS SCAURUS.

Marcus Aemilius Scaurus, nobilis, pauper: nam pater eius, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium ex-
2 ercuit. Ipse primo dubitavit, honores peteret, an argentariam
3 faceret: sed, eloquentiae consultus, ex ea gloriam peperit. Primo in Hispania corniculum meruit: sub Oreste in Sardinia sti-
4 pendia fecit. Aedilis iuri reddendo magis, quam muneri eden-
5 do studuit. Praetor adversus Iugurtham tamen eius pecunia victus. Consul legem de sumtibus et libertinorum suffragiis
6 tulit. P. Decium Praetorem, transeunte ipso sedentem, iussit adsurgere, eique vestem scidit, sellam concidit; ne quis ad eum
7 in ius iret, edixit. Consul Ligures et Gantiscos domuit atque
8 de his triumphavit. Censor viam Aemiliam stravit: pontem
9 Mulvium fecit. Tantumque auctoritate potuit, ut Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam et Saturninum, prirovato consilio armaret. Idem filium suum, quia praesidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere: ille ob hoc de-
11decus mortem sibi conscivit. Scaurus senex quum a Vario Tribuno plebis argueretur, quasi socios et Latium ad arma coëgisset, ad populum ait: *Varius Sucronensis Aemilium Scaurum ait socios ad arma coëgisse; Scaurus negat: utri potius credendum putatis?*

## CAPUT LXXIII.

### L. APPULEIUS SATURNINUS.

Lucius Appuleius Saturninus, Tribunus plebis seditiosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri iugera in Africa dividerentur: intercedentem Baebium collegam, facta per populum lapidatione, submovit. Glauciae Praetori, quod is eo die, quo ipse concionem habebat, ius dicendo partem populi avocasset, sellam concidit, ut magis popularis videretur. Quendam libertini ordinis subornavit, qui se Tiberii Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia, soror Gracchorum, producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut dedecus familiae agnosceret. Saturninus, Aulo Nonio competitore interfecto, Tribunus plebis refectus, Siciliam, Achaiam, Macedoniam novis colonis destinavit; et aurum, dolo an scelere Caepionis partum, ad emtionem agrorum convertit. Aqua et igni interdixit ei, qui in leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus abrogantibus, quum tonuisset, clamavit: *Iam*, inquit, *nisi quiescitis*, *grandinabit*. Metellus Numidicus exsulare, quam iurare, maluit. Saturninus, tertio Tribunus plebis refectus, ut satellitem suum Glauciam Praetorem faceret, Memmium, competitorem eius, in campo Martio necandum curavit. Marius, senatusconsulto armatus, quo cenſeretur, darentne operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet, Saturninum et Glauciam in Capitolium persecutus obsedit, maximoque astu incisis fistulis, in deditionem accepit: nec deditis fides servata. Glauciae fracta cervix: Appuleius quum in curiam fugisset, lapidibus et tegulis desuper interfectus est. Caput eius Rabirius quidam Senator per convivia in ludibrium circumtulit.

## CAPUT LXXIV.

### L. LICINIUS LUCULLUS.

Lucius Licinius Lucullus, nobilis, disertus et dives, munus quaestorium amplissimum dedit. Mox per Murenam in Asia classem Mithridatis, et Ptolemaeum regem Alexandriae Consuli Sullae conciliavit. Praetor Africam iustissime rexit. Adversus Mithridatem missus, collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberavit. Cyzicum obsidione solvit. Mithridatis copias ferro et fame adflixit; eumque regno suo, id est, Ponto expulit. Quem rursum cum Tigrane, rege Armeniae, subveniente magna felicitate superavit. Nimius in habitu: maxime signorum et tabularum amore flagravit. Post quum alienata mente desipere coepit, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.

## CAPUT LXXV.

### L. CORNELIUS SULLA.

Cornelius Sulla, in fortuna Felix dictus, quum parvulus a nutrice ferretur, mulier obvia, *Salve*, inquit, puer tibi et Rei-

*publicae tuae felix:* et statim quaesita, quae haec dixisset, non
2 potuit inveniri. Hic, Quaestor Marii, Iugurtham a Boccho in
3 deditionem accepit. Bello Cimbrico et Teutonico Legatus, bo-
4 nam operam navavit. Praetor inter cives ius dixit. Praetor
5 Cilicium provinciam habuit. Bello sociali Samnites Hirpinosque
6 superavit. Ne monumenta Bocchi tollerentur, Mario restitit.
7 Consul Asiam sortitus, Mithridatem apud Orchomenum et Chae-
roneam proelio fudit: Archelaum, praefectum eius, Athenis
vicit: portum Piraeeum recepit: Medos et Dardanos in itinere
8 superavit. Mox quum rogatione Sulpicia imperium eius trans-
ferretur ad Marium, in Italiam regressus, corruptis adversario-
rum exercitibus, Carbonem Italia expulit: Marium apud Sacri-
9 portum, Telesinum apud portam Collinam vicit. Mario Prae-
neste interfecto, Felicem se edicto appellavit. Proscriptionis
tabulas primus proposuit. Novem millia deditorum in villa
10 republica cecidit. Numerum sacerdotum auxit: tribuniciam po-
11 testatem minuit. Republica ordinata, dictaturam deposuit: unde
sperni coeptus, Puteolos concessit, et morbo, qui phthiriasis
vocatur, interiit.

## CAPUT LXXVI.

### MITHRIDATES, REX PONTI.

Mithridates, rex Ponti, oriundus a septem Persis, magna vi
animi et corporis, ut sexiuges equos regeret, quinquaginta gen-
2 tium ore loqueretur. Bello sociali dissidentibus Romanis, Ni-
3 comedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Litteras
per totam Asiam misit, ut, quicunque Romanus esset, certa
4 die interficeretur: et factum est. Graeciam insulasque omnes,
5 excepta Rhodo, occupavit. Sulla eum proelio vicit, classem
eius proditione Archelai intercepit: ipsum apud Orchomenum
oppidum fudit et oppressit; et potuit capere, nisi, adversum
Marium festinans, qualemcunque pacem componere maluisset.
6 Deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit. Mithridates post
7 a Pompeio nocturno proelio victus, in regnum confugit: ubi
per seditionem popularium a Pharnace filio in turre obsessus,
8 venenum sumsit. Quod quum tardius biberet, quia adversum
venena multis antea medicaminibus corpus firmarat; immissum
percussorem Gallum Sithocum auctoritate vultus territum revo-
cavit, et in caedem suam manum trepidantis adiuvit.

## CAPUT LXXVII.

### CN. POMPEIUS MAGNUS.

Cnaeus Pompeius Magnus, civili bello Sullae partes secutus, ita
2 egit, ut ab eo maxime diligeretur. Siciliam sine bello a pro-
scriptis recepit. Numidiam, Hiarbae ereptam, Masinissae re-
3 stituit. Viginti sex annos natus triumphavit. Lepidum, acta
4 Sullae rescindere volentem, privatus Italia fugavit. Praetor in
*Hispaniam* pro Consulibus missus, Sertorium vicit. Mox pira-

tas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditio- 5
nem, Mithridatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate 6
nunc in septemtrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Iberos, nunc in oriente Parthos, Arabes, atque Iudaeos cum magno sui terrore penetravit. Primus in Hyrcanum, Rubrum 7
et Arabicum mare usque pervenit. Moxque diviso orbis impe- 8
rio, quum Crassus Syriam, Caesar Galliam, Pompeius Urbem obtineret; post caedem Crassi Caesarem dimittere exercitum iussit. Cuius infesto adventu Urbe pulsus, in Pharsalia victus, 9
ad Ptolemaeum, Alexandriae regem, fugit. Huius latus subro
oculis uxoris et liberorum a Septimio, Ptolemaei praefecto, mucrone confossum est. Iamque defuncti caput gladio praeci- 11
sum, quod usque ad ea tempora fuerat ignoratum. Truncus 12
Nilo iactatus, a Servio Codro rogo inustus humatusque est, inscribente sepulcro, HIC POSITUS EST MAGNUS. Caput ab 13
Achilla, Ptolemaei satellite, Aegyptio velamine involutum, cum annulo Caesari praesentatum est, qui non continens lacrimas illud plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit.

## ADDITAMENTUM
# LIBELLO DE VIRIS ILLUSTRIBUS
## EX LIBRIS ANTIQUIS MANU DESCRIPTIS
## AB ANDR. SCHOTTO PRIMUM ADIECTUM.

### CAPUT LXXVIII.
#### CAIUS IULIUS CAESAR.

Caius Iulius Caesar, veneratione rerum gestarum Divus dictus, contubernalis Thermo in Asiam profectus, quum saepe ad Nicomedem, regem Bithyniae, commearet, impudicitiae infamatus est. Mox Dolabellam iudicio oppressit. Dum studiorum caussa 2
Rhodum petit, a piratis captus et redemtus, eosdem et postea 3
captos punivit. Praetor Lusitaniam, et post Galliam, ab Alpi- 4
bus usque, et Oceanum bis classe transgressus, Britanniam sub- 5
egit. Quum ei triumphus a Pompeio negaretur, armis cum 6
Urbe pulsum in Pharsalia vicit. Capite eius oblato, flevit, eb honorifice sepeliri fecit: mox a satellitibus Ptolemaei obsessus, eorum et regis nece Pompeio parentavit. Pharnacem, Mithri- 7
datis filium, fama nominis fugavit. Iubam et Scipionem in Afri- 8
ca, Pompeios iuvenes in Hispania apud Mundam oppidum ingenti proelio vicit. Deinde ignoscendo amicis odia cum armis 9

deposuit: nam Lentulum tantum, et Afranium, et Faustum,
1 Sullae filium, iussit occidi. Dictator in perpetuum factus a
Senatu, in curia, Cassio et Bruto caedis auctoribus, tribus et
viginti vulneribus occisus est: cuius corpore pro rostris posito,
sol orbem suum celasse dicitur.

## CAPUT LXXIX.

### CAESAR OCTAVIANUS.

Caesar Octavianus, ex Octavia familia in Iuliam translatus,
in ultionem Iulii Caesaris, a quo heres fuerat institutus, Bru-
tum et Cassium, caedis auctores, in Macedonia vicit. Sextum
Pompeium, Cnaei Pompeii filium, bona paterna repetentem, in
2 freto Siculo superavit. Marcum Antonium Consulem Syriam
obtinentem, amore Cleopatrae devinctum, in Actiaco Ambraciae
3 litore debellavit. Reliquam orbis partem per Legatos domuit.
4 Huic Parthi signa, quae Crasso sustulerant, ultro reddiderunt.
5 Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos non domuerat, dona mi-
6 serunt. Iani gemini portas, bis ante se clausas, primo sub
Numa, iterum post primum Punicum bellum, sua manu clausit.
7 Dictatar in perpetuum factus, a Senatu, ob res gestas, Divus
Augustus est appellatus.

## CAPUT LXXX.

### CATO PRAETORIUS.

Cato Praetorius, Catonis Censorii pronepos, quum in domo
avunculi Drusi educaretur, nec pretio, nec minis potuit adduci
a Q. Popedio Silone, Marsorum principe, ut favere se caussae
2 Sociorum diceret. Quaestor in Cyprum missus ad vehendam ex
Ptolemaei hereditate pecuniam, cum summa eam fide perduxit:
3 praeterea coniuratos puniendos censuit. Bello civili Pompeii
partes secutus est: quo victo, exercitum per deserta Africae
duxit; ubi Scipioni Consulari delatum ad se imperium concessit.
4 Victis partibus, Uticam concessit; ubi filium hortatus, ut cle-
mentiam Caesaris experiretur, ipse, lecto Platonis libro, qui
de bonis mortis est, semet occidit.

## CAPUT LXXXI.

### M. TULLIUS CICERO.

Marcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre equite Romano
2 natus, genus a Tullo Attio rege duxit. Adolescens Rosciano
iudicio eloquentiam et libertatem suam adversus Sullanos osten-
dit: ex quo veritus invidiam, Athenas studiorum gratia petivit,
ubi Antiochum, Academicum philosophum, studiose audivit.
Inde eloquentiae gratia Asiam, post Rhodum petiit, ubi Molo-
nem Graecum, rhetorem tum disertissimum, magistrum habuit;
qui flesse dicitur, quod per hunc Graecia eloquentiae laude pri-
3 varetur. Quaestor Siciliam habuit. Aedilis Caium Verrem re-

petundarum damnavit. Praetor Ciliciam latrociniis liberavit. Consul coniuratos capite punivit. Mox invidia P. Clodii, in- 4
stinctuque Caesaris et Pompeii, quos dominationis suspectos, eadem, qua quondam Sullanos, libertate perstrinxerat, sollicitatis Pisone et Gabinio Consulibus, qui Macedoniam Asiamque provincias in stipendium opera huius acceperant, in exsilium actus; mox, ipso referente Pompeio, rediit, eumque civili bello secutus est. Quo victo, veniam a Caesare ultro accepit: quo 5
interfecto, Augustum fovit; Antonium hostem iudicavit. Et 6
quum Triumviros se fecissent Caesar, Lepidus, Antoniusque, concordia non aliter visa est inter eos iungi posse, nisi Tullius necaretur: qui, immissis ab Antonio percussoribus, quum forte Formiis quiesceret, imminens exitium corvi auspicio didicit, et fugiens occisus est. Caput ad Antonium relatum.

## CAPUT LXXXII.

### MARCUS BRUTUS.

Marcus Brutus, avunculi Catonis imitator, Athenis philoso- 1
phiam, Rhodi eloquentiam didicit. Cytheridem mimam cum 2
Antonio et Gallo poeta amavit. Quaestor in Galliam proficisci 3
noluit, quod is bonis omnibus displicebat. Cum Appio Claudio 4
in Cilicia fuit: et quum ille repetundarum accusaretur, ipse ne verbo quidem infamatus est. Civili bello a Catone ex Cilicia 5
retractus, Pompeium secutus est. Quo victo, veniam a Caesare accepit, et Proconsul Galliam rexit; tamen cum aliis coniuratis in curia Caesarem occidit. Et ob invidiam veteranorum 6
in Macedoniam missus, ab Augusto in campis Philippicis victus, Stratoni cervicem praebuit.

## CAPUT LXXXIII.

### C. CASSIUS LONGINUS.

Caius Cassius Longinus Quaestor Crassi in Syria fuit, post 1
cuius caedem, collectis reliquiis, in Syriam rediit. Osaeem, 2
praefectum regium, apud Orontem, fluvium superavit. Dein, 3
quod coëmtis Syriacis mercibus foedissime negotiaretur, Caryota cognominatus est. Tribunus plebis Caesarem oppugnavit. 4
Bello civili Pompeium secutus classi praefuit. A Caesare veni- 5
am accepit; tamen adversus eum coniurationis auctor cum Bruto fuit, et in caede dubitanti cuidam, *Vel per me*, inquit, *feri*: magnoque exercitu comparato, in Macedonia Bruto coniunctus in campis Philippicis ab Antonio victus, quum eandem fortunam Bruti putaret, qui Caesarem vicerat, Pindaro liberto iugulum praebuit. Cuius morte audita, Antonius exclamasse di- 6
citur, *Vici.*

## CAPUT LXXXIV.

### SEXTUS POMPEIUS.

Sextus Pompeius, in Hispania apud Mundam victus, amisso fratre, reliquiis exercitus collectis, Siciliam petiit, ubi ruptis

2 ergastulis mare obsedit. Interceptis commeatibus Italiam vexavit; et quum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confes-
3 sus est, eumque bobus auratis et equo placavit. Pace facta, epulatus in navi cum Antonio et Caesare, non invenuste ait: *Hae sunt meae carinae*; quia Romae in Carinis domum eius
4 Antonius tenebat. Rupto per eundem [Antonium] foedere, Sextus, ab Augusto per Agrippam navali proelio victus, in Asiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occisus est.

## CAPUT LXXXV.

### MARCUS ANTONIUS.

Marcus Antonius, in omnibus expeditionibus Iulio Caesari comes, Lupercalibus diadema ei imponere tentavit: mortuo di-
2 vinos honores decrevit. Augustum perfidiose tractavit; a quo apud Mutinam victus, [Perusii fame domitus] in Galliam fugit. Ibi Lepidum sibi collegam adiunxit: Brutum, exercitu eius corrupto, occidit: reparatis viribus in Italiam regressus, cum Cae-
3 sare in gratiam rediit. Triumvir factus, proscriptionem a Lu-
4 cio Caesare avunculo suo coepit. In Syriam missus, bellum Parthis intulit: a quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Aegyptum perduxit: A ibi Cleopatrae amore
5 devinctus, in Actiaco littore ab Augusto victus est. In Alexandriam regressus, quum habitu regio in solio regali sedisset, necem sibi conscivit.

## CAPUT LXXXVI.

### CLEOPATRA REGINA.

Cleopatra, Ptolemaei regis Aegyptiorum filia, a fratre suo Ptolemaeo eodemque marito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad Caesarem bello civili in Alexandriam venit: ab eo specie sua et concubitu regnum Ptolemaei et necem impetravit.
2 Haec tantae libidinis fuit, ut saepe prostiterit: tantae pulchri-
3 tudinis, ut multi noctem illius morte emerint. Postea Antonio iuncta, cum eo victa, quum se illi inferias ferre simularet in Mausoleo eius, admotis aspidibus periit.

# SEXTUS AURELIUS VICTOR

DE

# CAESARIBUS

SIVE

# HISTORIAE ABBREVIATAE

## PARS ALTERA

AB AUGUSTO OCTAVIANO, ID EST, A FINE TITI LIVII, USQUE AD CONSULATUM DECIMUM CONSTANTII AUGUSTI, ET IULIANI CAESARIS TERTIUM.

## CAPUT I.

### OCTAVIANUS AUGUSTUS.

Anno Urbis septingentesimo fere vicesimoque secundo etiam mos Romae incessit uni prorsus parendi. Namque Octavianus, 2
patre Octavio, atque adoptione magni avunculi Caesaris, ac mox procerum consulto ob victoriam patriam placide exercitam Augusti cognomento dictus, illectis per dona militibus, atque annonae curandae specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit. Eoque modo annis quatuor circiter et quadraginta actis, morbo 3
Nolae consumtus, adiectis imperio civium Rhaetis Illyricoque, ac pacata exterarum gentium ferocia, nisi Germaniae: quamquam tertius post Numam, victo Antonio, Ianum clauserit, quod iure Romano quiescentibus bellis accidebat. Mores viro 4
civiles lepidique; flagrante haud modice luxuria, ludorumque cupidine aleaeque ad summum intemperantia. Doctorum, qui 5
abunde erant, necessariorumque percultor, quum eloquentiae studio ac religionibus mire retineretur. Pater Patriae, ob clementiam, ac Tribunitia potestate perpetuo habitus: hincque uti Deo, Romae provinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes et collegia sacravere. Felix adeo, 6
(absque liberis tamen simulque coniugio) ut Indi, Scythae, Garamantes, ac Bactri legatos mitterent orando foederi.

## CAPUT II.

### CLAUDIUS TIBERIUS NERO.

Dein Claudius Tiberius Nero, in Augusti liberos e privigno redactus arrogatione, ubi, quae metuebantur, satis tuta ani-

madvertit, imperium complexus est, cuius nomen astu abnuebat: subdolus et occultior, hisque saepe simulando infensus, quae maxime cuperet, et insidiose deditus, quae odio erant; ingenio ad repentina longe acriore; bonis initiis idem perniciosus, quaesitissimis in omnem fere aetatem sexumque libidinibus; atque atrocius puniens insontes, suos pariter externosque.
2 Adhuc dum urbes et conventus exsecratur, Capreas insulam
3 quaesierat flagitiis obtentui. Quare solutis militiae artibus, direpta pleraque iuris Romani; nihilque praeter Cappadocas, idque inter exordia, in provincia subactum, remoto rege Archelao, compressaque Gaetulorum latrocinia, quae Tacfarinate
4 duce passim proruperant. Praetorias, quae dispersae proximis municipiis, seu Romae, quaeque per domos habebantur, in castra apud Urbem redegit; qua tenebantur, Praefecturam appellans, vel augens, Praetorio: nam ceteros paritorum praesidesque Augustus instituerat.

## CAPUT III.

### CAIUS CAESAR CALIGULA.

Igitur Claudio senio an insidiis oppresso, quum imperium tres atque viginti, aevi octogesimum uno minus annos egisset, Caius Caesar, cognomento Caligula, aventibus cunctis deligitur,
2 maiorum gratiae parentisque. Namque per filiam proavus Augustus; genere materno, Agrippa; Drusus, Germanici pater, e
3 quo is oriebatur, avi erant. Quorum modestia atque immaturo, absque Octaviani, interitu, vulgus, simul matris fratrumque, quos Tiberius exitio interceperat, permovebatur. Qua
4 caussa nitebantur omnes casum tantae familiae lenire adolescentuli spe: tum quia natus in exercitu (unde cognomentum calceamento militari quaesiverat) legionibus carus acceptusque ha-
5 bebatur. Praeterea prudentissimus quisque similem fore suis credebat; quod longe secus, quasi naturae lege, quae crebro tamquam ex industria malos e bonis, agrestes e doctioribus, et
6 ceteros huiuscemodi, seu contra gignit. Quo demum exemplo
7 sapientium plures caruisse liberis utilius duxere. Ceterum in Caligula haudquaquam vero plurimum aberant, quippe qui dis immania animi ita pudore ac parendi specie obtexerat, uti merito vulgaretur, neque meliorem famulum, neque atrociorem dominum illo fuisse. Denique nactus potestatem, uti talia ingenia versare solent animi sensus, egregia ad populum, inter Patres, cum militibus gessit: delataque coniuratione, quasi minus credens, praedicavit, vix convenire in eum, cuius vita nul-
8 lius oneri aut incommodo esset. Sed repente caesis primum vario facinore innocentium paucioribus, tamquam belluae hausto sanguine ingenium exercuit: itaque deinceps triennium consumtum, quum Senatus atque optimi cuiusque multiplici clade
9 terrarum orbis foedaretur. Quin etiam sororum stupro ac matrimoniis illudens nobilibus, Deorum habitu incedebat, quum *Iovem se ob* incestum, ex choro autem Bacchanali Liberum se

adsereret. Neque secus contractis ad unum legionibus, spe inro
Germaniam transgrediendi, conchas umbilicosque in ora maris
Oceani legi iussit: quum ipse nunc fluxo cultu Veneriosque in- 11
teresset, nunc armatus spolia a se non ex hominibus, sed coe-
lestium capi dictitaret; scilicet quod huiusmodi pisces Graeco-
rum dicto, quis augendi omnia studium est, Nympharum lumina
accepisset. His elatus, dominum dici, atque insigne regni capitir2
nectere tentaverat. Qua caussa, auctore Chaerea, moti, qui- 13
bus Romana virtus inerat, tanta pernicie Rempublicam, confosso
eo, levare: praelatumque excellens Bruti facinus eiecto Tarqui-
nio foret, si per Quirites modo militia exerceretur. Verum 14
ubi cives desidia externos barbarosque in exercitum cogere li-
bido incessit; corruptis moribus, libertas oppressa, atque ha-
bendi auctum studium. Interim dum Senatus decreto gentem 15
Caesarum, etiam muliebri sexu, omnemque adfinitatem armati
persequuntur, forte unus, ortus Epiri, e cohortibus, quae pa-
latium per opportunos locos obsidebant, Tib. Claudium occul-
tantem se reperit deformi latebra: protractoque eo, exclamat
apud socios, si sapiant, adesse principem. Et sane quia vecors 16
erat, mitissimus videbatur imprudentibus; quae res adversum
nefariam patrui Neronis mentem auxilio, neque apud fratris
filium Caligulam invidiae fuit: quin etiam militares plebisque
animos conciliaverat, dum, flagrante suorum dominatione, ipse
contemtui miserabilior haberetur. Talia plerisque memoranti- 17
bus, repente eum, nullo retractante, quae aderant turbae cir-
cumsistunt, simulque adfluebant reliqui militum et vulgi magna
vis. Quod ubi Patres accepere, mittunt ocius ausum compri- 18
mere. Sed postquam variis tetrisque seditionibus civitas cun-
ctique ordines lacerabantur, tamquam ex imperio omnes dedere
se. Ita Romae regia potestas firmata, proditumque apertius, 19
mortalium conatus vacuos a fortuna cassosque esse.

## CAPUT IV.

### CLAUDIUS.

Igitur Claudius, quamquam ventri foede obediens, vecors
iuxta atque immemor, pavidusque animi et ignavior esset, ple-
raque per formidinem tamen egregie consultabat, nobilitatis
praecipue consiliis, quae metu colebatur: quippe stolidorum
ingenia proinde agunt, uti monitores sunt. Denique bonis au- 2
ctoribus compressa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum
famosae superstitiones; lata iura quam commodissima; curatum
militiae officium; retenti fines, seu dati imperio Romano; Me-
sopotamia per orientem, Rhenus Danubiusque ad septemtrionem,
et a meridie Mauri accessere provinciis, demtis regibus post
Iubam; caesaque Musalamiorum manus; simul, ultima occasus,
Britanniae partes contusae, quam solam adiit, Ostia profectus
mari: nam cetera duces curavere. Adhuc annonae egestas com- 3
posita, quam Caligula induxerat, dum, adactis toto orbe navi-
giis, pervium mare theatris curribusque damno publico efficere

contendit. Neque secus censu novato, quum, Senatu motis pluribus, lascivum adolescentem, quem sibi probatum parens adseruerat, retinuisset, censorem et liberis patrem debere esse,
4 recte adiecerat. Ast ubi Messalinae coniugis, simulque libertorum delinimentis, quibus semet dediderat, in pravum abstractus, non illa modo tyrannorum admissa, verum quae postremum genus mulierum atque servile quibat facere viro amenti
5 dominoque. Namque uxor primo passim, quasi iure, adulteris utebatur: eoque exstincti cum suis plerique, ingenio seu metu abstinentes; dum, pervagatis mulierum artibus, peti se a petitis criminatur. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas et virgines scortorum modo secum prostituerat; coactique ma-
6 res, uti adessent. Quod si qui talia horruerat, adficto crimine,
7 in ipsum omnemque familiam saevichatur. Namque Claudium, uti supra docuimus, natura performidolosum, iniecto metu sui agitabant, maxime coniurationis: quo commento liberti etiam,
8 quos vellent, perditum ibant. Qui primo sceleribus colludentes, ubi pares patronae facti sunt, eam quoque, ignaro, quasi iu-
9 bente tamen, domino, per satellites interfecere. Et sane in id progressa mulier erat, uti, animi ac pellicum gratia Ostiam profecto, Romae nuptias cum altero frequentaret: et hinc notior, dum mirum videtur apud Imperatorem virum, viro quam
10 Imperatori nuptam esse. Ita liberti potestatem nacti summam, stupris, exsilio, caede, proscriptionibus, omnia foedebant, eoque herilem stultitiam perpulere, uti senex fratris filiam in
11 nuptias concupisceret. Quae quamvis superiore absurdior haberetur, idcircoque paria extimesceret; veneno coniugem inter-
12 emit. Huius anno sexto, quum quatuordecim regnarit, octingentesimus Urbis mire celebratus: visusque apud Aegyptum Phoenix, quam volucrem ferunt anno quingentesimo ex Arabis memoratos locos advolare; atque in Aegaeo mari repente insula
13 ingens emersit, nocte, qua defectus lunae acciderat. Tetrum funus, uti quondam in Prisco Tarquinio, diu occultatum; dum arte mulieris corrupti custodes, aegrum simulant, atque ab eo mandatam interim privigno, quem paullo ante in liberos adsciverat, curam Reipublicae.

## CAPUT V.

### L. DOMITIUS NERO.

Eo modo L. Domitius (nam id certe nomen Neroni, patre
2 Domitio, erat) Imperator factus est. Qui quum longe adolescens dominatum parem annis vitrico gessisset, quinquennium tamen tantus fuit, augenda Urbe maxime, uti merito Traianus saepius testaretur, procul differre cunctos principes Neronis quinquennio: quo etiam Pontum in ius provinciae, Polemonis permissu, redegit; cuius gratia Polemoniacus Pontus appellatur: itemque
3 Cottias Alpes, Cottio rege mortuo. Quare satis compertum, neque aevum impedimento virtuti esse; eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio; omissamque adolescentiae quasi
4 *legem perniciosius* repeti. Namque eo dedecore reliquum vitae

egit, uti pigeat pudeatque memorare huiuscemodi quemquam, nedum rectorem gentium, fuisse. Qui dum psallere per coetus, 5
Graecorum invento, in certamen coronae coepisset; eo progressus est, uti neque suae, neque aliorum pudicitiae parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data, cunctis festa more celebrantibus, in manum conveniret lecto ex omnibus prodigiosis. Quod sane in eo (narrantur 6
scelera Neronis) levius aestimandum. Quippe noxiorum vinctis 7
modo, pelle tectus ferae, utrique sexui genitalia vultu contrectabat; exactor parium maiore flagitio. Atque inter haec ma- 8
trem etiam contaminavisse plures habent; dum ea quoque, dominandi ardore, scelere quolibet subiici filium cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diversa firmantibus, verum puto. Nam- 9
que ubi mentem invaserint vitia, nequaquam inverecundiae, externis satiatae, inhumanius datur peccandi consuetudo, nova, et eo dulciora, adfectans, ad extremum in suos agens. Quod 10
his proditum magis, dum quasi quodam progressu, illa per adulteros ad patrui nuptias, atque alienorum cruciatibus, mariti exitium: hic paullatim ad sacerdotem Vestae, deinde in se, postremo uterque in sui scelus processerunt. Neque blandimentis 11
talibus tamen coalescere potuere, sed eo praeceps dati, dum insidiantur invicem, mater perversa interiit. Igitur quum omnes 12
ius fasque parricidio trivisset, ac magis magisque in optimos saeviretur; coniuravere plures varia sane tempestate ad liberandam Rempublicam. Quis proditis caesisque immanior, Urbem 13
incendio, plebem feris vulgo emissis, Senatum pari morte tollere decreverat, nova sede regno quaesita, maximeque incitante legato Parthorum; qui forte inter epulas, aulicis, uti mos est, canentibus, quum sibi citharistam poposcisset, responso dato, liberum esse, adiecerat, sumeret ipse, quem vellet, e suis, ostentans, qui convivio aderant; quod liber sub imperio nullus haberetur. Ac ni Galba, qui Hispaniae praesidebat, cognito, 14
mandatum sui exitium, quamquam senecta aetate, imperio correpto, subvenisset; tantum facinus haud dubie patraretur. Ve- 15
rum eius adventu desertus undique, nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat, semet ietu transegit; quum, implorans percussorem, diu ne ad mortem quidem meruisset cuiusquam officium. Hic finis Caesarum gentis 16
fuit: quem fore, prodigiorum multa denuntiavere, praecipueque eorum praedijs arescens lauri nemus, dicatum triumphantibus; atque interitus gallinarum, quae adeo multae [albaeque, aptiores] erant [religionibus], ut iis Romae haberetur hodie locus.

## CAPUT VI.

### SERVIUS GALBA.

At Galba, haud secus nobilis e gente clarissima Sulpiciorum, ubi Romam ingressus est, quasi luxuriae aut etiam crudelitati auxilio ventitasset, rapere, trahere, vexare, ac foedum in modum vastare cuncta et polluere. Quis rebus intestabilior, (dum 2

gravius offendunt, quos mollius consulturos spes erat) simul quia opes militum, nimis pecuniae cupidus, attenuaverat, Othone auctore interficitur; qui, praelatum adoptione eius Pisonem impatientius dolens, accensas cohortes armatasque in forum
3 deduxerat. Quo quum lorica tectus Galba tumultum lenituros contenderet, ad lacum Curtium caesus est mense imperii ac die septimo.

## CAPUT VII.

### SALVIUS OTHO.

Igitur Salvius Otho, Neroni quoque quondam criminose familiaris, haud multo fine adolescentiae grandior, potentiam
2 invadit. Qui, dies fere quinque et octoginta praecognitis moribus potitus, postquam a Vitellio, qui e Gallia descenderat, Veronensi proelio pulsus est, mortem sibi conscivit.

## CAPUT VIII.

### A. VITELLIUS.

Ita ad Aulum Vitellium potestas delata; quae progressu funestior talibus initiis foret, si Vespasianus aliquamdiu Iudaeorum bello, quod Neronis iussu susceperat, impensius attineretur.
2 Is ubi gesta per Galbam, ipsumque oppressum accepit, simul quoniam Legati Moesiae Pannonicique exercitus hortantium venerant, imperium capit. Namque milites praedicti, postquam
3 Othonem Imperatorem praetoriis, Vitellium Germanicianis legionibus factum comperere, aemuli, ut inter se solent, ne dissimiles viderentur, Vespasianum perpulere, in quem iam Sy-
4 riacae cohortes ob egregia vitae consenserant. Quippe Vespasianus, nova Senator familia, Reatinis maioribus, industria
5 rebusque pacis ac militiae longe nobilis habebatur. Huius Legatorum in Italiam transgressu, fusisque apud Cremonam suis, Vitellius ab Sabino, Urbi praefecto, Vespasiani fratre, sestertium millies pepigerat, arbitris militibus imperio decedere: sed postquam mox circumventum se nuntio ratus est, quasi renovato furore, ipsum ceterosque adversae partis, cum Capi-
6 tolio, quod saluti remedium ceperant, cremavit. Ast ubi vera esse, ac propinquare hostes, patefactum est, productus e tugurio, quo se abdiderat, ianitoris, iniecto laqueo, parricidarum more ad scalas Gemonias, perque eas pertractus; simul ictibus, quantum quisque valuerat, confosso corpore, in Tiberim deiicitur, tyrannidis octavo mense, annos natus septua-
7 ginta et quinque amplius. Hi omnes, quos paucis attigi, praecipueque Caesarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut, ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimii forent, tan-
8 tae artes profecto texissent modica flagitia. Quis rebus quamquam satis constet praestare mores; tamen cuique, praesertim summo rectori, utroque, si queat, iuxta opus: sin autem [non], vitae proposito in immensum progrediente, elegantiae *satis atque* auctoritatis sumat eruditionem.

## CAPUT IX.

### FLAV. VESPASIANUS.

Hoc item ex genere Vespasianus, sanctus omnia, facundiae haud egens promendis, quae senserat, exsanguem diu fessumque terrarum orbem brevi refecit. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere; prudentissime ratus, nefaria ministeria a pluribus metu curari. Dein coniurationum multas scelere inulto abscedere patiebatur; comiter, uti erat, stultitiae arguens, qui ignorarent, quanta molës molestiaque imperio inesset. Simul divinis deditus, (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos, Titum ac Domitianum, fore. Praeterea legibus aequissimis monendo, quodque vehementius est, vitae specie, vitiorum plura aboleverat: infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversum pecuniam: quum satis constet, aerarii inopia ac labe urbium novas eum, neque aliquamdiu postea habitas, vectigalium pensiones exquisivisse. Namque Romae Capitolium, quod conflagrasse supra memoravimus, aedes Pacis, Claudii monumenta, amphitheatri tanta vis, multaeque aliae, ac forum, coepta ac patrata. Adhuc per omnes terras, qua ius Romanum est, renovatae urbes cultu egregio, viaeque operibus maximis munitae, et cavati montes per Flaminiam, prono transgressu. Quae tot tantaque, brevi confecta, intactis cultoribus, prudentiam magis, quam avaritiam probavere: simul, censu more veterum exercito, Senatu motus probrosior quisque; ac lectis undique optimis viris, mille gentes compositae, quum ducentas aegerrime reperisset, exstinctis saevitia tyrannorum plerisque. Ac bello rex Parthorum Vologesus in pacem coactus, atque in provinciam Syria, cui Palaestinae nomen, Iudaeique, adnitente filio Tito, quem transgrediens in Italiam reliquerat externae militiae, moxque victorem praefectura praetorio extulerat. Unde etiam honos is, ingens a principio, tumidior, atque alter ab Augusto imperio fuit. Verum hac tempestate dum honorum honestas despectatur, mixtique bonis indocti, ac prudentibus inertes sunt, fecere nomen plerique potentia vacuum insolens per iniurias, subiectum pessimo cuique, et annonae specie rapax.

## CAPUT X.

### T. FLAV. VESPASIANUS.

Ceterum Titus, postquam imperium adeptus est, incredibile [est] quantum, quem imitabatur, anteierit; praesertim litteris clementiaque ac muneribus. Denique quum concessa per priores principes firmari ab insequentibus mos esset; simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cavit prospexitque. Neque minus sancte facilis in tuendis, qui forte in se conspirassent: adeo ut, quum amplissimi ordinis duo abnuere cogitatum *scelus nequirent*, Patresque censuissent de confessis suppli-

cium sumendum: deductos in spectaculum [se] utrimque adsidere iussit, petitoque ex industria gladiatoris, quorum pugnae visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque
4 alteri committere. Queis perculsis et constantiam mirantibus: *Videtisne*, inquit, *potestates fato dari, frustraque tentari faci-*
5 *nus potiundi spe vel amittendi metu?* Ita biennio post, ac menses fere novem, amphitheatri perfecto opere, lautusque, veneno interiit, anno aevi quadragesimo, quum eius pater septua-
6 gesimo obiisset, Imperator decennii. Huius sane mors adeo provinciis luctui fuit, uti, generis humani delicias appellantes, orbatum orbem deflerent.

## CAPUT XI.

### T. FLAV. DOMITIANUS.

Igitur Domitianus, fratris atque Imperatoris optimi nece, privato scelere publicoque amentior, simul maculosae adolescen-
2 tiae, praedas, caedem, supplicia agere occoepit. Maior libidinum flagitio, ac plus quam superbe utens Patribus: quippe qui se dominum Deumque dici coëgerit; quod confestim ab insequentibus remotum, validius multo posthac deinceps retulere.
3 Sed Domitianus primo clementiam simulans, neque adeo iners
4 domi, belloque tolerantior videbatur. Idcircoque, Dacis et Cattorum manu devictis, Septembrem Octobremque menses, Germanici superiorem, e suo nomine alterum appellaverat: multaque opera inchoata per patrem, vel fratris studio, atque inprimis Capitolium, absolvit. Dehinc atrox caedibus bonorum,
5 segnisque, ridicule, remotis procul omnibus, muscarum agmina persequebatur, postquam ad libidinem minus virium erat, cuius
6 foedum exercitium Graecorum lingua *κλινοπάλην* vocabat. Hincque iocorum pleraque: nam percontanti cuidam, Quisquamne in palatio esset, responsum: *Ne musca quidem, nisi forte apud*
7 *palaestram*. Is ergo magis magisque saevitia nimius, eoque suspectior etiam suis, libertorum consilio, uxore non ignara, quae amorem histrionis viro praetulerat, poenas luit, quinto et qua-
8 dragesimo anno vitae, dominationis circiter quintodecimo. At Senatus gladiatoris more furus ferri, radendumque nomen de-
9 crevit. Quo moti milites, quibus privatae commoditates dispendio publico largius procedunt, auctores necis ad supplicium
10 repetere more suo seditiosius coeperunt. Qui vix aegreque per prudentes cohibiti, tandem in gratiam optimatum convenere.
11 Neque minus per se moliebantur bellum, quod his conversum imperium moestitiae erat, ob omissionem praedarum per *dona*
12 *munifica*. Hactenus Romae, seu per Italiam orti imperium rexere: hinc advenae; nescio quoque, an, ut in Prisco Tarquinio,
13 longe meliores. At mihi quidem audienti multa legentique plane compertum, urbem Romam externorum virtute atque insitivis artibus praecipue crevisse.

## CAPUT XII.

### COCCEIUS NERVA.

*Quid enim* Nerva Narniensi prudentius magisque moderatum?

Qui quum extrema aetate apud Sequanos, quo tyranni defecit 2
metu, imperium arbitrio legionum cepisset; ubi prospexit, nisi
a superioribus robustioribusque corpore animoque geri non
posse, mense sexto ac decimo semet eo abdicavit, dedicato prius
foro, quod appellatur Pervium, quo aedes Minervae eminentior
consurgit, et magnificentior. Id quum semper egregium sit, 3
metiri, quantum queas, neque ambitione praeceps agi; tum in
imperio, cuius adeo cupidi mortales sunt, ut id vel ultima senec-
tus avide petat. Huc accedit, quod suffecti virtute quantus 4
consilio esset, magis magisque patefecit.

## CAPUT XIII.

### ULPIUS TRAIANUS.

Namque Ulpium Traianum, Italica, urbe Hispaniae, ortum,
amplissimi ordinis tamen atque consulari loco, arrogatum ac-
cepit et dedit. Hoc aegre clarior domi, seu militiae reperietur. 2
Quippe primus, aut solus etiam, vires Romanas trans Istrum 3
propagavit, domitis in provinciam Dacorum pileatis Sacisque
nationibus, Decibalo rege ac Sardonio: simul ad ortum solis
cunctae gentes, quae inter Indum et Euphratem, amnes inclitos,
sunt, concussae bello; atque imperati obsides Persarum regi,
nomine Cosdroë, et inter ea iter conditum per feras gentes,
quo facile ab usque Pontico mari in Galliam permeatur. Ca- 4
stra suspectioribus atque opportunis locis exstructa; ponsque
Danubio impositus; ac deductae coloniarum pleraeque. Adhuc 5
Romae a Domitiano coepta fora, atque alia multa, plusquam
magnifice coluit ornavitque: et annonae perpetuae mire consul-
tum, reperto firmatoque pistorum collegio: simul noscendis
ocius, quae ubique e Republica gerebantur, admota media publici
cursus. Quod equidem munus, satis utile, in pestem orbis 6
Romani vertit posteriorum avaritia insolentiaque; nisi quod his
annis suffectae vires Illyrico sunt, Praefecto medente Anatolio.
Boni malique in republica nihil est, quod in diversum traduci 7
nequeat moribus praesidentium. Aequus, clemens, patientissi- 8
mus, atque in amicos perfidelis: quippe qui Surae familiari
opus sacraverit, quae Suranae sunt: usque eo innocentiae fidens, 9
uti Praefectum praetorio Saburanum nomine, quum insigne
potestatis, uti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit,
*Tibi istum ad munimentum mei committo, si recte agam; sin*
*aliter, in me magis:* quod moderatorem omnium vel errare mi-
nus fas sit. Quin etiam violentiam, quo vitio, uti Nerva,
angebatur, prudentia molliverat; curari vetans iussa post lon-
giores epulas. His virtutibus acto imperio annos prope viginti, 10
quum terrae motu gravi apud Antiochiam ceteraque Syriae
extremis afficeretur, rogata Patrum militiam repetens, morbo
periit, grandaeva aetate; adscito prius ad imperium Hadriano,
cive propinquoque. Abhinc divisa nomina Caesarum atque Au- 11
gusti; inductumque in Rempublicam, uti duo seu plures summae
potentiae, dissimiles cognomento ac potestate dispari sint.

12Quamquam alii Plotinae, Traiani coniugis, favore imperium adsecutum putent, quae viri testamento heredem regni institutum simularat.

## CAPUT XIV.

### AELIUS HADRIANUS.

Igitur Aelius Hadrianus, eloquio togaeque studiis accomoda-
2 tior, pace ad Orientem composita, Romam regreditur. Ibi Graecorum more, seu Pompilii Numae, caerimonias, leges, gymnasia, doctoresque curare occoepit; adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant, constitue-
3 ret; atque initia Cereris Liberaeque, quae Eleusina dicitur,
4 Atheniensium modo Roma percoleret. Deinde, uti solet tranquillis rebus, remissior, rus proprium Tibur secessit, permissa
5 urbe Lucio Aelio Caesari. Ipse, uti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas: postremo omnia satis anxie prospicere, quae luxus lasciviaeque essent.
6 Hinc orti rumores mali, iniecisse stupra puberibus, atque Antinoi flagravisse famoso ministerio, neque alia de caussa urbem
7 conditam eius nomine, aut locasse ephebo statuas. Quae quidem alii pia volunt religiosaque: quippe Hadriano cupiente fatum producere, quum voluntarium ad vicem magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum obiecisse se referunt; hincque
8 in eum officia supra dicta. Nos rem in medio relinquemus; quamquam in remisso ingenio suspectam aestimantes societatem
9 aevi longe imparilis. Interim Aelio Caesare mortuo, quum ipse animo parum valeret, idcircoque despectui haberetur, ad creroandum Caesarem Patres convocat. Quibus propere accurrentibus, forte Antoninum conspexit, senis soceri aut genitoris anrrrxios gressus levantem manu. Quo mire oblectatus, adoptatum legibus Caesarem iubet; statimque ab eo Senatus, cui ludibrio
12fuerat, magnam partem necari. Neque multo post apud Baias tabe interiit: anno imperii, absque mense, vicesimo secundo,
13senecta viridiore. At Patres ne principis oratu quidem ad Divi honorem eidem deferendum flectebantur; tantum amissos sui
14ordinis tot viros moerebant. Sed postquam subito prodiere, quorum exitium dolori erat, quique, suos complexi, censent, quod abnuerant.

## CAPUT XV.

### ANTONINUS PIUS.

Aurelio Antonino cognomentum Pii. Hunc fere nulla vitiorum
2 labes maculavit. Vir veterrimae familiae, e Lanuvino municipio, Senator Urbis: adeo aequalis, probisque moribus, uti plane docuerit, neque iugi pace ac longo otio absoluta ingenia corrumpi: eoque demum fortunatas urbes fore, si regna sapientiae
3 *sint.* Denique annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit,
4 *celebrato* magnifice Urbis nongentesimo. Nisi forte, triumpho-

rum expertem, socordiae videtur: quod longe secus est, quum 5
maius haud dubie sit, neque quemquam turbare ausum composita, neque ipsum ostentandi sui bellum fecisse quietis gentibus. Quin etiam, maribus frustratus, filiae viro Reipublicae consultavit. 6

## CAPUT XVI.

### M. AURELIUS ANTONINUS ET L. VERUS.

Namque M. Boionium, qui Aurelius Antoninus habetur, eodem oppido, pari nobilitate, philosophandi verò eloquentiaeque studiis longe praestantem, in familiam atque imperium adscivit. Cuius divina omnia domi militiaeque facta consultaque: quae 2
imprudentia regendae coniugis attaminavit: quae in tantum petulantiae proruperat, ut, in Campania sedens, amoena littorum obsideret, ad legendos ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores. Igitur Aurelius, socero apud Lorios anno vi- 3
tae post quintum et septuagesimum mortuo, confestim fratrem Lucium Verum in societatem potentiae accepit. Eius ductu 4
Persae, quum primum superavissent, ad extremum triumpho cessere, rege Vologeso. Lucius paucis diebus moritur; hincque 5
materies fingendi, dolo consanguinei circumventum: quem ferunt, quum invidia gestarum rerum angeretur, fraudem inter coenam exercuisse. Namque lita veneno cultri parte, vulvae frustum, quod de industria solum erat, eo praecidit; consumtoque uno, uti mos est inter familiares, alterum, qua virus contigerat, germano porrexit. Haec in tanto viro credere, nisi animi ad 6
scelus proni, non queunt. Quippe quum Lucium satis constet 7
Altini, Venetiae urbe, consumtum, tantumque Marco sapientiae, lenitudinis, innocentiae ac litterarum fuisse, ut is, Marcomannos cum filio Commodo, quem Caesarem suffecerat, petiturus, philosophorum obtestantium [corona] circumfunderetur, ne se expeditioni aut pugnae prius committeret, quam sectarum ardua et occulta explanavisset. Ita incerta belli eius salutè 8
doctrinae studiis metuebantur: tantumque illo imperante floruere artes bonae, ut illam gloriam etiam temporum putem. Legum 9
ambigua mire distincta, vadimoniorumque solemni remoto, denuntiandaeque litis operiendaeque ad diem commode ius introductum. Data cunctis promissa civitas Romana; multae urbes 10
conditae, deductae, repositae, ornataeque; atque inprimis Poenorum Carthago, quam ignis foede consumserat, Asiaeque Ephesus, ac Bithyniae Nicomedia, constratae terrae motu, aeque ac nostra aetate Nicomedia Cereali Consule. Triumphi acti ex 11
nationibus, quae regi Marcomaro ab usque urbe Pannoniae, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur. Ita 12
anno imperii octavo decimoque, aevi validior, Vendobonae interiit, maximo gemitu mortalium omnium. Denique, qui se- 13
iuncti in aliis, Patres ac vulgus, soli omnia decrevere, templa, columnas, sacerdotes.

## CAPUT XVII.

### L. AURELIUS COMMODUS.

*At filius saeva* a principio dominatione detestabilior habebe-

tur, praecipue per maiorum controversam memoriam; quae posteris usque eo gravis est, ut absque communi in impios odio,
2 quasi corruptores generis exsecrabiliores sint. Bello plane impiger: quo in Quados prospere gesto, Septembrem mensem
3 Commodum appellaverat. Moenia, Romana potentia vix digna,
4 lavandi usui instituit. Immiti prorsus feroque ingenio, adeo quidem, ut gladiatores, specie depugnandi, crebro trucidaret: quum ipse ferrum, obiectum veronibus plumbeis, uteretur.
5 Quumque eo modo plures confecisset, forte eum Scaeva nomine, audacia ac robore corporis pugnandique arte perfidens, ab studio tali deterruit: qui, spreto gladio, quem inutilem cerne-
6 bat, sufficere utrique ait, quo armabatur ipse. Eo metu, ne inter congressum, uti solet, extorto pugione conficeretur, Scaevam removit, atque, ad alios formidolosior, in feras belluasque
7 ferociam convertit. Quis rebus quum insatiabilem sanguinis cuncti horrescerent, coniuravere in eum maxime proximus quisque, quippe dominationi adeo fidus nemo, ipsique satellites, dum incestam mentem pravamque putant, et Commodum quidem primo occultatius veneno petivere, anno regni tertio fere atque
8 decimo. Cuius vis frustrata per cibum, quo se casu repleverat: quum tamen alvi dolorem caussaretur, auctore medico, principe
9 factionis, in palaestram perrexit. Ibi per ministrum unguendi (nam forte is quoque e consilio erat) faucibus, quasi arte exercitii, brachiorum nodo validius pressis, exspiravit. Quo cognito, Senatus, qui ob festa Ianuariorum frequens primo luci convenerat, simul plebes hostem Deorum atque hominum appellavere, radendumque nomen saxere: confestimque Praefecto Urbi Publio Helvio Pertinaci imperium defertur.

## CAPUT XVIII.

### PUBL. HELVIUS PERTINAX.

Hic doctrinae omnis ac moribus antiquissimis, immodice par-
2 cus, Curios aequaverat Fabriciosque. Eum milites, quis, exhausto iam perditoque orbe, satis videtur nihil, impulsore Didio, foede iugulavere octogesimo imperii die.

## CAPUT XIX.

### DIDIUS IULIANUS.

At Didius Salvius Iulianus, fretus praetorianis, quos in societatem promissis magnificentioribus perpulerat, ex praefectura
2 vigilum ad insignia dominatus processit. Genus ei pernobile, iurisque urbani praestans scientia; quippe qui primus edictum, quod varie inconditeque a Praetoribus promebatur, in ordinem
3 composuerit. Hincque satis compertum, cohibendae cupidini, ingenium ni iuvet, eruditionem imbecillem esse: quum praeceptor, et asper quidem, rectius vivendi, in facinus processe-
4 rit, quod novo supplicio plectendum ediderat. Neque tamen
5 *cupito potitus* diu. Namque eum, acceptis illico, quae acci-

derant, Septimius Severus, qui forte Syriae Legatus in extremis terris bellum gerebat, Imperator creatus, pontem proxime Milvium acie devicit; missique, qui fugientem insequerentur, apud palatium Romae obtruncavere.

## CAPUT XX.

### SEPTIMIUS SEVERUS.

Igitur Septimius, Pertinacis nece, simul flagitiorum odio, dolore atque ira commotior, cohortes praetorias statim militia exemit; cunctisque partium caesis, Helvium senatusconsulto inter Divos refert; Salvii nomen atque eius scripta factave aboleri iubet: quod unum effici nequivit. Tantum gratia doctarum 2
artium valet, ut scriptoribus ne saevi mores quidem ad memoriam officiant. Quin etiam mors huiuscemodi, ipsis gloriae, 3
exsecrationi auctoribus est: quum omnes, praecipueque posteri, 4
sic habent, illa ingenia, nisi publico latrocinio ac per dementiam, opprimi non potuisse. Quo bonis omnibus ac mihi fiden- 5
dum magis, qui, rure ortus tenuique et indocto patre, in haec tempora vitam praestiti, studiis tantis honestiorem. Quod equi- 6
dem gentis nostrae reor, quae fato quodam bonorum parte foecunda, quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos habet. Velut Severum ipsum, quo praeclarior in Republica fuit nemo: 7
quem, quamquam exacta aetate, mortuum, iustitio elogioque lugendum sanxere, adstruentes illum iustum nasci aut emori minime convenisse. Scilicet quod corrigendis moribus nimium, 8
postquam ad veterum innocentiam, quasi mentium sanitatem, pervenerant, clementem habuere. Ita honestas, quae principio anxia habetur, ubi contigerit, voluptati luxuriaeque est. Pe- 9
scennium Nigrum apud Cyzicenos, Clodium Albinum Lugduni victos coëgit mori: quorum prior Aegyptum dux obtinens, bellum moverat, spe dominationis; alter Pertinacis auctor occidendi, quum eo metu in Britannos, quam provinciam a Commodo meruerat, transmittere nitebatur, in Gallia invaserat imperium. Horum infinita caede crudelior habitus, ac cognomento 10
Pertinax; quamquam ob vitae parsimoniam similem, ipsum magis adscivisse plures putent: nobis mens ad credendum prona, acerbitati impositum. Nam quum quidam hostium, quem tamen, 11
uti bellis civilibus solet, conditio loci ad Albinum detulerat, caussa exposita, novissime conclusisset, *Quid, quaeso, faceres, si tu esses?* Ille respondit, *Ea perferrem, quae tu.* Quo dicto 12
factoque durius nihil bonis: quum sanctique huiuscemodi dissensiones, quamvis studiosius coeptas, fortunae increpent; magisque in protegendis, quam ad perdendum cives, verum corrumpi patiantur. At iste, delendarum cupidus factionum, quo 13
deinceps mitius ageret, necessitudinem facti ulcisci maluit, ne paulatim spe veniae in labem publicam per coniurationes procederetur, ad quas vitio temporum [agi] animos intelligebat: neque ego abnuo, ea delictorum, quae grassari immodice coeperint, plus paene quam severe excidenda esse. Felix ac pro- 14

dens, armis praecipue; adeo ut nullo congressu nisi victor discesserit, auxeritque imperium, subacto Persarum rege, no-
15mine Abgaro. Neque minus Arabas, simul adortus ut est, in
16ditionem redegit, provinciae modo. Adiabena quoque, ni ter-
17rarum macies despectaretur, in tributarios concessisset. Ob haec tanta Arabicum, Adiabenicum, et Parthici cognomento
18Patres dixere. His maiora adgressus, Britanniam, quae ad ea utilis erat, pulsis hostibus, muro munivit, per transversam in-
19sulam ducto utrimque ad finem Oceani. Quin etiam Tripoli, cuius Lepti oppido oriebatur, bellicosae gentes submotae pro-
20cul. Quae, factu ardua, facilius eo patrabantur, quo, impla-
21cabilis delictis, strenuum quemque praemiis extollebat. Denique ne parva latrocinia quidem impunita patiebatur, in suos animadvertens magis, quod vitio ducum aut etiam per factionem
22fieri vir experiens intelligeret. Philosophiae, declamandi, cunctis postremo liberalium deditus studiis; idemque abs se texta
23ornatu et fide paribus composuit. Legum conditor longe aequabilium. Huic tanto domi forisque, uxoris probra summam gloriae demsere: quam adeo famose amplexus est, uti, cognita
24libidine, ac ream coniurationis, retentarit. Quod quum infimo turpe, tum potentibus; et illi magis, cui non privati, neque singuli, aut flagitiosi, verum imperia, et exercitus, atque ipsa
25vitia concessere. Nam quum pedibus aeger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, eiusque filium Bassianum, qui Caesar una aderat, Augustum fecissent; in tribunal se ferri, adesse omnes, Imperatoremque ac Tribunos, Centuriones ac cohortes,
26quibus auctoribus acciderat, sisti reorum modo iussit. Quo metu stratus humi victor, quum tantorum exercitus veniam precaretur: *Sentitisne*, inquit, pulsans manu, *caput potius, quam*
27*pedes imperare?* Neque multo post Britanniae municipio, cui Eboraci nomen, annis regni duodeviginti morbo exstinctus est.
28Ortus medio humilis, primo litteris, deinde imbutus foro, quo parum commodante, uti rebus artis solet, dum tentat aut ex-
29quirit varia melioraque, conscendit imperium. Ibi graviora expertus, laborem, curas, metum, et incerta prorsus omnia, quasi testis vitae mortalium, *Cuncta*, inquit, *fui*; *conducit ni-*
30*hil.* Funus, quod liberi, Geta Bassianusque, Romam detulerant, mire celebratum, illatumque Marci sepulcro, quem adeo percoluerat, ut eius gratia Commodum inter Divos referri suaserit, fratrem appellans; Bassianoque Antonini vocabulum addiderat; quod ex illo, post multos dubiosque eventus, auspicia honorum
31cepisset patrocinio fisci. Proinde laborantibus secundarum ini-
32tia earumque auctores memoriae sunt. At posteri, quasi bellum inter se mandatis accepissent, confestim secessere. Ita Geta, cui nomen paterno ab avo erat, quum eius modestiore ingenio
33frater angeretur, obsessus interiit. Quae victoria Papiniani exitio foedior facta, ut sane putant memoriae curiosi; quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curavisse, monitumque, uti mos est, destinanda Romam quam celerrime componeret, dolore Getae dixisse, haudquaquam pari facilitate velari
*34parricidium*, qua fieret: idcirco morte adfectum. Sed haec

improbe absurda sunt, quum constet satis, praefecturam praetorio gessisse, neque incondite illum virum tantam contumeliam imponere potuisse, cui amori ac magisterio erat.

## CAPUT XXI.

### ANTONINUS CARACALLA.

Ceterum Antoninus incognita munerum specie urbem Romanam adiiciens, quod indumenta in talos demissa largiretur, Caracalla dictus; quum pari modo vesti Antonianae nomen e suo daret. Alamannos, gentem populosam, ex equo mirifice 2
pugnantem, prope Moenum amnem devicit. Patiens, communis, tranquillusque; pari fortuna, et eodem matrimonio, quo pater. Namque Iuliam novercam, cuius facinora supra memoravi, for- 3
ma captus, coniugem affectavit: quum illa factiosior, adspectui adolescentis, praesentiae quasi ignara, semet dedisset intecto corpore, adserentique, *Vellem, si liceret, uti:* petulantius multo (quippe quae pudorem velamento exuerat) respondisset: *Libet? plane licet.* Aegypti sacra per eum deportata Romam, atque 4
aucta Urbs magno accessu viae Novae, et ad lavandum absoluta opera pulchri cultus. Quibus confectis, quum Syriam circum- 5
grederetur, anno potentiae sexto moritur. Corporis reliqua 6
luctu publico relata Romam atque inter Antoninos funerata sunt.

## CAPUT XXII.

### OPILIUS MACRINUS ET DIADUMENUS.

Dehinc Opilius Macrinus, qui praefecturam praetorio gerebat, Imperator, eiusque filius, Diadumenus nomine, Caesar a legionibus appellatur. Quibus eo quod ingens amissi principis desi- 2
derium erat, adolescentem Antoninum vocavere. Horum nihil 3
praeter saevos atque inciviles animos interim reperimus. Qua 4
gratia, mensibus ferme quatuor ac decem vix retento imperio, per quos creati fuerant, interfecti sunt.

## CAPUT XXIII.

### M. AURELIUS ANTONINUS HELIOGABALUS.

Accitusque Marcus Antoninus, Bassiano genitus; qui, patre mortuo, in Solis sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tamquam asylum, insidiarum metu confugerat, hincque Heliogabalus dictus; translatoque Romam Dei simulacro, in palatii penetralibus [palatia] constituit. Hoc impurius ne improbae quidem aut petulantes mulieres fuere: quippe orbe toto obscoenissimos perquirebat, visendis tractandisve artibus libidinum ferendarum. Haec quum augerentur in dies, ac magis magisque 2
Alexandri, quem, comperta Opilii nece, Caesarem nobilitas nuncupaverat, amor cumularetur, in castris praetoriis tricesimo regni mense oppressus est.

## CAPUT XXIV.

### AURELIUS ALEXANDER.

Statimque Aurelio Alexandro, Syriae orto, cui duplex, Caesarea et Arca, nomen est, militibus quoque adnitentibus, Au-
2 gusti potentia delata. Qui, quamquam adolescens, ingenio supra aevum tamen, confestim apparatu magno bellum adversum Xerxem, Persarum regem, movet: quo fuso fugatoque, in Galliam maturrime contendit, quae Germanorum direptionibus
3 tentabatur. Ibi tumultuantes legionum plerasque constantissime
4 abiecit; quod in praesens gloriae, mox exitio datum. Nam dum tantae severitatis vim milites inhorrescunt, (unde etiam Severi cognomentum accesserat) agentem casu cum paucis vico Britan-
5 niae, cui vocabulum Sicila, trucidavere. Opus Urbi florentissimum celebreque fabricatus est; matrisque cultu, quae nomine
6 Mammaea erat, plus quam pius. Adhuc Domitium Ulpianum, quem Heliogabalus praetorianis praefecerat, eodem honore retinens, Paulloque inter exordia patriae reddito, iuris auctoribus, quantus erga optimos atque aequi studio esset, edocuit.
7 Neque ultra annos tredecim imperio functus, Rempublicam re-
8 liquit firmatam undique. Quae iam tum a Romulo ad Septimium certatim evolans Bassiani consiliis, tamquam in summo
9 constitit. Quo ne confestim laberetur, Alexandri fuit. Abhinc dum dominandi suis, quam subigendi externos, cupientiores sunt, atque inter se armantur, magis Romanum statum quasi abrupto praecipitavere, immissique in imperium promiscue boni
10 omalique, nobiles atque ignobiles, ac barbariae multi. Quippe ubi passim confusaque omnia, neque suo feruntur modo, quique fas putant, uti per turbam, rapere aliena officia, quae regere nequeunt, et inscientia bonarum artium foede corrumpunt.
11 Ita fortunae vis, licentiam nacta, perniciosa libidine mortales agit: quae, diu quidem virtute, uti muro, prohibita, postquam paene omnes flagitiis subacti sunt, etiam infirmis genere institutoque publica permisit.

## CAPUT XXV.

### CAIUS IULIUS MAXIMINUS.

Namque Caius Iulius Maximinus, praesidens rei bellicae, pri-
2 mus e militaribus, litterarum fere rudis, potentiam cepit suffragiis legionum. Quod tamen etiam Patres, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbaverunt: filiusque eius pari nomine Caius Iulius Maximinus Caesar factus est.

## CAPUT XXVI.

### GORDIANUS, PUPIENUS ET BALBINUS.

Queis biennium summis potitis, haud incommode proelio gesto contra Germanos, repente Antoninus Gordianus Africae Pro*consul, ab* exercitu Princeps apud Thydri oppidum absens fit.

Quo ut accitus pervenit, tamquam ea re creatus foret, seditione 2
excipitur: qua lenita facile, Carthaginem petit. Ibi quum aver- 3
tendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem di-
vinam solitis ageret, repente hostia partum edidit. Id haruspi- 4
ces, atque ipse maxime, (nam huius scientiae usu immodice
prudens erat) ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum
liberis pariturum imperium: progressique coniectu longius liberi
quoque exitum denuntiavere, mitem atque innoxium praefantes
fore, ut illud pecus, nec diuturnum tamen, subiectumque insi-
diis. Interim Romae, comperto Gordiani interitu, hortante 5
Domitio, Urbi Praefectus reliquique iudices vulgo caeduntur
per praetorias cohortes. Quippe Gordianus, postquam delatum 6
sibi imperium cognovit, praemia amplum in modum ostentans,
Romam legatos ac litteras destinaverat; quibus, necato eo, fru-
stratos se milites angebantur, genus hominum pecuniae cupidius,
fidumque ac bonum solo quaestu. At Senatus metuens, ne, 7
nullis rectoribus, specie captae Urbis, atrociora acciderent, pri-
mo potestatum vices, mox, conscriptis iunioribus, Clodium Pu-
pienum, Caecilium Balbinum Caesares constituit.

## CAPUT XXVII.

### GORDIANUS NEPOS.

Iisdemque per Africam diebus milites Gordianum, Gordiani
filium, qui forte contubernio patris praetextatus ac deinceps
Praefectus praetorio intererat, Augustum creavere; neque sane
factum nobilitas adspernata. Denique accito eo, inter implana 2
Urbis atque ipso sinu praetoriae manus acie deletae per gladia-
torum familias tironumque exercitum. Dum haec Romae gerun- 3
tur, Iulii Maximini, quos forte ea tempestate Thracia retinebat,
acceptis quae evenerant, Italiam propere petunt. Eos Pupienus 4
Aquileiae obsidione confecit, postquam proelio victos reliqui
paullatim deseruerant. Horum imperio ad biennium per huius- 5
modi moras annus quaesitus. Neque multo post tumultu mili- 6
tarium Clodio Caecilioque Romae intra palatium caesis, Gordia-
nus solus regnum obtinuit. Eoque anno lustri certamine, quod 7
Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus
est; quum prius Iani aedes, quas Marcus clauserat, patentes
more veterum fecisset. Ibi gesto insigniter bello, Marci Phi- 8
lippi Praefecti praetorio insidiis periit sexennio imperii.

## CAPUT XXVIII.

### PHILIPPI DUO, PATER ET FILIUS.

Igitur Marcus Iulius Philippus, Arabs Thraconites, sumto in
consortium Philippo filio, rebus ad Orientem compositis, con-
ditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere:
exstructoque trans Tiberim lacu, quod eam partem aquae pe-
nuria fatigabat, annum Urbis millesimum ludis omnium generum
celebrant. Et quoniam nomen admonuit, nostra quoque aetate 2

post mille centesimus, consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus: adeo in dies cura minima Ro-
3 manae urbis. Quod equidem denuntiatum illo tempore prodi-
4 giis portentisque: ex quis unum memorare brevi libet. Nam quum Pontificum lege hostiae mactarentur, suis utero maris
5 feminarum genitalia apparuere. Id haruspices solutionem po-
6 sterorum portendere, vitiaque fore potiora, interpretati. Quod frustratum iri aestimans Imperator Philippus, tum quia forte praeteriens, filii similem meritorio ephebum pro conspexerat,
7 usum virilis scorti removendum honestissime consultavit. Verumtamen manet: quippe conditione loci mutata, peioribus flagitiis agitatur, dum avidius periculosa, quibusque mortales
8 prohibentur, petunt. Huc accedit, quod longe aliud Etruscorum artes cecinerant, quae, bonis parte plurima iacentibus,
9 mollissimum quemque beatum fore adserebant. Eos ego ignorasse verum plane puto. Etenim, quamvis rerum omnium prospero successu, pudore amisso tamen, fortunatus quis esse po-
10 otest? quum, eodem retento, cetera tolerabilia sint. His actis, filio Urbi relicto, ipse, quamquam debili per aetatem corpore, adversum Decium profectus, Veronae cadit, pulso amissoque
11 exercitu. Quis Romae compertis, apud castra praetoria filius interficitur. Annos potentiae quinque egere.

## CAPUT XXIX.

### DECIUS.

Et Decius, Sirmiensium vico ortus, militiae gradu ad imperium conspiraverat, laetiorque hostium nece, filium, Etruscum nomine, Caesarem facit; statimque eo in Illyrios praemisso, Romae aliquantum moratur moenium gratia, quae instituit, de-
2 dicandorum. Et interea ad eum Iotapiani, qui, Alexandri tumens stirpe, per Syriam tentans nova, militum arbitrio occubuerat, ora, uti mos est, inopinato feruntur, simulque per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas praesidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu, postquam, direptis Thraciae
3 plerisque, illo pervenerant. Qua caussa Decio quam potuit maturrime Roma digresso, Iulius Valens cupientissimo vulgo imperium capit. Verum utrique mox caesi, quum Priscum no-
4 bilitas hostem patriae censuisset. Decii, barbaros trans Danubium persectantes, Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio.
5 Sed Deciorum mortem plerique illustrem ferunt. Namque filium audacius congredientem cecidisse in acie: patrem autem, quum perculsi milites ad solandum Imperatorem multa praefarentur, strenue dixisse, detrimentum unius militis parum videri sibi. Ita refecto bello, quum impigre decertaret, interiisse pari modo.

## CAPUT XXX.

### GALLUS ET HOSTILIANUS.

Haec ubi Patres comperere, Gallo Hostilianoque Augusta im-
2 peria, Volusianum, Gallo editum, Caesarem decernunt. Dein

pestilentia oritur: qua atrocius saeviente, Hostilianus interiit; Gallo Volusianoque favor quaesitus, quod anxie studioseque tenuissimi cuiusque exsequias curarent.

## CAPUT XXXI.

### AEMILIUS AEMILIANUS.

Igitur his Romae morantibus, Aemilius Aemilianus summam potestatem, corruptis militibus, arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnae ab suis caeduntur, spe praemii maioris ab Aemilio, cui nullo labore seu detrimento victoria obveniebat: simul quia immodici per luxum lasciviamque, officia benevolentiae corruperant. His sane omnibus biennio profecit. Nam Aemilianus quoque tres menses usus modesto imperio, morbo absumtus est; quum proceres primo hostem, dein, exstinctis superioribus, pro fortuna, ut solet, Augustum appellavissent.

## CAPUT XXXII.

### LICINIUS VALERIANUS.

At milites, qui, contracti undique, apud Rhaetias ob instans bellum morabantur, Licinio Valeriano imperium deferunt. Qui, quamquam genere satis claro, tamen, uti mos tum etiam erat, militiam sequebatur. Eius filium Gallienum Senatus Caesarem creat; statimque Tiberis adulta aestate diluvii facie inundavit. Prudentes perniciosum Reipublicae cecinere, adolescentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat, unde amnis praedictus. Quod equidem confestim evenit. Nam quum eius pater bellum per Mesopotamiam anceps diuturnumque instruit, Persarum regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumventus, foede laniatus interiit, imperii anno sexto, aetate robustiore.

## CAPUT XXXIII.

### LICINIUS GALLIENUS CUM SALONINO.

Sub idem tempus Licinius Gallienus, quum a Gallia Germanos strenue arceret, in Illyricum properans descendit. Ibi Ingenuum, quem, curantem Pannonos, comperta Valeriani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiae devicit; moxque Regallianum, qui, receptis militibus, quos Mursina labes reliquos fecerat, bellum duplicaverat. His prospere ac supra vota cedentibus, more hominum, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum Salonino filio, cui honorem Caesaris contulerat, adeo uti Thraciam Gothi libere progressi, Macedonas Achaeosque et Asiae finitima occuparent: Mesopotamiam Parthi: Orienti latrones seu mulier dominaretur: Alamannorum vis tunc aeque Italiam; Francorum gentes, directa Gallia, Hispaniam possiderent, vastato ac paene directo Tarraconensium oppido, nactisque in tempore navigiis, pars in usque Africam permea-

ret: et amissa trans Istrum, quae Traianus quaesierat. Ita quasi ventis undique saevientibus, parvis maxima, ima summis orbe toto miscebantur. Simulque Romam pestilentia grassabatur, quae saepe curis gravioribus atque animi desperatione oritur. Inter haec ipse popinas ganeasque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis haerebat, expositus Saloninae coniugi atque amori flagitioso filiae Attali, Germanorum regis, Pipae nomine: qua caussa etiam civiles motus longe atrociores orti. Namque primus omnium Postumus, qui forte barbaris per Galliam praesidebat, imperium ereptum ierat: explosaque Germanorum multitudine, Laeliani bello excipitur. Quo non minus feliciter fuso, suorum tumultu periit; quod flagitantibus Moguntiacorum direptiones, quia Laelianum iuverant, abnuisset. Igitur eo occiso, Marius, ferri quondam opifex, neque etiam tum militiae satis clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderant, ut talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio essent. Hinc denique ioculariter dictum, nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius, eiusdem artis auctor, stirpisque ac nominis, solidavisset. Hoc iugulato post biduum, Victorinus deligitur, belli scientia Postumo par, verum libidine praecipiti: qua cohibita in exordio, post biennii imperium, constupratis vi plerisque, ubi Attitiani coniugem concupivit, facinusque ab ea viro patefactum est, accensis furtim militibus, per seditionem Agrippinae occiditur. Tantum actuariorum, quorum loco Attitianus habebatur, in exercitu factiones vigent, ut arduum petentibus malitia patraretur: genus hominum, praesertim hac tempestate, nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum; annonae dominans, eoque utilia curantibus, et fortunis aratorum infestum; prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Interim Victoria, amisso Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorem facit, qui familia nobili, praesidatu Aquitanos tuebatur; filioque eius Tetrico Caesarea insignia impartiuntur. At Romae Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbe suadebat, crebro etiam, uti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promtius simulata confirmarentur, exercens. Sed postquam periculum propinquabat, tandem Urbe egreditur. Namque Aureolus, quum per Rhaetias legionibus praeesset, excitus, uti mos est, socordia tam ignavi ducis, sumto imperio, Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie Mediolanum coegit. Quam urbem dum machinationibus omnis generis oppugnat, ab suis interiit. Quippe Aureolus, ubi solvendi obsidii spem inanem videt, ducum Gallieni Tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem, astu composuit, litterasque e muro, quam occultissime potuit, abiecit; quae forte a memoratis repertae, metum suspicionemque iniecere mandati exitii, verum eas effluxisse incuria ministrorum. Qua caussa *Heracliani* consilio, cuius gratia in exercitu atque honor prae-

stabant, simulata proruptione hostium, nullis, uti re trepida
ac repentina solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt
nocte intemperata; teloque traiicitur, cuiusnam, per tenebras
incertum. Ita auctoris necis errore, an quia bono publico
acciderat, inulta caedes fuit. Quamquam eo prolapsi mores
sunt, uti suo, quam Reipublicae, magisque potentiae, quam
gloriae studio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nomi-
num corrupta; quum plerumque potior flagitio, ubi armis su-
peraverit, tyrannidem amotam vocaverit, damno publico op-
pressos. Quin etiam aliquanti pari libidine in coelestium nu-
merum referuntur, aegre exsequiis digni. Queis ni fides rerum
gestarum obstitisset, quae neque honestos praemiis memoriae
frustrari sinit, neque improbis aeternam illustremque famam
procedere; nec cuiquam peteretur virtus, quum verum illud
atque unicum decus pessimo cuique gratia tribueretur, demtum
impie bonis. Denique Gallienum subacti a Claudio Patres, quod
eius arbitrio imperium cepisset, Divum dixere. Nam quum
profluvio sanguinis, vulnere tam gravi, mortem sibi adesse in-
telligeret, insignia imperii ad Claudium destinaverat, honore
tribunatus Ticini retinentem praesidiariam manum. Quod sanae
extortum: quum neque Gallieni flagitia, dum urbes erunt, oc-
cultari queant; et quisque pessimus erit, par similisque semper
ipsi habebitur. Adeo principes atque optimi mortalium, vitae
decore, quam quaesitis nominibus atque compositis, quantum
coniiciatur, coelum adeunt, seu fama hominum Dei celebrantur
modo. At Senatus, comperto tali exitio, satellites propinquos-
que per scalas Gemonias praeceps agendos decrevit, patronoque
fisci in curiam perducto effossos oculos pependisse satis constat;
quum irruens vulgus, pari clamore, Terram matrem Deosque
inferos precaretur, sedes impias uti Gallieno darent. Ac nisi
Claudius, confestim recepta Mediolani urbe, tamquam postulato
exercitus, parcendum, qui forte eorum supererant, praecepisset;
nobilitas plebesque atrocius grassarentur. Et Patres quidem,
praeter commune Romani malum orbis, stimulabat proprii or-
dinis contumelia: quia primus ipse, metu socordiae suae, ne
imperium ad optimos nobilium transferretur, Senatum militia
vetuit; etiam adire exercitum. Huic novem annorum potentia fuit.

## CAPUT XXXIV.

### CLAUDIUS.

Sed Claudii imperium milites, quos fere contra ingenium per-
ditae res subigunt recta consulere, ubi afflicta omnia perspexe-
re, avide approbant extolluntque, viri laborum patientis, aequi-
que ac prorsus dediti Reipublicae: quippe ut longo intervallo
Deciorum morem renovaverit. Nam quum pellere Gothos cu-
peret, quos diuturnitas nimis validos, ac prope incolas effecerat,
proditum ex libris Sibyllinis est, primum ordinis amplissimi
victoriae vovendum. Quumque is, qui esse videbatur, semet
obtulisset, sibi potius id muneris competere ostendit, qui re-

5 vera Senatus atque omnium princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi barbari summotique, postquam Imperator vitam
6 Reipublicae dono dedit. Adeo bonis salus civium ac longe sui memoria cariora sunt; quae non gloriae modo, verum etiam
7 ratione quadam posterorum felicitati proficiunt. Hoc siquidem Constantius et Constantinus, atque Imperatores nostri *** corporisque acceptior militibus, praemiorum spe, seu lasciviae.
8 Quo aegra asperiorque victoria fuit, dum, uti mos subditis erat, studio impune peccandi, remissa imperia promtius, quam utilia defendunt.

## CAPUT XXXV.

### AURELIANUS.

Ceterum Aurelianus, successu tanto vehementior, confestim,
2 quasi belli reliquiae superessent, in Persas progressus est. Quis deletis, Italiam repetivit, cuius urbes Alamannorum vexationi-
3 bus affligebantur. Simul Germanis Gallia demotis, Tetrici, de quo supra commemoravimus, caesae legiones, proditore ipso
4 duce. Nam Tetricus, quum Faustini praesidis dolo corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per litteras praesidium imploraverat, eique adventanti, producta ad speciem acie, in-
5 ter pugnam se dedit. Ita, uti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt: ipse post celsum biennii imperii in triumphum ductus, Lucaniae correcturam, filioque veniam atque ho-
6 norem Senatorum cooptavit. Neque secus intra Urbem monetae opifices deleti: qui, quum auctore Felicissimo rationali nummariam notam corrosissent, poenae metu bellum fecerant, usque eo grave, uti, per Coelium montem congressi, septem
7 fere millia bellatorum confecerint. His tot tantisque prospere gestis, fanum Romae Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis. Ac ne umquam, quae per Gallienum evenerant, acciderent, muris Urbem quam validissimis laxiore ambitu circumsepsit: simulque usus porcinae carnis, quo plebi Romanae affatim cederet, prudenter munificeque prospectavit: deletaeque fiscales et quadruplatorum, quae Urbem miserabiliter affecerant, calumniae, consumtis igni tabulis monumentisque huiusmodi negotiorum, atque ad Graeciae morem decreta abolitione; inter quae avaritiae peculatum, provinciarum praedatores, contra morem militarium, quorum e numero erat, immane quantum
8 insectabatur. Qua caussa ministri scelere, cui secretorum officium crediderat, circumventus, apud Coenophrurium interiit: quum ille, praedae conscientia delictique, scripta callide composita Tribunis, quasi per gratiam, prodidisset, quibus interfici iubebantur: illique, eo metu accensi, facinus patravere.
9 Interea milites, omisso Principe, legatos statim Romam destinant, uti suopte arbitratu Patres Imperatorem deligerent. Quibus hoc ipsorum potissimum convenire munus respondentibus, rursum legiones ad eos reiiciunt. Ita utrimque pudore ac mo-
destia decertabatur, rara in hominibus virtute, rebus praeser-
rtim huiusmodi, ac prope ignota militibus. Tantum ille vir

severitate atque incorruptis artibus potuit, ut eius necis auctoribus exitio, pravis metui, stimulo dubiis, optimo cuique desiderio, nemini insolentiae aut ostentationi esset. Atque etiam 12
soli, quasi Romulo, interregni species obvenit, longe vero gloriosior. Quod factum praecipue edocuit, cuncta in orbis modo 13
verti; nihilque accidere, quod rursum naturae vis ferre nequeat aevi spatio. Adhuc virtutibus principum res attolli facile, vel 14
afflictas, easque firmiores praeceps vitiis dari.

## CAPUT XXXVI.

### TACITUS ET FLORIANUS.

Igitur tandem Senatus, mense circiter post Aureliani interitum sexto, Tacitum e Consularibus, mitem sane virum, Imperatorem creat; cunctis fere laetioribus, quod militari ferocia legendi ius principis proceres recepissent. Quae tamen laetitia 2
brevis, neque exitu tolerabili fuit. Namque Tacito confestim a ducentesima regni luce Tyanae mortuo; quum tamen prius auctores Aureliani necis, maximeque Mucaperem ducem, quod ipsius ictu occiderat, excruciavisset; Florianus, eiusdem frater, nullo Senatus seu militum consulto, imperium invaserat.

## CAPUT XXXVII.

### PROBUS.

Qui, uno mense aut altero vix retentata dominatione, apud Tarsum ab suis interficitur. Post quem Probum, in Illyrico 2
factum, accepere, ingenti belli scientia exercitandisque varie militibus ac duranda iuventute prope Hannibalem alterum. Nam- 3
que ut ille oleis Africae pleraque per legiones, quarum otium Reipublicae atque ductoribus suspectum rebatur, eodem modo hic Galliam Pannoniasque et Moesorum colles vinetis replevit: postea sane quam barbarorum attritae gentes sunt, quae, nostris Principibus suorum scelere interfectis, irruperant; simul caesis, Saturnino per Orientem, Agrippinae Bonoso [cum] exercitu: nam utrique dominatum tentaverant, sumta, cui duces praeerant, manu. Qua caussa, receptis omnibus pacatisque, dixisse 4
proditur, brevi milites frustra fore. Hinc denique magis irritati paullo cis sextum annum apud Sirmium trucidavere, quum ad siccandam lacunis ac fossa urbem ipsi patriam adigerentur, quae palustri solo hiemalibus aquis corrumpitur. Abhinc militaris 5
potentia convaluit, ac Senatui imperium creandique ius principis ereptum ad nostram memoriam: incertum, an, ipso cupiente, per desidiam, an metu seu dissensionum odio. Quippe amisso 6
Gallieni edicto, refici militia potuit, concedentibus modeste legionibus, Tacito regnante, neque Florianus temere invasisset, aut iudicio manipularium cuiquam, bono licet, imperium daretur, amplissimo ac tanto ordine in castris degente. Verum dum 7
oblectantur otio, simulque divitiis pavent, quarum usum affluentiamque aeternitate maius putant, munivere militaribus ac paene barbaris viam in se ac posteros dominandi.

## CAPUT XXXVIII.

### CARUS, CARINUS ET NUMERIANUS.

Igitur Carus praefectura pollens praetorii, augusto habitu,
a liberis Caesaribus, Carino Numerianoque. Et quoniam, cognita
Probi morte, barbarorum quique opportune invaserant, misso
ad munimentum Galliae maiore filio, Numeriani comitatu in
Mesopotamiam pergit protinus; quod ea Persarum quasi sole-
3 mni bello subest. Ubi, fusis hostibus, dum gloriae inconsulte
avidior, Ctesiphonta, urbem Parthiae inclytam, transgreditur,
4 fulminis tactu conflagravit. Id quidam iure ei accidisse referunt.
Nam quum oracula docuissent, adusque oppidum memoratum
5 perveniri victoria licere, longius delatus, poenas luit. Proinde
6 arduum fatalia devertere; eoque futuri notio superflua. At Nu-
merianus, amisso patre simul confectum aestimans bellum, quum
exercitum reductaret, Apri, Praefecti praetorio, soceri, insidiis
7 exstinguitur; quis casum detulit adolescentis oculorum dolor.
8 Denique dia facinus occultatum, dum clausum lectica cadaver,
specie aegri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur.

## CAPUT XXXIX.

### VALERIUS DIOCLETIANUS.

Sed postquam odore tabescentium membrorum scelus proditum
est, ducum consilio Tribunorumque Valerius Diocletianus, do-
mesticos regens, ob sapientiam deligitur, magnus vir, his mo-
2 ribus tamen: quippe qui primus, ex auro veste quaesita, serici
3 ac purpurae gemmarumque vim plantis concupiverit. Quae
quamquam plus, quam civilia, tumidique et affluentis animi;
4 levia tamen prae ceteris. Namque se primus omnium, Caligu-
lam post Domitianumque, Dominum palam dici passus, et ado-
5 rari se, appellarique uti Deum. Quis rebus, quantum ingenium
est, compertum habeo, humillimos quosque, maxime ubi alta
6 accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. Hinc
Marius, patrum memoria; hinc iste nostra, communem habitum
supergressi, dum animus potentiae expers, tamquam media re-
7 fecti, insatiabilis est. Quo mihi mirum videtur, nobilitati
plerosque superbiam dare; quae, gentis patriciae memor, mo-
lestiarum, quis agitatur, remedio, eminere paullulum pluris ha-
8 bet. Verum haec in Valerio obducta ceteris bonis; eoque ipso,
quod Dominum dici passus, parentem egit: satisque constat,
prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis,
9 quam nominum, officere. Interim Carinus eorum, quae acci-
derant, certior, spe, facilius erumpentes motus sedatum iri,
10Illyricum propere Italiae circuitu petit. Ibi Iuliapum, pulsa
11eius acie, obtruncat. Namque is, quum Venetos correctura
ageret, Cari morte cognita, imperium avens eripere, adventanti
12hosti obviam processit. At Carinus, ubi Moesiam contigit, il-
lico Margum iuxta Diocletiano congressus, dum victos avide
premeret, suorum ictu interiit, quod, libidine impatiens, mi-

Hilarium nuptas affectabat: quarum infestiores viri iram tamen
doloremque in eventum belli distulerant. Quo prosperius ce-
dente, metu, ne huiusmodi ingenium magis magisque victoria
insolesceret, sese ulti sunt Is finis Caro liberisque: Narbone3
patria, imperium biennii fuere. Igitur Valerius prima ad exer-14
citum concione, quum, educto gladio, solem intuens, obtesta-
retur, ignarum cladis Numeriani, neque imperii cupientem se
fuisse, Aprum proxime adstantem ictu transegit; cuius dolo, uti
supra docuimus, adolescens bonus facundusque et gener occide-
rat. Ceteris venia data, retentique hostium fere omnes, ac15
maxime vir insignis Aristobulus, Praefectus praetorio, per officia
sua. Quae res post memoriam humanam nova atque inopinabi-16
lis fuit, civili bello, fortunis, fama, dignitate, spoliatum ne-
minem: quum pie admodum mansueteque geri laetemur, exsilio,
proscriptioni, atque etiam suppliciis et caedibus modum fieri.
Quid ea memorem, adscivisse consortio multos externosque,17
tuendi prolatandive gratia iuris Romani? Namque ubi comperit
Carini discessu, Aelianum Amandumque per Galliam, excita
manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolae vocant,
populatis late agris, plerasque urbium tentare; Maximianum
statim, fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiae tamen
atque ingenio bonum, Imperatorem iubet. Huic postea cultu18
numinis Herculei cognomentum accessit, uti Valerio Iovium:
unde etiam militaribus auxiliis longe in exercitum praestantibus
nomen impositum. Sed Herculius, in Galliam profectus, fusis19
hostibus aut acceptis, quieta omnia brevi patraverat. Quo bello20
Carausius, Menapiae civis, factis promtioribus enituit; eoque
eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede
exercuerat) gnarus habebatur, parandae classi ac propulsandis
Germanis, maria infestantibus, praefeccre. Hoc elatior, quum21
parum multos opprimeret, neque praedae omnia in aerarium
referret, Herculii metu, a quo se caedi iussum compererat, Bri-
tanniam hausto [augusto] imperio capessivit. Eodem tempore22
Orientem Persae, Africam Iulianus, ac nationes Quinquegentanae
graviter quatiebant. Adhuc apud Aegypti Alexandriam Achilleus23
nomine dominationis insignia induerat. His de caussis Iulium24
Constantium, Galerium Maximianum, cui cognomen Armentario
erat, creatos Caesares, in affinitatem vocant. Prior Herculii25
privignam, alter Diocletiano editam sortiuntur, diremtis prio-
ribus coniugiis; ut in Nerone Tiberio ac Iulia filia Augustus
quondam fecerat. His sane omnibus Illyricum patria fuit; qui,26
quamquam humanitatis parum, ruris tamen ac militiae miseriis
imbuti, satis optimi Reipublicae fuere. Quare constat, sanctos27
prudentesque sensu mali promtius fieri; contraque expertes
aerumnarum, dum opibus suis cunctos aestimant, minus con-
sulere. Sed horum concordia maxime edocuit, virtuti ingenium,28
usumque bonae militiae, quanta his Aureliani Probique institu-
tio fuit, paene sat esse. Denique Valerium, ut parentem, seu29
Dei magni suspiciebant modo: quod quale quantumque sit, ab
Urbis conditore ad nostram aetatem propinquorum facinoribus
patefactum est. Et quoniam bellorum moles, de qua supra30

memoravimus, acrius urgebat, quasi partito imperio, cuncta, quae trans Alpes Galliae sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque Herculio; Illyricique ora adusque Ponti fretum Galerio; cetera Valerius retentavit. Hinc denique parti Italiae invectum tributorum ingens malum. Nam quum omnis eadem functione moderataque ageret, quo exercitus atque Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent; pensionibus inducta lex nova. Quae sane illorum temporum modestia tolerabilis, in perniciem processit his tempestatibus. Interim, Iovio Alexandriam profecto, provincia credita Maximiano Caesari, uti, relictis finibus, in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quis primo graviter vexatus, contracto confestim exercitu e veteranis ac tironibus, per Armeniam in hostes contendit: quae ferme sola seu facilior vincendi via est. Denique ibidem Narseum regem in ditionem subegit: simul liberos coniugesque et aulam regiam. Adeo victor, ut ni Valerius, cuius nutu omnia gerebantur, incertum qua caussa, abnuisset, Romani fasces in provinciam novam ferrentur. Verum pars terrarum tamen nobis utilior quaesita: quae quum acrius reposcuntur, bellum recens susceptum est, grave admodum perniciosumque. At in Aegypto Achilleus, facili negotio pulsus, poenas luit. Per Africam gestae res pari modo; solique Carausio remissum insulae imperium, postquam iussis ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus. Quem arsane sexennio post Allectus nomine dolo circumvenit. Qui, quum eius permissu summae rei praeesset, flagitiorum et ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat. Quo usum brevi, Constantius, Asclepiodoto, qui praetorianis Praefectus praeerat, cum parte classis ac legionum praemisso, delevit. Et interea caesi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum; cuius fere pars iam tum ab Aureliano * erat. Neque minore studio pacis officia vincta legibus aequissimis, ac remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt. Qui quum ad explorandum adnuntiandumque, qui forte in provinciis motus exsisterent, instituti viderentur; compositis nefarie criminationibus, iniecto passim metu, praecipue remotissimo cuique, cuncta foede diripiebant. Simul annona Urbis ac stipendiariorum salus anxie solliciteque habita; honestiorumque provectu, et e contra, suppliciis flagitiosi cuiusque, virtutum studia augebantur. Veterrimae religiones castissime curatae. Ac mirum in modum novis adhuc cultisque moenibus Romana culmina et ceterae urbes ornatae; maxime Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen, quum haec agerent, extra vitia fuerunt. Quippe Herculius libidine tanta agebatur, ut ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret. Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sane metu; dum enuntiationibus posse agitari quietem consortii putat. Hinc etiam quasi truncatae vires Urbis, imminuto praetoriarum cohortium atque in armis vulgi numero: quo quidem plures volunt imperium posuisse. Namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades et

quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani; celebrato regni vicesimo anno, valentior curam Reipublicae abiecit; quum in sententiam Herculium aegerrime traduxisset, cui anno minus potentia fuerat. Et quamquam, aliis alia aestimantibus, veri gratia corrupta sit, nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam, spreto ambitù, descendisse.

## CAPUT XL.

### CONSTANTIUS ET ARMENTARIUS, SEVERUS ET MAXIMINUS, ITEM CONSTANTINUS ET MAXENTIUS.

Igitur Constantio Armentarioque his succedentibus, Severus Maximinusque, Illyricorum indigenae, Caesares, prior Italiam, posterior in quae Iovius obtinuerat, destinantur. Quod tolerare 2
nequiens Constantinus, cuius iam tum a puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur, fugae commento, quum ad frustrandos insequentes publica iumenta, quaqua iter egerat, interficeret, in Britanniam pervenit: nam is a Galerio religionis specie ad vicem obsidis tenebatur. Et forte iisdem 3
diebus ibidem Constantium patrem vitae ultima agebant. Quo 4
mortuo, cunctis, qui aderant, adnitentibus, imperium capit. Interim Romae vulgus turmaeque praetoriae Maxentium, retrac- 5
tante diu patre Herculio, Imperatorem confirmant. Quod ubi 6
Armentarius accepit, Severum Caesarem, qui casu ad Urbem 7
erat, arma in hostem ferre propere iubet. Is circum muros quum ageret, desertus a suis, quos praemiorum illecebris Maxentius traduxerat, fugiens, obsessusque Ravennae obiit. Hoc 8
acrior Galerius, adscito in consilium Iovio, Licinium vetere cognitum amicitia Caesarem, creat Augustum; eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciae relicto, Romam contendit. Ibi 9
quum obsidione distineretur, militibus eadem, qua superiores, via attentatis, metu ne desereretur, Italia decessit; paulloque post vulnere pestilenti consumtus est, quum agrum satis Reipublicae commodantem, caesis immanibus silvis, atque emisso in Danubium lacu Pelsone, apud Pannonios fecisset. Cuius gra- 10
tia provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit. Huic quin- 11
quennii imperium; Constantio annuum fuit: quum sane uterque potentiam Caesarum annos tredecim gessissent. Adeo miri na- 12
turae officiis, ut ea, si a doctis pectoribus proficiscerentur, neque insulsitate offenderent, haud dubie praecipua haberentur. Quare compertum est, eruditionem, elegantiam, comitatem 13
praesertim, principibus necessarias esse; quum sine his naturae bona quasi incomta, aut etiam horrida despectui sint, contraque ea Persarum regi Cyro aeternam gloriam paraverint. At 14
memoria mea Constantinum, quamquam ceteris promtum virtutibus, adusque astra votis omnium subvexere. Qui profecto si 15
munificentiae atque ambitioni modum, hisque artibus statuisset, quis praecipue adulta ingenia gloriae studio progressa longius in contrarium labuntur, haud multum abesset Deo. Is ubi va- 16
stari Urbem atque Italiam comperit, pulsosque seu redemtos exercitus, et Imperatores duos, composita pace per Gallias,

17 Maxentium petit. Ea tempestate apud Poenos Alexander pro Praefecto gerens, dominatui stolide incubuerat: quum ipse debili aetate, agrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior, milites, tumultuarieque quaesiti, armorum vix medium haberetur.
18 Denique eum a tyranno missi paucissimis cohortibus Rufius Volusianus Praefectus praetorio, ac militares duces levi certamine
19 confecere. Quo victo, Maxentius Carthaginem, terrarum decus, simul Africae pulchriora vastari, diripi, incendique iusserat;
20 ferus inhumanusque ac libidine multo tetrior. Adhuc pavidus et imbellis, atque in desidiam foede pronus, usque eo, ut, flagrante per Italiam bello, fusisque apud Veronam suis, nihilo
21 segnius solita curaret, neque patris exitio moveretur. Namque Herculius, natura impotentior, simul filii segnitiae metuens,
22 inconsulte imperium repetiverat. Quumque specie officii dolis compositis Constantinum generum tentaret acerbe, iure tandem
23 interierat. Sed Maxentius atrocior in dies, tandem Urbe in Saxa rubra millia ferme novem aegerrime progressus, quum caesa acie fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hosti apud pontem Milvium locaverat, in transgressu Tiberi interceptus
24 est, tyrannidis anno sexto. Huius nece incredibile quantum laetitia graudioque Senatus ac plebes exsultaverint: quos in tantum afflictaverat, uti praetorianis caedem vulgi quondam annuerit, primusque instituto pessimo munerum specie Patres ara-
25 toresque pecuniam conferre prodigenti sibi cogeret. Quorum odio praetoriae legiones, ac subsidia factionibus aptiora, quam urbi Romae, sublata penitus, simul arma atque usus indumenti
26 militaris. Adhuc cuncta opera, quae magnifice construxerat, Urbis fanum, atque basilicam, Flavii meritis Patres sacravere.
27 A quo etiam post Circus maximus excultus mirifice, atque ad
28 lavandum institutum opus ceteris haud multo dispar. Statuae locis quam celeberrimis, quarum plures ex auro, aut argenteae sunt: tum per Africam sacerdotium decretum Flaviae genti; Cirtaeque oppido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito
29 exornatoque, nomen Constantina inditum. Adeo acceptius praestantiusque tyrannorum depulsoribus nihil est; quorum gratia
30 eo demum auctior erit, si modesti atque abstinentes sint. Quippe humanae mentes, frustratae boni spe, asperius offenduntur, quum, mutato rectore flagitioso, aerumnarum vis manet.

## CAPUT XLI.

CONSTANTINUS, LICINIUS, CRISPUS, CONSTANTIUS, LICINIANUS, CONSTANS, DALMATIUS, MAGNENTIUS, VETRANIO.

1 Dum haec in Italia geruntur, Maximinus ad Orientem, post biennii augustum imperium fusus fugatusque a Licinio, apud
2 Tarsum perit. Ita potestas orbis Romani duobus quaesita: qui, quamvis per Flavii sororem, nuptam Licinio, connexi inter se erant, ob diversos mores tamen anxie triennium congruere quivere. Namque illi praeter admodum magna cetera, huic par-
3 simonia, et ea quidem agrestis, tantummodo inerat. Denique Constantinus cunctos hostes honore ac fortunis manentibus texit

recepitque; eo pius, ut etiam vetus veterrimumque supplicium
patibulorum et cruribus suffringendis primus removerit. Hinc 4
pro conditore, seu Deo habitus. Licinio ne insontium quidem
ac nobilium philosophorum servili more cruciatus adhibiti mo-
dum fecere. Quo sane variis proeliis pulso, quum eum prorsus 5
opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratia recepti con-
sortio, adscitique imperio Caesarum communes liberi Crispus
Constantinusque, Flavio geniti; Licinianus, Licinio. Quod 6
equidem vix diuturnum, neque his, qui adsumebantur, felix
fore, defectu solis foedato iisdem mensibus die, patefactum.
Itaque sexennio post rupta pace apud Thracas Licinius pulsus 7
Chalcedona concessit. Ibi ad auxilium sui Martiniano in impe- 8
rium cooptato, una oppressus est. Eo modo Respublica unius 9
arbitrio geri coepit, liberis Caesarum nomina diversa retentan-
tibus: namque ea tempestate Imperatori nostro Constantio insi-
gne Caesaris datum. Quorum quum natu grandior, incertum 10
qua caussa, patris iudicio occidisset; repente Calocerus, magi-
ster pecoris camelorum, Cyprum insulam specie regni demens
capessiverat. Quo excruciato, ut fas erat, servili aut latronum 11
more, condenda urbe formandisque religionibus ingentem ani-
mum avocavit, simul novando militiae ordine. Et interea Go- 12
thorum Sarmatarumque stratae gentes; filiusque cunctorum mi-
nor, Constans nomine, Caesar fit. Cuius gratia Reipublicae 13
permixtionem fore, ostentorum mira prodidere: quippe ea no-
cte, quae commissi imperii diem sequebatur, igni continuo
coeli facies conflagravit. Abhinc consumto fere biennio, fratris 14
filium, cui ex patre Dalmatio nomen fuit, Caesarem iussit, ad-
sistentibus valide militaribus. Ita anno imperii tricesimo secun- 15
doque, quum totum orbem tredecim tenuisset, sexaginta natus
atque amplius duo, in Persas tendens, a quis bellum irrumpere
acceperat, rure proximo Nicomediae, Achyronam vocant, ex-
cessit: quum ad id tetrum sidus regnis, quod crinitum vocant,
portendisset. Funus relatum in urbem sui nominis. Quod saner 16
populus Romanus aegerrime tulit; quippe cuius armis, legibus, 17
clementi imperio, quasi novatam urbem Romanam arbitraretur.
Pons per Danubium ductus; castra castellaque pluribus locis 18
commode posita. Remotae olei frumentique adventitiae praebi- 19
tiones, quibus Tripolis ac Nicaea acerbius angebantur. Quas 20
res superiores, Severi imperio gratantes, civi obtulerant; ver-
teratque gratiam muneris in perniciem posterorum dissimulatio.
Alteros Marcus Boionius afflixerat; mulcta, quod Hipparchum
praestanti ingenio indigenam fuisse ignoravissent. Fiscales mo-
lestiae severius pressae; cunctaque divino ritui paria viderentur,
ni parum dignis ad publica aditum concessisset. Quae quam 21
quam saepius accidere, tamen in summo ingenio atque optimis
reipublicae moribus, quamvis parva vitia, elucent magis, eoque
notantur facile: quin etiam acrius saepe officiunt, quum ob au-
ctoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atque ad imi-
tandum invitamento sunt. Igitur confestim Dalmatius, incertum 22
quo suasore, interficitur; statimque triennio post minimum
maximumque fatali bello Constantinus cadit. Qua Constans vi- 23

ctoria tumidior, simul per aetatem cautus parum, atque animi vehemens, adhuc ministrorum pravitate exsecrabilis, atque praeceps in avaritiam, despectumque militarium, anno post triumphum decimo, Magnentii scelere circumventus est, externarum
24 sane gentium compressis motibus. Quarum obsides pretio quaesitos pueros venustiores quod cultius habuerat, libidine huius-
25 modi arsisse pro certo habetur. Quae tamen vitia utinam man-
26 sissent. Namque Magnentii, utpote gentis barbarae, diro atroque ingenio, simul his, quae post accidere, adeo exstincta omnia
27 sunt, ut illud imperium haud iniuria desideraretur. Tum quia Vetranio litterarum prorsus expers et ingenio stolidior, idcircoque agresti vecordia pessimus, quum per Illyrios peditum magisterio milites curaret, dominationem, ortus Moesiae superioris locis squalidioribus, improbe occupaverat.

## CAPUT XLII.

CONSTANTIUS, NEPOTIANUS, DECENTIUS, PATRICIUS, SILVANUS, IULIANUS.

Eum Constantius cis mensem decimum, facundiae vi deiectum
2 imperio, in privatum otium removit. Quae gloria post natum
3 imperium soli processit eloquio clementiaque. Nam quum magna parte utrimque exercitus convenissent, habita ad speciem iudicii concione, quod fere vix aut multo sanguine obtinendum
4 erat, eloquentia patravit. Quae res satis edocuit, non modo domi, verum militiae quoque dicendi copiam praestare; qua demum vel ardua proclivius eo conficiuntur, si modestia atque
5 integritate superet. Quod maxime cognitum e nostro Principe: quem tamen, quo minus statim in hostes alios ad Italiam con-
6 tenderet, hiems aspera clausaeque Alpes tardavere. Interim Romae, corrupto vulgo, simul Magnentii odio, Potentianus, materna stirpe Flavio propinquus, caeso Urbi praefecto, ar-
7 mataque gladiatorum manu, Imperator fit. Cuius stolidum ingenium adeo plebi Romanae Patribusque exitio fuit, uti passim domus, fora, viae, templaque cruore ac cadaveribus opplerentur, bustorum modo. Neque per eum tantum, verum etiam advolantibus Magnentianis; qui tricesimo die, triduo minus,
8 hostem perculerant. Sed iam antea, quum externi motus suspectarentur, Magnentius fratri Decentio Gallias, Constantius Gallo, cuius nomen suo mutaverat, Orientem, Caesaribus commi-
9 serant. Ipsi inter se acrioribus proeliis per triennium congressi, ad extremum Constantius, fugientem in Galliam persecutus,
10 ovario ambos supplicio semet adegit interficere. Et interea Iudaeorum seditio, qui Patricium nefarie in regni specie sustule-
11 rant, oppressa. Neque multo post ob saevitiam atque animum
12 atrocem, Gallus Augusti iussu interiit. Ita longo intervallo, annum fere post septuagesimum, relata ad unum cura Reipublicae.
13 Quae recens quieta a civili trepidatione, Silvano in imperium
14 coacto, tentari rursus occeperat. Is namque Silvanus, in Gallia ortus barbaris parentibus, ordine militiae, simul a Magnentio ad Constantium transgressu, pedestre ad magisterium ado-

lescentior meruerat. E quo dum altius per metum seu demen-15
tiam conscendisset, legionum, a quis praesidium speraverat, tu-
multu, octavum circa ac vicesimum diem trucidatus est. Qua16
caussa ne quid apud Gallos, natura praecipites, novaretur,
praesertim Germanis pleraque earum partium populantibus, Iu-
lianum Caesarem, cognatione acceptum sibi, Transalpinis prae-
fecit; isque nationes feras brevi subegit, captis famosis regibus.
Quae quamquam vi eius, fortuna Principis tamen et consilio17
accidere. Quod adeo praestat, ut Tiberius Galeriusque subiecti18
aliis egregia pleraque, suo autem ductu atque auspicio minus
paria experti sint. At Iulius Constantius, annos tres atque vi-19
ginti augustum imperium regens, dum externis motibus, modo
civilibus exercetur, aegre ab armis abest. Quis tyrannide tan-20
torum depulsa, sustentoque interim Persarum impetu, genti
Sarmatarum magno decore, considens apud eos, regem dedit.
Quod Cnaeum Pompeium in Tigrane restituisse, vixque paucos21
maiorum fecisse, comperimus. Placidus clemensque pro nego-22
tio, litterarum ad elegantiam prudens; atque orandi genere leni
iucundoque; laboris patiens, ac destinandi sagittas mire prom-
tus; cibi omnis, libidinis atque omnium cupidinum victor;
cultu genitoris satis pius, suique nimis custos: gnarus, vita bo-
norum principum Reipublicae quietem regi. Haec tanta, tamque23
inclita, tenue studium probandis provinciarum ac militiae re-
ctoribus, simul ministrorum parte maxima absurdi mores, ad-
huc neglectus boni cuiusque foedavere. Atque uti verum absol-24
vam brevi, ut Imperatore ipso clarius, ita apparitorum pleris-
que magis atrox nihil.

---

# EPITOME.

## DE VITA ET MORIBUS IMPERATORUM ROMANORUM,

### EXCERPTA EX LIBRIS SEXTI AURELII VICTORIS

A CAESARE AUGUSTO

USQUE AD THEODOSIUM IMPERATOREM.

## CAPUT I.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

Anno Urbis conditae septingentesimo vicesimo secundo, ab exactis vero regibus quadringentesimo octogentesimoque, mos Romae repetitus uni prorsus parendi, pro rege Imperatori vel

sanctiori nomine Augusto appellato. Octavianus igitur, patre Octavio Senatore genitus, maternum genus ab Aenea per Iuliam familiam sortitus, adoptione vero Caii Caesaris maioris avunculi Caius Caesar dictus, deinde ob victoriam Augustus cognominatus est. Iste in imperio positus, Tribunitiam potestatem per se exercuit. Regionem Aegypti, inundatione Nili accessu difficilem inviamque paludibus, in provinciae formam redegit. Quam ut annonae Urbis copiosam efficeret, fossas, incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit. Huius tempore ex Aegypto Urbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur. Iste Cantabros et Aquitanos, Rhaetos, Vindelicos, Dalmatas, numero provinciarum populo Romano coniunxit. Suevos, Cattosque delevit; Sicambros in Galliam transtulit. Pannonios stipendiarios adiecit. Getarum populos Basternasque, lacessitos bellis, ad concordiam compulit. Huic Persae obsides obtulerunt, creandique regis arbitrium permiserant. Ad hunc Indi, Scythae, Garamantes, Aethiopes, legatos cum donis miserunt. Adeo denique turbas, bella, simultates exsecratus est, ut, nisi iustis de caussis, numquam genti cuiquam bellum indixerit. Iactantisque esse ingenii et levissimi dicebat, ardore triumphandi et ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium praecipitare: neque Imperatori bono quidquam minus, quam temeritatem congruere: satis celeriter fieri, quidquid commode geretur: armaque, nisi maioris emolumenti spe, nequaquam movenda esse; ne compendio tenui, iactura gravi, petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti amissique detrimentum nullo capturae lucro pensari potest. Huius tempore trans Rhenum vastatus est Romanus exercitus, atque Tribuni et Propraetor. Quod in tantum [accidisse] perdoluit, ut cerebri valido incussu [incursu] parietem pulsaret, veste capilloque ac reliquis lugentium indiciis deformis. Avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui, milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem principis emollierat. Denique erga cives clementissime versatus est. In amicos fidus exstitit. Quorum praecipui erant ob taciturnitatem Maecenas, ob patientiam laboris modestiamque Agrippa. Diligebat praeterea Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studiis, praesertim eloquentiae, in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. Leges alias novas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit ornavitque Romam aedificiis multis, isto glorians odicto: *Urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.* Fuit mitis, gratus, civilis animi et lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis. Quorum acrem clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat, cedi ab intendentibus tamquam solis radiis adspectu suo. A cuius facie dum quidam miles oculos averteret, et interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit, *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Nec tamen vir tantus vitiis caruit. Fuit enim paullulum impatiens,

leniter iracundus, occulte invidus, palam factiosus: porro autem dominandi, supra quam aestimari potest, avidissimus; studiosus aleae lusor. Quumque esset cibi ac vini multum, aliquatenus a vero somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famae. Nam inter duodecim catamitos totidemque puellas accubare solitus erat. Abiecta quoque uxore Scribonia, amore alienae coniugis possessus, Liviam, quasi marito concedente, sibi coniunxit. Cuius Liviae iam erant filii Tiberius et Drusus. Quumque esset luxuriae serviens, erat tamen eiusdem vitii severissimus ultor; more hominum, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt. Nam poëtam Ovidium, qui et Naso, pro eo, quod tres libellos amatoriae artis conscripsit, exsilio damnavit. Quodque est laeti animi vel amoeni, oblectabatur omni genere spectaculorum, praecipue ferarum incognita specie, et infinito numero. Annos septem et septuaginta ingressus, Nolae morbo interiit. Quamquam alii scribant, dolo Liviae exstinctum, metuentis, ne, quia privignae filium Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, poenas daret. Igitur mortuum, seu necatum, multis novisque honoribus Senatus censuit decorandum. Nam praeter id, quod antea Patrem patriae dixerat, templa tam Romae, quam per urbes celeberrimas ei consecravit, cunctis vulgo iactantibus, *Utinam aut non nasceretur, aut non moreretur!* Alterum pessimi incepti, exitus praeclari alterum. Nam et in adipiscendo principatu oppressor libertatis est habitus, et in gerendo cives sic amavit, ut tridui frumento in horreis quondam viso, statuisset veneno mori, si e provinciis classes interea non venirent. Quibus advectis, felicitati eius salus patriae est attributa. Imperavit annos quinquaginta et sex, duodecim cum Antonio, quadraginta et quatuor solus. Qui certe numquam aut Reipublicae ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur, nisi magnis naturae et studiorum bonis abundasset.

## CAPUT II.

### CLAUDIUS TIBERIUS.

Claudius Tiberius, Liviae filius, Caesaris Octaviani privignus, imperavit annos viginti tres. Iste, quia Claudius Tiberius Nero dicebatur, eleganter a iocularibus Caldius Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est. Satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumtum imperium sub Augusto fuit, ut non immerito Reipublicae dominatus ei committeretur. Inerat ei scientia litterarum multa. Eloquio clarior, sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle, quae nollet: his quasi infensus, quibus consultum cupiebat; his vero, quos oderat, quasi benevolus apparens. Repentinis responsionibus aut consiliis melior, quam meditatis. Denique delatum a Patribus principatum (quod quidem astu fecerat) ficte abnuere, quid singuli dicerent vel sentirent, atrociter explorans: quae res bonos quosque pessumdedit. Aestimantes enim, ex animo eum longa ora-

tione imperialis molestiae magnitudinem declinare, quum sententias ad eius voluntatem promunt, incidere exitia postrema.
8 Iste Cappadocas in provinciam, remoto Archelao rege eorum, redegit. Gaetulorum latrocinia repressit. Maroboduum, Sue-
9 vorum regem, callide circumvenit. Quum immani furore insontes, noxios, suos pariter externosque puniret, resolutis militiae artibus, Armenia per Parthos, Moesia a Dacis, Pannonia
10a Sarmatis, Gallia a finitimis gentibus direptae sunt. Ipse post septuagesimum octavum annum et mensem quartum insidiis Caligulae exstinctus est.

## CAPUT III.

### GAIUS CAESAR CALIGULA.

2 Caligula imperavit annos quatuor. Iste filius fuit Germanici; et, quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti
3 militaris, id est, Caligulae sortitus est. Ante principatum omnibus carus acceptusque fuit: in principatu vero talis, ut non
4 immerito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuisse. De-
5 nique tres sorores suas stupro maculavit. Incedebat habitu Deorum suorum. Iovem ob incestum, e choro autem Bacchanali
6 Liberum se adserebat. De quo nescio an decuerit memoriae prodi, nisi forte quia iuvat de principibus nosse omnia, ut im-
7 probi saltem famae metu talia declinent. In palatio matronas
8 nobiles publicae libidini subiecit. Primus, diademate imposito,
9 Dominum se iussit appellari. In spatio trium millium, quod in sinu Puteolano inter moles iacet, duplici ordine naves contexens, arenae adgestu ad terrae speciem viam solidatam, phalerato equo, insignis quernea corona, quasi triumphans indu-
10tus aureo paludamento, curru biiugo decucurrit. Dehinc a militibus confossus interiit.

## CAPUT IV.

### CLAUDIUS TIBERIUS.

Claudius Tiberius, Drusi, Tiberii fratris, filius, Caligulae
2 patruus, imperavit annos quatuordecim. Iste, quum Senatus censuisset, gentem Caesarum exterminari, deformi latebra la-
3 tens, repertus a militibus, quia vecors erat, mitissimus vide-
4 batur imprudentibus, Imperator effectus est. Hic ventri, vino, libidini foede obediens, vecors et prope hebes, ignavus ac pa-
5 vidus, libertorum et coniugis imperiis subiectus fuit. Huius tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias Imperator crea-
6 tus, continuo occiditur. Mauri provinciis accessere: caesa
7 Musulamiorum manus est. Aqua Claudia Romae introducta. Huius uxor Messalina primo passim, quasi iure, adulteriis utebatur: ex quo facto plures, metu abstinentes, exstincti sunt. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas et virgines scortorum modo secum proposuerat; coactique mares, ut adessent. Quod si quis talia horruerat, adficto crimine, in ipsum,

omnemque familiam saeviebatur: ut magis videretur sub Imperatore, viro, quam Imperatori, nupta esse. Ita liberti eius, 8
potestatem summam adepti, stupris, exsilio, caede, proscriptionibus, omnia foedabant. Ex quibus Felicem legionibus Iudaeae praefecit. Possidio eunucho post triumphum Britannicum inter militarium fortissimos arma insignia, tamquam participi victoriae, dono dedit. Polybium inter Consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, domi- 9
num se gerens ipsius domini, Pallasque, praetoriis ornamentis sublimatus; adeo divites, ut, caussante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio vulgatum sit, abunde ei pecuniam fore, 10
si a duobus libertis in societatem reciperetur. Huius temporibus visus est apud Aegyptum Phoenix, quam volucrem ferunt, anno quingentesimo ex Arabis memoratos locos advolare: atque in Aegaeo mari repente insula emersit. Hic Agrippinam, Ger- 11
manici fratris sui filiam, uxorem duxit: quae filio imperium procurans, primo privignos insidiis multiformibus, dehinc ipsum coniugem veneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor: 12
cuius funus, ut quondam in Tarquinio Prisco, diu occultatum. Dum arte muliebri corrupti custodes aegrum simulant, Nero 13
privignus eius imperii iura suscepit.

## CAPUT V.

### DOMITIUS NERO.

Domitius Nero, patre Domitio Ahenobarbo genitus, matre Agrippina, imperavit annos tredecim. Iste quinquennio tolera- 2
bilis visus. Unde quidam prodidere, Traianum solitum dicere, 3
procul distare cunctos principes Neronis quinquennio. Hic in 4
Urbe amphitheatrum et lavacra construxit. Pontum in ius provinciae, Polemonis reguli permissu, redegit, a quo Polemoniacus Pontus appellatus est; itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo. Eo namque dedecore reliquum vitae egit, ut pudeat 5
memorare huiuscemodi quemquam. Eo progressus est, ut, neque suae, neque aliorum pudicitiae parcens, ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam convocato Senatu, dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nuberet. Pelle tectus ferae, utrique sexui genitalia vultu contrectabat. Matrem etiam stupro contaminavit; quam postmodum interemit. Octaviam et Sabinam, cognomento Poppaeam, in matrimonium duxit, viris earum trucidatis. Tunc Galba, Hispaniae Proconsul, 6
et Caius Iulius imperium corripuere. Ubi adventare Nero Galbam didicit, Senatusque sententia constitutum, ut more maiorum collo in furcam coniecto, virgis ad necem caederetur; desertus undique, noctis medio, egressus Urbem, sequentibus Phaone, Epaphrodito, Neophytoque, et spadone Sporo, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat, semet ictu 7
gladii transegit, adiuvante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho: quum sane prius, nullo reperto, a quo ferriretur, exclamaret, *Itane nec amicum habeo, nec inimicum?*

8 *dedecorose vixi, turpius peream.* Periit anno aetatis tricesimo
9 secundo. Hunc Persae in tantum dilexerunt, ut legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenti. Ceterum adeo cunctae provinciae omnisque Roma interitu eius exsultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tamquam saevo exemta domino, triumpharet.

## CAPUT VI.

### SERVIUS GALBA.

Galba, nobili Sulpiciorum gente progenitus, imperavit men-
1 ses septem diesque totidem. Iste in adolescentes infamis, ad vescendum intemperans fuit: trium amicorum consilio, id est, Vinnii, Cornelii et Iceli, cuncta disponens, adeo ut intra Palatinas aedes pariter habitarent, et vulgo paedagogi dicerentur.
3 Hic ante sumtam dominationem multas provincias egregie administravit, militem severissime tractans, ita ut, ingresso eo castra, vulgaretur statim: *Disce militare, miles; Galba est, non*
4 *Gaetulicus.* Quum septuagesimum tertium aetatis annum ageret, dum factione Othonis accensas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium caesus est.

## CAPUT VII.

### SALVIUS OTHO.

Salvius Otho, splendidis ortus maioribus ex oppido Ferentano, imperavit menses tres, vita omni turpis, maxime adolescen-
2 tia. Hic a Vitellio primum apud Placentiam, dehinc apud Betriacum victus, semet gladio transfixit anno aetatis tricesimo septimo; adeo amabilis militibus propriis, ut plerique, corpore eius viso, suis manibus interierint.

## CAPUT VIII.

### A. VITELLIUS.

Vitellius, ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter Con-
2 sule, imperavit menses octo. Iste tumens, crudelis, avarusque
3 cum profusione fuit. Huius tempore Vespasianus in Oriente principatum arripuit: a cuius militibus, certamine sub muris Urbis habito, superatus, e palatio, quo se abdiderat Vitellius, vinctis a tergo manibus, productus, circumducitur ad specta-
4 culum vulgi. Ac ne homo impudens, in extremis saltem malorum, quae gesserat, rubore faciem demitteret, subiecto in mentum gladio, seminudus, multis coeno fimoque et ceteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius incessentibus, per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum, Vespasiani fratrem,
5 necari permiserat. Numerosis ictibus confossus interiit. Vixit
6 annos quinquaginta septem. Hi omnes, quos paucis attigi, praecipue Caesarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut, ni cunctis vitiis, absque Augusto, nimii forent, profecto *texissent* modica flagitia.

## CAPUT IX.

### FLAV. VESPASIANUS.

Vespasianus imperavit annos decem. Huius inter cetera bona illud singulare fuit, inimicitias oblivisci; adeo, ut Vitellii, hostis sui, filiam locupletissime dotatam splendidissimo coniungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, ut erat facetissimus, iocularibus respondens. Namque Licinium Mucianum, quo adiutore ad imperium pervenerat, fiducia meritorum insolentem, lepide flectebat, adhibito aliquo utrique familiari, id unum dicens: *Nosti, me virum esse.* Sed quid mirum in amicis, quum etiam caussidicorum obliqua dicta, et philosophorum contumaciam contemneret? Iste exsanguem diu, fessumque terrarum orbem brevi refecit. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam exeruciatos delere; prudentissime ratus, nefaria ministeria a pluribus metu curari. Praeterea legibus aequissimis monendo, quodque vehementius est, vitae specie, vitiorum plura aboleverat. Infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversus pecuniam, quum satis constet, aerarii inopia et clade urbium novas eum neque postea habitas vectigalium pensiones exquisivisse. Hic Romam, deformem incendiis veteribus ac ruinis, permissa, si domini deessent, volentibus aedificandi copia, Capitolium, aedem Pacis, Claudii monumenta reparavit; multaque nova instituit. Per omnes terras, qua ius Romanum est, renovatae urbes cultu egregio; viae operibus maximis munitae sunt. Tunc cavati montes per Flaminiam sunt prono transgressu, quae vulgariter Pertunsa petra vocitatur. Mille gentes compositae, quum ducentas aegerrime reperisset, exstinctis saevitia tyrannorum plerisque. Rex Parthorum Vologaesus metu solo in pacem coactus est. Syria, cui Palaestinae nomen est, Ciliciaque ac Thracia et Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere. Iudaei quoque additi sunt. Hic, monentibus amicis, ut caveret a Metio Pomposiano, de quo sermo percrebuerat regnaturum, Consulem fecit, alludens tali cavillo, *Quandoque memor erit tanti beneficii.* Institutum vero uniforme omni imperio tenuit. Vigilare de nocte, publicisque actibus absolutis caros admittere, dum salutatur calceamenta sumens et regium vestitum. Post autem negotiis, quaecumque advenissent, auditis, exerceri vectatione, deinde requiescere: postremo, ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat. Plura dicere studium coëgit Imperatoris boni, quem ab Augusti morte post annos sex et quinquaginta Romana respublica exsanguis saevitia tyrannorum, quasi fato quodam, ne penitus rueret, adsecuta est. Itaque, annum agens vitae absque uno septuagesimum, seriis ioca, quibus delectabatur, admiscens, interiit. Quippe primo quum crinitum sidus apparuisset, *Istud*, inquit, *ad regem Persarum pertinet, cui capillus effusior.* Deinde, ventris eluvie fessus, et adsurgens, *Stantem*, ait, *Imperatorem excedere terris decet.*

## CAPUT X.

### T. FLAV. VESPASIANUS.

Titus, vocabulo patris etiam Vespasianus dictus, matre liberta, Domitilla nomine, genitus, imperavit annos duos et menses duos diesque viginti. Iste a puero praeclaris studiis, probitatis, militiae, litterarum instantissime deditus, quo contenderit, animi et corporis muneribus ostendit. Hic ubi patriae curam suscepit, incredibile est, quantum, quem imitabatur, anteierit, praecipue clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniae contemtu: quae eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis a privato adhuc patratis asperior, luxuriae et avaritiae amans credebatur fore. Namque, praefecturam praetorianam patre imperante adeptus, suspectum quemque et oppositum sibi, immissis, qui per theatra et castris invidiosa iactantes ad poenam poscerent, quasi criminis convictos, oppressit. In quis Caecinam Consularem, adhibitum coenae, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratae Berenicis, uxoris suae, iugulari iussit. Iurgia autem sub patre venumdata, rapinarum cupidum: unde, Neronem cuncti opinantes vocantesque, summam rerum nactum graviter acceperant. Sed haec in melius conversa adeo ei immortalem gloriam contulere, ut *deliciae atque amor humani generis* appellaretur. Denique ut subiit pondus regium, Berenicen, nuptias suas sperantem, regredi domum, et enervatorum greges abire praecepit. Quo facto, quasi signum protulit mutatae intemperantiae. Dehinc quum donata concessave a prioribus principibus firmare insequentes solerent, simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cavit. Quadam etiam die, recordans vesperi nihil se cuiquam praestitisse, venerando coelestique dicto, *Amici*, ait, *perdidimus diem:* quod erat magnificae liberalitatis. Clementiam vero usque eo perduxit, ut, amplissimi ordinis duo quum adversus eum coniurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primo: post, deductos in spectaculum, [se] utrimque adsidere iusserit; petitoque ex industria mirmillonum, quorum pugnae visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiserit: quibus perculsis et constantiam mirantibus diceret, *Videtisne, potestates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi ope vel amittendi metu?* Fratrem quoque Domitianum, parantem insidias, militumque animos sollicitantem, flens saepius obtestatus est, ne parricidio adsequi cuperet, quod et se volente esset obventurum ei, et iam haberet, quum sit particeps potestatis. Huius tempore mons Vesuvius in Campania ardere coepit: incendiumque Romae sine nocturna requie per triduum fuit. Lues quoque, quanta vix umquam antea, fuit. Quibus tamen malis, nullo vexato, pecunia propria subvenit, cunctis remediorum generibus, nunc aegrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Vixit annos quadraginta unum: et in eodem, quo pater, apud Sabinos agro, febri interiit. Huius mors, credi vix potest, quantum luctus

Urbi provinciisque intulerit, adeo ut eum delicias publicas, sicut diximus, appellantes, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem deflerent.

## CAPUT XI.

### T. FLAV. DOMITIANUS.

Domitianus, Vespasiani et Domitillae libertae filius, germanus Titi, imperavit annos quindecim. Ille primo clementiam simu- 2
lans, neque adeo iners domi, belloque tolerantior videbatur: idcircoque Cattos Germanosque devicit; ius aequissime dixit. Romae multa aedificia vel coepta, vel a fundamentis construxit. 3
Bibliothecas, incendio consumtas, petitis undique, praesertim 4
Alexandria, exemplis, reparavit. Sagittarum tam doctus fuit, 5
ut inter patentes digitos extentae manus viri procul positi spicula transvolarent. Dehinc atrox caedibus, bonorum supplicia 6
agere coepit; ac, more C. Caligulae, Dominum sese Deumque dici coëgit: segnisque ridicule, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur. Furens libidine: cuius foedum exerciti- 7
um Graecorum lingua *κλινοπάλην* vocabat. Hinc percontanti 8
cuidam, quisquamne in palatio esset, responsum: *Ne musca quidem.* His eius saevitiis, ac maxime iniuria verborum, qua 9
scortum vocari dolebat, accensus Antonius, curans Germaniam superiorem, imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium 10
acie strato, Domitianus longe tetrior, in omne hominum genus, etiam in suos, ferarum more grassabatur. Igitur metu crudeli- 11
tatis et conscientiae suae coniuravere plerique, impulsoribus Parthenio, procurante cubiculum, et Stephano, et, tum ob fraudem interceptae pecuniae supplicium suspectante, Clodiano, adscita etiam in consilium tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis a principe cruciatus formidante. Domitianum 12
multis vulneribus confodiunt, post annum quintum et quadragesimum vitae. At Senatus gladiatoris more funus efferri, raden- 13
dumque nomen decrevit. Huius tempore saeculares ludi celebrati 14
sunt. Hactenus Romae, seu per Italiam orti imperium rexere: 15
hinc advenae. Unde compertum est, urbem Romam externorum virtute crevisse. Quid enim Nerva prudentius aut moderatius? quid Traiano divinius? quid praestantius Hadriano?

## CAPUT XII.

### COCCEIUS NERVA.

Cocceius Nerva, oppido Narniensi genitus, imperavit menses 2
sedecim, dies decem. Iste quum imperium suscepisset, mox a rumore orto, vivere atque adfore Domitianum, perinde trepidavit, ut colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. Sed a Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad solemne delenimentum conversus est. Qui quum in curiam a Senatu gratanter 3
exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antonius, vir acer eique amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens,

amplexus eum, gratulari se ait Senatui et populo provinciisque; ipsi autem nequaquam, cui satius fuerat, malos semper principes eludere, quam tanti oneris vim sustinentem, haud molestiis modo et periculis subiici, sed famae etiam inimicorum pariter et amicorum: qui quum se mereri omnia praesumunt, si quidquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus.
4 Iste, quidquid antea poenae nomine tributis accesserat, indulsit; adflictas civitates relevavit; puellas puerosque natos paren-
5 tibus egestosis sumtu publico per Italiae oppida ali iussit. Hic ne accessu malevolorum terreretur, Iunii Maurici constantis viri dicto ita admonetur. Qui, convivio familiari adhibitus, quum Veientonem, consulari honore functum quidem apud Domitianum, tamen multos occultis criminationibus persecutum, adesse vidisset; inter colloquia, mentione Catulli facta, calumniatoris praecipui, dicente Nerva, quid nunc faceret, si Domitiano su-
6 pervixisset? *Nobiscum*, inquit Mauricus, *coenaret*. Hic iurgiorum disceptator [dispensator] et scientissimus et frequens
7 fuit. Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum confessumque, Tarentum cum uxore removit, Patribus lenitatem eius increpantibus. Quumque interfectores Domitiani ad exitium poscerentur, tantum est consternatus, ut neque vomitum neque impetum ventris valuerit differre: et tamen vehementer obstitit, dictitans, aequius esse mori, quam auctoritatem imperii foedare, proditis potentiae
8 sumendae auctoribus. Sed milites, neglecto principe, requisitos, Petronium uno ictu, Parthenium vero demtis prius genitalibus et in os coniectis, iugulavere, redemto magnis sumtibus Casperio; qui scelere tam truci insolentior, Nervam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos pessi-
9 mosque omnium mortalium peremissent. Hic Traianum in liberi locum inque partem imperii cooptavit: cum quo tribus vixit
10 omensibus. Qui dum, suggerente ira, voce quam maxima contra quendam Regulum nomine inclamaret, sudore correptus est.
11 Quo refrigescente, horror corporis nimius initia febri praebuit,
12 nec multo post vitam finivit, anno aetatis sexagesimo tertio. Cuius corpus a Senatu, ut quondam Augusti, honore delatum, in sepulcro Augusti sepultum est. Eoque die, quo interiit, solis defectio facta est.

## CAPUT XIII.

### ULPIUS TRAIANUS.

Ulpius Traianus, ex urbe Tudertina, Ulpius ab avo dictus,
Traianus a Traio paterni generis auctore, vel de nomine Tra-
2 iani patris sic appellatus, imperavit annis viginti. Iste talem se Reipublicae praebuit, qualem vix aegreque exprimere valuerint
3 summorum scriptorum miranda ingenia. Hic imperium apud Agrippinam, nobilem Galliae coloniam, suscepit, habens diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in sublevandis
4 civitatibus largitionem. Quumque duo sint, quae ab egregiis principibus exspectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo,

utrobique prudentia; tantus erat in eo maximarum rerum modus, ut quasi temperamento quodam miscuisse videretur, nisi quod cibo vinoque paullulum deditus erat. Liberalis in amicos, et tamquam vitae conditione par, societatibus perfrui. Hic ob honorem Surae, cuius studio imperium arripuerat, lavacra condidit. De quos supervacaneum videtur cuncta velle nominatim promere; quum satis sit, excultum atque emendatum dixisse. Fuit enim patiens laboris, studiosus optimi cuiusque ac bellicosi: magis simpliciora ingenia aut eruditissimos, quamvis ipse parcae esset scientiae, moderateque eloquens, diligebat. Iustitiae vero ac iuris humani divinique tam repertor novi, quam inveterati custos. Quae omnia eo maiora visebantur, quo, permultos atque atroces tyrannos perdito atque prostrato statu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus; usque eo, ut adveniens imperium eius pleraque mirifica denuntiaverint. In quis praecipuum, cornicem e fastigio Capitolii Atticis sermonibus effatam esse, *καλῶς ἔσται*. Huius exusti corporis cineres relati Romam, humatique Traiani foro sub eius columna; et imago superposita, sicuti triumphantes solent, in Urbem invecta, Senatu praeeunte et exercitu. Eo tempore multo perniciosius, quam sub Nerva, Tiberis inundavit, magna clade aedium proximarum; et terrae motus gravis per provincias multas, atroxque pestilentia, famesque, et incendia facta sunt. Quibus omnibus Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est; statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, et sumtus, si quando talia contingerent, exitiosos. Unde merito Pater patriae dictus est. Vixit annos sexaginta quatuor.

## CAPUT XIV.

### AELIUS HADRIANUS.

Aelius Hadrianus, stirpis Italicae, Aelio Hadriano Traiani principis consobrino, Adriae orto, genitus, quod oppidum agri Piceni etiam mari Adriatico nomen dedit, impensavit, annis viginti duobus. Hic, Graecis litteris impensius eruditus, a plerisque Graeculus appellatus est. Athenienium studia moresque hausit, potitus non sermone tantum, sed et ceteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictorque ex aere vel marmore proxime Polycletos et Euphranoras. Proinde omnino ad ista et facetus, ut elegantius umquam raro quidquam humanae rei expectae videantur. Memor supra quam cuiquam credibile est, locos, negotia, milites, absentes quoque, nominibus recensere. Immensi laboris, quippe qui provincias omnes passibus circumierit, agmen comitantium praevertens, quum oppida universa restitueret, augeret ordinibus. Namque ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum moenium, seu decorandorum, in cohortes centuriaverat. Varius, multiplex, multiformis: ad vitia atque virtutes quasi arbiter

genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium invidum, triste, lascivum, et ad ostentationem sui insolens callide tegebat; continentiam, facilitatem, clementiam simulans,
7 contraque dissimulans ardorem gloriae, quo flagrabat. Acer nimis ad lacessendum pariter et respondendum seriis, ioco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dictui; prorsus ut
8 meditatum crederes adversus omnia. Huius uxor Sabina, dum prope servilibus iniuriis adficitur, ad mortem voluntariam compulsa. Quae palam iactabat, se, quod immane ingenium probavisset, elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem
9 gravidaretur. Hic morbo subcutaneo, quem diu placide pertulerat, victus, dolore ardens, impatiensque, plures e Senatu
10 exstinxit. A regibus multis pace occultis muneribus impetrata, iactabat palam, plus se otio adeptum, quam armis ceteros.
11 Officia sane publica et palatina, nec non militiae, in eam formam statuit, quae, paucis per Constantinum immutatis, hodie
12 perseverant. Vixit annos sexaginta duos: dehinc miserabili exitu consumtus est, cruciatu membrorum fere omnium confectus, in tantum, ut crebro sese interficiendum ministrorum fidissimis precans offerret; ac ne in semetipsum saeviret, custodia carissimorum servaretur.

## CAPUT XV.

### ANTONINUS PIUS.

Antoninus Fulvius, seu Boionius dictus, postea etiam Pius
2 cognominatus, imperavit annos viginti tres. Iste ab Hadriano in filium adoptatus, cuius gener fuerat, tantae bonitatis in prin-
3 cipatu fuit, ut haud dubie sine exemplo vixerit. Quamvis eum Numae contulerit aetas sua, quum orbem terrae nullo bello per annos viginti tres auctoritate sola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus nationibusque et populis, ut parentem seu patronum magis, quam dominum Imperatoremve reputarent; omnesque [uno ore] in coelestium morem propitium
4 optantes, de controversiis inter se iudicem poscerent. Quin etiam Indi, Bactriani, Hyrcani legatos misere, iustitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultus serietate pulchra,
5 [vultu serie pulchro,] procerus membra, decenter validus. Priusquam salutandus prodiret, degustans panis aliquantulum, ne, frigescente circum praecordia per ieiunium sanguine, viribus exesis intercipieretur, eoque actui publicorum minime sufficeret, quae incredibili diligentia ad speciem optimi patrisfamilias exse-
6 quebatur. Appetentia gloriae carens, et ostentatione: adeo mansuetus, ut instantibus Patribus ad eos, qui contra eum coniuraverant, persequendos, compresserit quaestionem, praefatus, necesse non esse, sceleris in semetipsum cupidos pertinacius indagari, ne, si plures reperirentur, quantis odio esset, intel-
7 ligeretur. Igitur apud Lorios, villa propria, millibus passuum duodecim ab Urbe, febri paucorum dierum, post tres atque
8 viginti annos imperii, consumtus est. Ob cuius honorem tem-
9 pla, sacerdotes, atque infinita alia decreta sunt. Usque eo au-

tem mitis fuit, ut, quum ob inopiae frumentariae suspicionem lapidibus a plebe Romana perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quam ulcisci seditionem.

## CAPUT XVI.

### M. AURELIUS ANTONINUS ET L. VERUS.

Marcus Aurelius Antoninus imperavit annos decem et octo. Iste virtutum omnium, coelestisque ingenii exstitit, aerumnisque publicis quasi defensor obiectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe ab armis nusquam quies erat; perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella fervebant: terrae motus non sine interitu civitatum, inundationes fluminum, lues crebrae, locustarum species agris infestae, prorsus ut prope nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo imperante saevierit. Credo divinitus attributum, ut, dum mundi lex seu natura, aliudve quid hominibus incognitum, gignit, rectorum consiliis, tamquam medicinae remediis, leniantur. Is propinquum suum, Lucium Annium Verum, ad imperii partem novo benevolentiae genere adscivit. Qui Verus, inter Altinum atque Concordiam iter faciens, ictu sanguinis, quem morbum Graeci ἀπόπληξιν vocant, undecimo imperii anno exstinctus est. Carminum, maxime tragicorum, studiosus, ingenii asperi atque lascivi. Post cuius obitum Marcus Antoninus Rempublicam solus tenuit: a principio vitae tranquillissimus, adeo, ut ab infantia vultum nec ex gaudio nec ex moerore mutaverit: philosophiae studens, litterarumque Graecarum [peritissimus]. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, et ministris similibus exhiberent. Hic quum, aerario exhausto, largitiones, quas militibus impenderet, non haberet, neque indicere provincialibus aut Senatui aliquid vellet, instrumentum regii cultus, facta in foro Traiani sectione, distraxit, vasa aurea, pocula crystallina et murrhina, uxoriam ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emtoribus pretia restituit, qui, reddere comparata voluerunt; molestus nulli fuit, qui maluit semel emta retinere. Huius tempore Cassius tyrannidem arripiens, exstinctus est. Ipse vitae anno quinquagesimo nono apud Vendobonam morbo consumtus est. De cuius morte nuntio Romam pervecto, confusa luctu publico Urbe, Senatus in curia, veste tetra amictus, lacrimans convenit. Et quod de Romulo aegre creditum est, omnes pari consensu praesumserunt, Marcum coelo receptum esse. Ob cuius honorem templa, columnae, multaque alia decreta sunt.

## CAPUT XVII.

### L. AURELIUS COMMODUS.

Aurelius Commodus, Marci Antonini filius, Antoninus et ipse dictus, imperavit annos tredecim. Hic qualis futurus esset, in

ipso primordio ostendit. Nam quum in supremis moneretur a parente, attritos iam barbaros ne permitteret vires recipere; respondit, ab incolumi quamvis paullatim negotia perfici posse,
3 a mortuo nihil. Saevior omnibus libidine atque avaritia, crudelitate: nulli fidus: magisque in eos atrox, quos amplissimis
4 honoribus donisque ingentibus extulerat. In tantum depravatus, ut gladiatoriis armis saepissime in amphitheatro dimicaverit.
5 Huic Marcia, generis libertini, forma tamen meretriciisque artibus pollens, quum animum eius penitus devinxisset, egresso
6 e balneo veneni poculum obtulit. Ad extremum, ab immisso validissimo palaestrita compressis faucibus, exspiravit, anno vitae tricesimo secundo.

## CAPUT XVIII.

### P. HELVIUS PERTINAX.

Helvius Pertinax imperavit dies octoginta quinque. Iste coactus repugnansque imperium suscipiens, tale cognomentum sor-
1 titus est. Origine ortus sordida, praefecturam Urbi agens, Imperator effectus, scelere Iuliani multis vulneribus obtruncatur, annos natus septem atque sexaginta. Huius caput tota
3 Urbe circumvectum est. Hoc exitu obiit vir ad humanae conversationis exemplum per laboris genera universa ad summa
4 provectus, usque eo, ut fortunae vocaretur pila. Nam libertino genitus patre, apud Ligures in agro squalido Lollii Gentiani, cuius in praefectura quoque clientem se esse libentissime fatebatur, fuit doctor litterarum, quae a Grammaticis traduntur.
5 Blandus magis, quam beneficus: unde eum Graeco nomine χρηστολόγον appellavere. Numquam iniuria accepta ad ulciscendum ductus. Amabat simplicitatem; communem se affatu, con-
6 vivio, incessu praebebat. Huic mortuo Divi nomen decretum est: ob cuius laudem ingeminatis, ad vocis usque defectum, plausibus acclamatum est, *Pertinace imperante securi vivimus, neminem timuimus: patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorum.*

## CAPUT XIX.

### DIDIUS IULIANUS.

Didius Iulianus, ortu Mediolanensis, imperavit mensibus septem. Vir nobilis, iure peritissimus, factiosus, praeceps, regni
2 avidus. Hoc tempore Niger Pescennius apud Antiochiam, in
3 Pannoniae Sabaria Septimius Severus, creantur Augusti. Ab hoc Severo Iulianus in abditas palatii balneas ductus, extenta damnatorum modo cervice, decollatur, caputque eius in rostris ponitur.

## CAPUT XX.

### SEPTIMIUS SEVERUS.

2 Septimius Severus imperavit annos decem et octo. Hic Pescennium interemit, hominem omnium turpitudinum. Sub eo

etiam Albinus, qui in Gallia se Caesarem fecerat, apud Lugdunum occiditur. Hic Severus filios suos successores reliquit, 3
Bassianum et Getam. Hic in Britannia vallum per triginta duo 4
passuum millia a mari ad mare deduxit. Fuit bellicosissimus 5
omnium, qui ante eum fuerunt. Acer ingenio, ad omnia, quae intendisset, in finem perseverans. Benevolentia, quo inclinasset, mirabili ac perpetua. Ad quaerendum diligens, ad largiendum liberalis. In amicos inimicosque pariter vehemens; quippe qui 6
Lateranum, Cilonem, Anulinum, Bassum, ceterosque alios ditaret, aedibus quoque memoratu dignis, quarum praecipuas videmus, Parthorum quae dicuntur ac Laterani. Hic nulli in 7
dominatu suo permisit honores venumdari. Latinis litteris suffi- 8
cienter instructus: Graecis sermonibus eruditus. Punica eloquentia promtior, quippe genitus apud Leptim provinciae Africae. Is dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati 9
nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis ac plurimae carnis avidius invasit: quem quum conficere non posset, cruditate pressus, exspiravit. Vixit annos sexaginta quinque.

## CAPUT XXI.

### AUR. ANTONINUS CARACALLA.

Aurelius Antoninus Bassianus Caracalla, Severi filius, Lugduni genitus, imperavit solus annos sex. Hic Bassianus ex avi ma- 2
terni nomine dictus est. At quum e Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset, coëgissetque plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine huiusce vestis Caracalla cognominatus est. Hic fratrem suum Getam per- 3
emit: ob quam causam furore poenas dedit Dirarum insectatione, quae non immerito ultrices vocantur; a quo post furore convaluit. Hic, corpore Alexandri Macedonis conspecto, Ma- 4
gnum atque Alexandrum se iussit appellari, adsentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte, et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Fuit impatiens libidinis, quippe 5
qui novercam suam duxit uxorem. Quum Carras iter faceret, 6
apud Edessam secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est. Vixit annos fere tri- 7
ginta. Corpus eius Romam relatum est.

## CAPUT XXII.

### MACRINUS ET DIADUMENUS.

Macrinus cum Diadumeno filio, ab exercitu Imperatores creati, imperaverunt menses quatuordecim; et ab eodem exercitu obtruncantur pro eo, quia Macrinus militarem luxuriam stipendiaque profusiora comprimeret.

## CAPUT XXIII.

### AUR. ANTONINUS VARIUS HELIOGABALUS.

Aurelius Antoninus Varius, idem Heliogabalus dictus, Cara-

callae ex Soemea consobrina, occulte stuprata, filius, imperavit
2 biennio et mensibus octo. Huius matris Soemene avus, Bassianus nomine, fuerat Solis sacerdos; quem Phoenices, unde erat, Heliogabalum nominabant, a quo iste Heliogabalus dictus est.
3 Is quum Romam ingenti militum et Senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Cupiditatem stupri, quam adsequi naturae defectu nondum poterat, in se convertens, muliebri nomine Bassianam se pro Bassiano iusserat appellari. Vestalem virginem quasi matrimonio iungens suo, abscisisque ge-
4 nitalibus, Matri se Magnae sacravit. Hic Marcellum, qui post
5 Alexander dictus est, consobrinum suum, Caesarem fecit. Ipse
6 tumultu militari interfectus est. Huius corpus per Urbis vias, more canini cadaveris, a militibus tractum est, militari cavillo appellantium indomitae rabidaeque libidinis catulam. Novissime quum angustum foramen cloacae corpus minime reciperet, usque ad Tiberim deductum, adiecto pondere, ne umquam emergeret,
7 in fluvium proiectum est. Vixit annos sedecim: atque ex re, quae acciderat, Tiberinus Tractitiusque appellatus est.

## CAPUT XXIV.

### SEVERUS ALEXANDER.

Severus Alexander imperavit annos tredecim. Hic bonus Re-
2 publicae, fuit aerumnosus. Sub hoc imperante Taurinus Augu-
3 stus effectus, ob timorem ipse se Euphrate fluvio abiecit. Tunc etiam Maximinus regnum arripuit, pluribus de exercitu corru-
4 ptis. Alexander vero quum deseri se ab stipatoribus vidisset, matrem sibi caussam fuisse mortis exclamans, accurrenti percussori, obvoluto capite, cervices valide compressas praebuit,
5 anno vitae vicesimo sexto. Huius mater Mammaea eo filium coëgerat, ut illa ipsa permodica, si mensae prandioque superessent, quamvis [alteri] convivio, reponerentur.

## CAPUT XXV.

### IULIUS MAXIMINUS.

Iulius Maximinus Thrax, ex militaribus, imperavit annos tres.
2 Is dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque, [apud Aquileiam] seditione militum discerptus est una cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco, ex pessimo genere ne catulum habendum.

## CAPUT XXVI.

### GORDIANI, PATER ET FILIUS, PUPIENUS ET BALBINUS.

Huius imperio duo Gordiani, pater et filius, principatum arripientes, unus post unum interiere. Pari etiam tenore Pupienus et Balbinus, regnum invadentes, peremti sunt.

## CAPUT XXVII.

### GORDIANUS NEPOS.

Gordianus, nepos Gordiani ex filia, ortus Romae clarissimo

patre, imperavit annos sex. Apud Ctesiphontem, a Philippo, Praefecto praetorio, accensis in seditionem militibus, occiditur anno vitae undevicesimo. Corpus eius prope fines Romani Persicique imperii positum, nomen loco dedit; Sepulcrum Gordiani.

## CAPUT XXVIII.

### MARCUS IULIUS PHILIPPUS.

Marcus Iulius Philippus imperavit annos quinque. Veronae ab exercitu interfectus est, medio capite supra ordines dentium praeciso. Filius autem eius, Caius Iulius Saturninus, quem potentiae sociaverat, Romae occiditur, agens vitae annum duodecimum: adeo severi et tristis animi, ut iam tum a quinquennii aetate nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solvi potuerit; patremque, ludis saecularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit aversato. Is Philippus humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore.

## CAPUT XXIX.

### DECIUS.

Decius e Pannonia inferiore, Budaliae natus, imperavit menses triginta. Hic Decium filium suum Caesarem fecit; vir artibus cunctis virtutibusque instructus, placidus et communis domi, in armis promptissimus. In solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver eius potuerit inveniri. Filius vero eius bello exstinctus est. Vixit annos quinquaginta. Huius temporibus Valens Lucinianus Imperator effectus est.

## CAPUT XXX.

### VIBIUS GALLUS, VOLUSIANUS ET HOSTILIANUS.

Vibius Gallus cum Volusiano filio imperaverunt annos duos. Horum temporibus Hostilianus Perpenna a Senatu Imperator creatus, nec multo post pestilentia consumtus est.

## CAPUT XXXI.

### AEMILIANUS.

Sub his etiam Aemilianus in Moesia Imperator effectus est; contra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu suo caeduntur, anno aetatis pater septimo circiter et quadragesimo, creati in insula Meninge, quae nunc Girba dicitur. Aemilianus vero mense quarto dominatus, apud Spoletium, sive pontem, quem ab eius caede Sanguinarium accepisse nomen ferunt, inter Ocriculum Narniamque, Spoletium et urbem Romam regione media positum. Fuit autem Maurus genere, pugnax, nec tamen praeceps. Vixit annis tribus minus quinquaginta.

## CAPUT XXXII.

### LICINIUS VALERIANUS, GALLIENUS, CUM TYRANNIS.

Licinius Valerianus, cognomento Colobius, imperavit annos quindecim, parentibus ortus splendidissimis, stolidus tamen, et multum iners, neque ad usum aliquem publici officii consilio
2 seu gestis accommodatus. Hic filium suum Gallienum Augustum
3 fecit, Gallienique filium, Cornelium Valerianum, Caesarem. His imperantibus Regillianus in Moesia, Cassius Latienus Postumus
4 in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti sunt. Pari modo Aelianus [Laelianus] apud Moguntiacum, in Aegypto Aemilianus, apud Macedonas Valens, Mediolani Aureolus domina-
5 tum invasere. Valerianus vero in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus, apud
6 Parthos ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, rea eiusdem provinciae, incurvato eo, pedem cervicibus eius imponens, equum conscendere solitus erat.

## CAPUT XXXIII.

### GALLIENUS.

Gallienus quidem in loco Cornelii filii sui Salonianum, alterum filium, subrogavit, amori diverso pellicum deditus, Salo-
ninae coniugis, et concubinae, quam per pactionem, concessa parte superioris Pannoniae, a patre, Marcomannorum rege,
2 matrimonii specie susceperat, Pipam nomine. Novissime ad-
3 versus Aureolum profectus est. Quem quum apud pontem, qui ex eius nomine Aureolus appellatur, obtentum, detrusumque Mediolanum obsedit, eiusdem Aureoli commento a suis interiit.
4 Regnavit annos quindecim, cum patre septem, solus octo. Vixit annos quinquaginta.

## CAPUT XXXIV.

### CLAUDIUS, ET FRATER EIUS QUINTILLUS.

Claudius imperavit annis duobus. Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adolescens a muliere matura institueretur ad
2 uxorem. Hic Claudius Gallieni morientis sententia Imperator designatus, ad quem, Ticini positum, per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat, exstinctoque a suis Aureolo, receptis legionibus, adversum gentem Alamannorum, haud procul a lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut aegre pars
3 dimidia superfuerit. His diebus Victorinus regnum cepit. Claudius vero quum ex fatalibus libris, quos inspici praeceperat, cognovisset, sententiae in Senatu dicendae primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reipublicae dedit; praefatus, neminem tanti ordinis primas habere,
4 quam ipsum Imperatorem. Ea res sicut erat cunctis grata, non Divi vocabulum modo, sed ex auro statuam prope ipsum Iovis

simulacrum; atque in curia imaginem auream proceres sacravere. Huic successit frater eius Quintillus. Is paucis diebus imperium tenens interemtus est. 5

## CAPUT XXXV.

### AURELIANUS.

Aurelianus, genitus patre mediocri, et, ut quidam ferunt, Aurelii clarissimi Senatoris colono inter Daciam et Macedoniam, imperavit annis quinque, mensibus sex. Iste haud dissimilis fuit magno Alexandro, seu Caesari Dictatori. Nam Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit; quum Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiam pervenerit, et Caius Caesar decennio subegerit Gallos, adversum cives quadriennio congressus. Iste in Italia tribus proeliis victor fuit, apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum ac fanum Fortunae, postremo Ticinensibus campis. Huius tempore apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, mox a suis obtruncatur. Hoc tempore in urbe Roma monetarii rebellarunt, quos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit. Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit; gemmisque et aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus visebatur, usus est. Hic muris validioribus et laxioribus urbem sepsit. Porcinae carnis usum populo instituit. Hic Tetricum, qui Imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, Correctorem Lucaniae provexit, adspergens hominem eleganti ioco, *Sublimius habendum, regere aliquam Italiae partem, quam trans Alpes regnare.* Novissime fraude servi sui, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit adnotata, falso manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolim et Heracleam est. Fuit saevus et sanguinarius, et trux omni tempore, etiam filii sororis interfector. Hoc tempore septem mensibus interregni species evenit. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

## CAPUT XXXVI.

### TACITUS ET FLORIANUS.

Tacitus post hunc suscepit imperium, vir egregie moratus; qui ducentesimo imperii die apud Tarsum febri moritur. Huic successit Florianus. Sed quum magna pars exercitus Equitium Probum, militiae peritum, legisset, Florianus dierum sexaginta quasi per ludum imperio usus, incisis a semetipso venis, effuso sanguine consumtus est. 2

## CAPUT XXXVII.

### PROBUS.

Probus, genitus patre agresti, hortorum studioso, Dalmatio nomine, imperavit annos sex. Iste Saturninum in Oriente, 2

Proculum et Bonosum, Agrippinae Imperatores effectos, op-
3 pressit. Vineas Gallos et Pannonibs habere permisit. Opere
militari Almam montem apud Sirmium, et Aureum apud Moe-
4 siam superiorem, vineis conseruit. Hic Sirmii in turri ferrata
occiditur.

## CAPUT XXXVIII.

### CARUS, CARINUS, NUMERIANUS.

2 Carus, Narbonae natus, imperavit annos duos. Iste confe-
3 stim Carinum et Numerianum Caesares fecit. Hic apud Ctesi-
4 phonta ictu fulminis interiit. Numerianus quoque, filius eius,
quum oculorum dolore correptus in lecticula veheretur, im-
pulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est.
5 Quum dolo occultaretur ipsius mors, quousque Aper invadere
6 posset imperium, foetore cadaveris scelus est proditum. Hinc
Sabinus Iulianus invadens imperium, a Carino in campis Vero-
7 nensibus occiditur. Hic Carinus omnibus se sceleribus inqui-
navit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit. Matrimonia
nobilium corrupit. Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio
8 verbi fatigatione taxaverunt, perniciosus fuit. Ad extremum
trucidatur eius praecipuo Tribuni dextera, cuius dicebatur con-
iugem polluisse.

## CAPUT XXXIX.

### DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS HERCULIUS.

Diocletianus Dalmata, Anulini Senatoris libertinus, matre
pariter atque oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec
imperium sumeret, Diocles appellatus, ubi orbis Romani po-
tentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem convertit,
2 imperavit annis viginti quinque. Is Maximianum Augustum ef-
fecit; Constantium et Galerium Maximianum, cognomento Ar-
mentarium, Caesares creavit, tradens Constantio Theodoram,
3 Herculii Maximiani privignam, abiecta uxore priori. Hoc tem-
pore Charausio in Galliis, Achilleus apud Aegyptum, Iulianus
4 in Italia Imperatores effecti, diverso exitu periere. E quibus
5 Iulianus, acto per costas pugione, in ignem se abiecit. Dio-
cletianus vero apud Nicomediam sponte imperiales fasces relin-
6 quens, in propriis agris consenuit. Qui dum ab Herculio atque
Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem
aliquam detestans, in hunc modum respondit: *Utinam Salonae*
*possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto numquam*
7 *istud tentandum iudicaretis.* Vixit annos sexaginta octo, ex quis
communi habitu prope novem egit. Morte consumtus est, ut
satis patuit, per formidinem, voluntaria. Quippe quum a Con-
stantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam,
quo minus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus
acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse, ac Maximino
favere, suspectans nocem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.

## CAPUT XL.

CONSTANTIUS, GALERIUS MAXIMIANUS, SEVERUS, MAXIMINUS, MAXENTIUS, LICINIUS, ALEXANDER, VALENS.

His diebus Constantius, Constantini pater, atque Armentarius, Caesares, Augusti appellantur, creatis Caesaribus, Severo per Italiam, Maximino, Galerii sororis filio, per Orientem: eodemque tempore Constantinus Caesar efficitur. Maxentius Imperator 2
in villa sex millibus ab Urbe discreta, itinere Lavicano; dehinc Licinius Augustus efficitur; parique modo Alexander apud Carthaginem Imperator fit; similique modo Valens Imperator creatur, quorum exitus iste fuit. Severus ab Herculio Maximiano 3
Romae ad Tres Tabernas exstinguitur; funusque eius Gallieni sepulcro infertur, quod ab Urbe abest per Appiam millibus novem. Galerius Maximianus consumtis genitalibus defecit. Ma- 4
ximianus Herculius, a Constantino apud Massiliam obsessus, 5
deinde captus, poenas dedit mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus. Alexander a Constantini exercitu iugulatur. 6
Maxentius, dum adversus Constantinum congreditur, paulo su- 7
perius a ponte Mulvio, in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est; voratumque limo, pondere thoracis corpus vix repertum. Maxi- 8
minus apud Tarsum morte simplici periit. Valens a Licinio 9
morte mulctatur. Fuerunt autem morum huiusmodi. Aurelius 10
Maximianus, cognomento Herculius, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti Pannonioque. Nam etiam nunc haud longe Sirmio eminet locus palatio ibidem constructo, ubi parentes eius exercebant opera mercenaria. Aetate interiit 11
sexagenarius, annorum viginti Imperator. Genuit ex Eutropia, 12
Syra muliere, Maxentium et Faustam, coniugem Constantini; cuius patri Constantio tradiderat Theodoram privignam. Sed 13
Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi partus coepti a puero. Is 14
Maximianus carus nulli umquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio. Galerius autem fuit, licet inculta agrestique iu- 15
stitia, satis laudabilis, pulcher corpore, eximius et felix bellator, ortus parentibus agrariis, pastor armentorum; unde ei cognomen Armentarius fuit. Ortus Dacia Ripensi, ibique se- 16
pultus est: quem locum Romulianum ex vocabulo Romulae matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est, matrem, morem 17
Olympiadis, Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse. Galerius Maximinus, sorore Armentarii pro- 18
genitus, veroque nomine ante imperium Daca dictus, Caesar quadriennio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit; ortu quidem atque instituto pastorali, verum sapientissimi cuiusque ac litteratorum cultor, ingenio quieto, vini avidior. Quo ebrius, 19
quaedam corrupta mente aspera iubebat: quod quum pigeret factum, differri, quae praecepisset, in tempus sobrium ac matutinum statuit. Alexander fuit Phryx origine, ingenio timidus, 20
inferior adversus laborem vitio senectae aetatis.

## CAPUT XLI.

CONSTANTINUS, LICINIUS, CRISPUS, CONSTANTINUS, LICINIANUS, MARTINIANUS, CONSTANTIUS, CONSTANS, DELMATIUS, ANIBALIANUS, MAGNENTIUS, VETRANIO.

His omnibus absumtis, imperii iura penes Constantinum et
2 Licinium devenere. Constantinus, Constantii Imperatoris et
Helenae filius, imperavit annos triginta. Hic dum iuvenculus a
Galerio in urbe Roma religionis specie obses teneretur, fugam
arripiens, atque ad frustrandos insequentes, publica iumenta,
quaqua iter egerat, interfecit, et ad patrem in Britanniam per-
venit: et forte iisdem diebus ibidem Constantium parentem fata
3 ultima perurgebant. Quo mortuo, cunctis, qui aderant, adni-
tentibus, sed praecipue Eroco, Alamannorum rege, auxilii gra-
4 tia Constantium comitato, imperium capit. Hic sororem suam
Constantiam Licinio, Mediolanum accito, coniungit: filiumque
suum, Crispum nomine, ex Minervina concubina susceptum,
item Constantinum, iisdem diebus natum oppido Arelatensi,
Licinianumque, Licinii filium, mensium fere viginti, Caesares
5 effecit. Verum enimvero, ut imperia difficile concordiam custo-
diunt, discidium inter Licinium Constantinumque exoritur: pri-
mumque apud Cibalas iuxta paludem, Hiulcam nomine, Con-
stantino nocte castra Licinii irrumpente, Licinius fugam petiit;
6 Byzantiumque fuga volucri pervenit. Ibi Martinianum, officio-
7 rum magistrum, Caesarem creat. Dehinc Constantinus, acie
potior, apud Bithyniam adegit Licinium, pacta salute, indu-
mentum regium offerre per uxorem. Inde Thessalonicam mis-
8 sum, paulo post eum Martinianumque iugulari iubet. Hic Li-
cinius annum dominationis fere post quartumdecimum, vitae
proxime sexagesimum, occidit: avaritiae cupidine omnium pes-
simus, neque alienus a luxu venerio, asper admodum, haud
mediocriter impatiens, infestus litteris, quas per inscitiam im-
modicam virus ac pestem publicam nominabat, praecipue foren-
9 sem industriam. Agraribus plane ac rusticantibus, quia ab eo
genere ortus altusque erat, satis utilis; ac militiae custos ad
10veterum instituta severissimus. Spadonum et aulicorum omnium
11vehemens domitor, tineas soricesque palatii eos appellans. At
Constantinus, obtento totius Romani imperii mira bellorum fe-
licitate regimine, Fausta coniuge, ut putant, suggerente, Cri-
12spum filium necari iubet. Dehinc uxorem suam Faustam, in
balneas ardentes coniectam, interemit, quum eum mater Helena
13dolore nimio nepotis increparet. Fuit vero ultra, quam aestimari potest, laudis avidus. Hic Traianum herbam parietariam, ob titulos multis aedibus inscriptos, appellare solitus erat. Hic
14pontem in Danubio construxit. Habitum regium gemmis et caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen rebus multis fuit: calumnias sedare legibus severissimis; nutrire artes bonas, praecipue studia litterarum; legere ipse, scribere,
15meditari, audire legationes et querimonias provinciarum. Quumque, liberis filioque fratris Delmatio Caesaribus confirmatis, tres et sexaginta annos vixisset, ex quibus dimidios ita, ut tredecim

solus imperaret, morbo consumtus est. Irrisor potius, quam 16
blandus. Unde proverbio vulgari Trachala, decem annis prae-
stantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pu-
pillus ob profusiones immodicas nominatus. Corpus sepultum 17
in Byzantio, Constantinopoli dicta. Quo mortuo Delmatius mi- 18
litum vi necatur. Ita ad tres orbis Romani redacta dominatio 19
est, Constantino et Constantio ac Constante, filiis Constantini.
Hi singuli has partes regendas habuerunt: Constantinus iunior 20
cuncta trans Alpes; Constantius a freto Propontidis, Asiam at-
que Orientem; Constans Illyricum, Italiamque et Africam,
Dalmatiam, Thraciam Macedoniamque, et Achaiam; Anibalia-
nus, Delmatii Caesaris consanguineus, Armeniam nationesque
circum socias. Interim ob Italiae Africaeque ius dissentire sta- 21
tim Constantinus et Constans. Constantinus latrocinii specie dum
incautus foedeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus est,
proiectusque in fluvium, cui nomen Alsa est, non longe ab
Aquileia. Constans vero venandi cupidine dum per silvas sal- 22
tusque erraret, conspiravere aliquanti militares in eius necem,
auctoribus Chrestio et Marcellino, simulque Magnentio: qui ubi
patrandi negotii dies placuit, Marcellinus, natalem filii simulans,
plerosque ad coenam rogat. Itaque in multam noctem convivio
celebrato, Magnentius, quasi ad ventris solita secedens, habitum
venerabilem capit. Ea re cognita, Constans fugere conatus, 23
apud Helenam, oppidum Pyrenaeo proximum, a Gaisone cum
lectissimis misso interficitur anno tertio decimo Augustae domi-
nationis, (nam Caesar triennio fuerat) aevi septimo vicesimoque.
Hic fuit debilis pedibus manibusque, articulorum dolore; fortu- 24
natus coeli temperie, fructuum proventu, nulla a barbaris for-
midine: quae profecto maiora fierent, si provinciarum rectores
non pretio, sed iudicio provexisset. Huius morte cognita, Ve- 25
tranio, Magister militum, imperium in Pannonia apud Mursiam
corripuit: quem Constantius non post multos dies regno exuit,
grandaevae aetati non vitam modo, sed etiam voluptarium otium
concedens. Fuit autem prope ad stultitiam simplicissimus.

## CAPUT XLII.

GALLUS, DECENTIUS, NEPOTIANUS, SILVANUS, ET IULIANUS.

Constantius Gallum fratrem patruelem Caesarem pronuntiat, 1
sororem Constantinam illi coniungens. Magnentius quoque De- 2
centium, consanguineum suum, trans Alpes Caesarem creavit.
His diebus Romae Nepotianus, Eutropiae Constantini sororis 3
filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapit: cum octavo
die vicesimoque Magnentius oppressit. Hoc tempore Constanti- 4
us, cum Magnentio apud Mursiam dimicans, vicit. In quo bello
paene nusquam amplius Romanae consumtae sunt vires, totius-
que imperii fortuna pessumdata. Dehinc quum se Magnentius 5
in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit, incautius, et,
ut in victoria solet, audacius persequentes. Nec multo post 6
apud Lugdunum coangustatus, gladio occulte proviso, ictum
pulsu parietis iuvans, transfosso latere, ut erat vasti corporis,

vulnere naribusque et ore cruorem effundens, mense imperii quadragesimo secundo, aetatis anno prope quinquagesimo, ex-
7 spiravit. Ortus parentibus barbaris, qui Galliam inhabitant; legendi studio promtus, sermonis acer, animi tumidi, et immodice timidus: artifex tamen ad occultandam audaciae speciem
8 formidinem. Eius morte audita, Decentius laqueo fascia com-
9 posito vitam finivit. Hoc tempore Gallus Caesar a Constantio
10occiditur. Imperavit annos quatuor. Silvanus Imperator effectus, die imperii vicesimo octavo perimitur. Fuit ingenio
11blandissimus. Quamquam barbaro patre genitus, tamen insti-
12tutione Romana satis cultus et patiens. Constantius Claudium Iulianum, fratrem Galli, honore Caesaris adsumit, annos natum
13fere tres atque viginti. Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias delevit.
14Stabant acervi, montium similes: fluebat cruor fluminum modo: captus rex nobilis Chonodomarius; fusi omnes optimates: redditus limes Romanae possessionis; ac postmodum, cum Alamannis
15dimicans, potentissimum eorum regem Vadomarium cepit. Hic
16a militibus Gallicanis Augustus pronuntiatur. Hinc Constantius urgere legationibus, in statum nomenque pristinum revertatur. Iulianus mandatis mollioribus refert, se sub nomine celsi impe-
17rii multo officiosius pariturum. His Constantius magis magisque ardens dolore, atque, ut erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud Mopsocrenen febri acerrima, quam indignatio nimia vigiliis augebat, interiit anno aevi quarto et quadragesimo, imperii nono atque tricesimo, verum Augustus quarto vicesimoque: octo solus, cum fratribus atque Magnentio sede-
18cim, quindecim Caesar. Felix bellis civilibus, externis lacrimabilis; mirus artifex in sagittis: a cibo vinoque et somno multum temperans, patiens laboris, facundiae cupidus; quam quum
19adsequi tarditate ingenii non posset, aliis invidebat. Spadonum aulicorumque amori deditus et uxorum: quibus contentus, nulla
20libidine transversa aut iniusta polluebatur. Sed ex coniugibus, quas plurimas sortitus est, praecipue Eusebiam dilexit, decoram quidem, verum per Adamantias, et Gorgonias, et alia importuna ministeria vexantem famam viri contra, quam feminis modestioribus mos est; quarum saepe praecepta maritos iuvant.
21Namque ut ceteras omittam, Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores quum provincias calumniis agitarent, adeo ut unus ex iis diceretur locupletissimum quemque ita convenire, *Quare habes?* alter, *Unde habes?* tertius, *Pone, quod habes*; illa coniugem corripuit; atque increpans, quod laudis suae esset incuriosus, talem reddidit, ut postea exactiones improbas detestans, fiscum lienem vocaret, quod eo crescente, artus reliqui tabescant.

## CAPUT XLIII.

### IULIANUS.

Igitur Iulianus, redacta ad unum se orbis Romani curatione,
2 gloriae nimis cupidus, in Persas proficiscitur. Illic a transfuga

quodam in insidias deductus, quum eum hinc inde Parthi urgerent, e castris iam positis, arrepto tantum clypeo, procurrit. Quumque inconsulto ardore nititur ordines ad proelium com- 3
ponere, ab uno ex hostibus, et quidem fugiente, conto percutitur. Relatusque in tabernaculum, rursusque ad hortandos suos 4
egressus, paullatim sanguine vacuatus, circa noctis fere medium defecit, praefatus, consulto sese de imperio nihil mandare; ne, uti solet in multitudine discrepantibus studiis, amico ex invidia, Reipublicae discordia exercitus periculum pararet. Fuerat in 5
eo litterarum ac negotiorum ingens scientia: eo iuverat philosophos et Graecorum sapientissimos. Usu promtior corporis; 6
quo validus quidem, sed brevis fuit. Haec minuebat quarundam 7
rerum neglectus modus. Cupido laudis immodica; cultus numinum superstitiosus: audax plus, quam imperatorem decet, cui salus propria, quum semper ad securitatem omnium, in bello maxime conservanda est. Ita illum cupido gloriae flagrantior 8
pervicerat, ut neque terrae motu, neque plerisque praesagiis, quibus vetabatur petere Persidem, adductus sit finem ponere ardori; ac ne noctu quidem visus ingens globus coelo labi ante diem belli cautum praestiterit.

## CAPUT XLIV.

### IOVIANUS.

Iovianus, genitus patre Varroniano in solo agri Singidonensis provinciae Pannoniae, imperavit menses octo. Eius patri, quum 2
liberos crebros amitteret, praeceptum somnio est, eum, qui iam instante uxoris partu, edendus foret, diceret Iovianum. Hic 3
fuit insignis corpore, laetus ingenio, litterarum studiosus. Hic 4
dum a Perside hieme aspera mediaque Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio novi operis gravatus [esset], repente interiit, annos gerens proxime quadraginta.

## CAPUT XLV.

### VALENTINIANUS ET FIRMUS.

Valentinianus imperavit annos duodecim, minus diebus centum. Huius pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cibalas, 2
Funarius appellatus est, eo quod venalitium funem portanti quinque milites nequirent extorquere. Eo merito adscitus in 3
militiam, usque ad praefecturae praetorianae potentiam conscendit: ob cuius apud milites commendationem, Valentiniano imperium resistenti oggeritur. Hic Valentem consanguineum suum 4
sibi socium in imperio adscivit; ac demum Gratianum filium, necdum plene puberem, hortatu socrus et uxoris Augustum creavit. Hic Valentinianus fuit vultu decens, sollers ingenio, 5
animo gravis, sermone cultissimus. Quamquam esset ad loquendum parcus, severus, vehemens, infectus tamen vitiis, maximeque avaritiae; cuius cupitor ipse fuit acer, et in his, quae memoraturus sum, Hadriano proximus. Pingere venustissime, 6

meminisse, nova arma meditari, fingere cera seu limo simulacra, prudenter uti locis, temporibus, sermone: atque, ut breviter concludam, si ei foedis hominibus, quis sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere, aut probatis eruditisque monitoribus uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituis-
7 set. Huius tempore Firmus apud Mauretaniam regnum inva-
8 dens, exstinguitur. Valentinianus apud Bergentionem legationi Quadorum respondens, anno aevi quinto et quinquagesimo,
9 impetu sanguinis, voce amissa, sensu integer, exspiravit. Quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, 10 accidisse plures retulere. Itaque eo mortuo, Valentinianus adhuc quadriennis, auctore Equitio ac Merobaude e propinquo, ubi cum matre fuerat, allatus, creatus est Imperator.

## CAPUT XLVI.

### VALENS ET PROCOPIUS.

Valens una cum Valentiniano, germano suo, de quo diximus,
2 regnavit annos tredecim, menses quinque. Hic Valens, cum Gothis lacrimabili bello commisso, sagittis saucius in casa deportatur vilissima: ubi supervenientibus Gothis, ignique supposito,
3 incendio concrematus est. In quo probanda haec fuere. Fuit possessoribus consultor bonus: mutare iudices rarius: in amicos fidus: irasci sine noxa ac periculo cuiusquam: sane
4 valde timidus. Huius temporibus Procopius tyrannidem invadens exstinguitur.

## CAPUT XLVII.

### GRATIANUS ET MAXIMUS.

Gratianus, genitus Sirmii, imperavit cum patre Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque; cum patruo et fratre tres; cum eodem fratre ac Theodosio quatuor; et his omnibus acce-
2 dente Arcadio, menses sex. Hic apud Argentariam, oppidum
3 Galliae, triginta Alamannorum millia in bello exstinxit. Hic quum animadvertisset, Thraciam Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gothis Taifalisque, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis, extremum periculum instare nomini Romano; accito ab Hispania Theodosio, cunctis faventibus, degenti annum a tricesimo tertium, imperium committit.
4 Fuit autem Gratianus litteris haud mediocriter institutus: carmen facere, ornate loqui, explicare controversias rhetorum more; nihil aliud die noctuque agere, quam spiculis meditari, summaeque voluptatis divinaeque artis credere ferire destinata.
5 Parcus cibi somnique; et vini ac libidinis victor; cunctisque fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reipublicae gerendae scientiam animum intendisset, a qua prope alienus non modo
6 voluntate, sed etiam exercitio fuit. Nam dum exercitum negligeret, et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi, adeoque barbarorum

comitatu et prope amicitia capitur, ut nonnumquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Hoc tempore quum Maximus apud Britanniam tyrannidem arripuisset, et in Galliam transmisisset, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Gratianum fugavit; nec mora, exstinxit; qui vixit annos XXIX. 7

## CAPUT XLVIII.

### THEODOSIUS.

Theodosius, genitus patre Honorio, matre Thermantia, genere Hispanus, originem a Traiano principe trahens, a Gratiano Augusto apud Sirmium Imperator effectus, regnavit annos decem et septem. Huic ferunt nomen somnio parentes monitos 2
sacravisse, ut Latine intelligimus, a Deo datum. De hoc etiam 3
oraculo in Asia divulgatum est, eum Valenti successurum, cuius nomen e Θ et *E* et *O* atque Δ Graecis litteris initiaretur. Qua 4
cognatione principii deceptus Theodorus, quum sibi imperium deberi praesumeret, scelestae cupidinis supplicia persolvit. Fuit 5
autem Theodosius propagator Reipublica atque defensor eximius. Nam Hunnos et Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diversis proeliis vicit. Cum Persis quoque petitus pacem pepigit. Maximum autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat 6
et sibi Gallias vindicabat, apud Aquileiam exstinxit; Victoremque eius filium, intra infantiae annos a Maximo patre Augustum factum, necavit. Eugenium quoque tyrannum atque Arbogasten 7
superavit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Hic etenim Eugenius, confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstinxerat, regnum invasit: sed mox simul cum vita imperium perdidit. Fuit autem Theodosius mo- 8
ribus et corpore Traiano similis, quantum scripta veterum et picturae docent. Sic eminens status, membra eadem, par caesaries, os, absque eo, quod illi aliquantum vellendo steriles genae, neque tam ingentes oculi erant, nescio an et tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu. Mens 9
vero prorsus similis, adeo ut nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se ceteris putans; in omnes homines honorificus, verum effusius in bonos: simplicia ingenia aeque diligere, erudita mirari, sed innoxia: largiri magno animo magna; amare cives vel privato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis ceteris munerare, praesertim quorum erga se vel patrem aspero casu officia probaverat. Illa 10
tamen, quibus Traianus adspersus est, vinolentiam scilicet et cupidinem triumphandi, usque eo detestatus, ut bella non moverit, sed invenerit; prohibueritque lege ministeria lasciva psaltriasque comissationibus adhiberi: tantum pudori tribuens et continentiae, ut consobrinarum nuptias vetuerit, tamquam sororum. Litteris, si nimium perfectos contemplemur, mediocriter 11
doctus: sagax plane, multumque diligens ad noscenda maiorum gesta. E quibus non desinebat exsecrari, quorum facta super- 12

ba, crudelia, libertatique infesta legerat, ut Cinnam, Marium, Sullamque, atque universos dominantium, praecipue tamen per-
13fidos et ingratos. Irasci sane rebus indignis, sed flecti cito: unde modica dilatione emolliebantur aliquando severa praecepta.
14Habuitque a natura munere, quod Augustus a philosophiae do-
15ctore. Qui quum vidisset, eum facile commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, ubi irasci coepisset, quatuor atque viginti Graecas litteras memoria recenseret, ut illa concitatio, quae momenti est, mente alio traducta, parvi temporis interie-
16ctu languesceret. Melior haud dubie, quod est rarae virtutis, post auctam annis potentiam regalem, multoque maxime post
17civilem victoriam. Nam et annonae curam sollicitius attendere, et auri argentique grande pondus, sublati atque expensi a tyranno, multis e suo restituere; quum benigni principum, et quidem vix fundos solerent nudos ac deformata praedia conce-
18dere. Iam illa minutiora, et, ut dicitur, intra aulam, quae quidem, quia occulta sunt, magis naturae hominum curiosae oculos auresque ad se trahunt: patruum colere tamquam genitorem; fratris mortui sororisque liberos habere pro suis; cognatos affinesque parentis animo complecti; elegans laetumque convivium dare, non tamen sumtuosum; miscere colloquia pro personis, studia dignitatibus, sermone cum gravitate iucundo;
19blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad illecebram, neque ad lassitudinem; ambulationibus magis, quum esset otium, reficiebat animum; ac vescendi continentia valetudinem regebat; sicque in pace, rebus humanis, annum agens quinquagesimum, apud Mediolanum excessit: utramque Rempublicam utrisque filiis, id est, Arcadio et Honorio, quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.

# SEXTI RUFI

## BREVIARIUM

RERUM GESTARUM POPULI ROMANI

SIVE DE

VICTORIIS ET PROVINCIIS P. R.

AD

VALENTEM AUGUSTUM.

D. N. VALENTI,

IMPEROTORI, PIO,

PERPETUO, SEMPER AUGUSTO,

# SEXTUS RUFUS V. C.

I. Brevem fieri clementia tua praecepit. Parebo libens praeceptis tuis; quippe cui desit facultas latius eloquendi; ac morem secutus calculatorum, qui ingentes summas aere breviori exprimunt, res gestas signabo, non eloquar. Accipe ergo, quo breviter dicta brevius computentur; ut annos et aetatem Reipublicae, ac praeteriti facta temporis non tam legere, gloriose Princeps, quam numerare videaris.

II. Ab Urbe [igitur] condita in ortum Perennitatis vestrae, quo prosperius [factum] imperium Romanum sortitus es, anni numerantur mille centum et septem. Sub Regibus ducenti quadraginta tres: sub Consulibus quadringenti sexaginta septem: sub Imperatoribus quadringenti septem. Regnaverunt Romae per annos ducentos quadraginta tres, Reges numero septem. Romulus regnavit triginta septem: Senatores, per quinos dies singuli, annum unum: Numa Pompilius, annos quadraginta tres: Tullus Hostilius, annos triginta duos: Ancus Marcius, annos viginti quatuor: Tarquinius Priscus, annos triginta septem: Servius Tullius, annos quadraginta quatuor: Tarquinius Superbus regno expulsus est anno vicesimo quinto. Consules deinde fuerunt a Bruto et Poplicola in Pansam et Hirtium, numero CCCCLXVII, praeter eos, qui in eundem annum sorte aliqua sunt subrogati, per annos quadringentos sexaginta septem. Quadraginta novem annis Romae Consules defuerunt: sub Decemviris, annis duobus; sub Tribunis militum, annis quadraginta tribus. Sine magistratibus Roma fuit annis quatuor. Imperatores ab Octaviano Caesare Augusto usque ad Iovianum fuerunt numero quadraginta quatuor, per annos quadringentos septem.

III. Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc est, regio, consulari, et imperatorio, quantum Roma profecerit, breviter intimabo. Sub Regibus septem, per annos ducentos quadraginta tres, non amplius, quam usque ad Portum atque Ostiam, intra octavum decimum milliarium a portis urbis Romae, utpote adhuc parvae et a pastoribus conditae, quum finitimae circum civitates premerent, Romanum processit imperium. Sub Consulibus, inter quos nonnumquam et Dictatores fuerunt, per annos simul quadringentos sexaginta septem, usque trans Padum

Italia occupata est. Africa subacta, Hispaniae accesserunt; Galliae et Britanniae tributariae factae sunt. Inde Illyrici, Istri, Liburni, Dalmatae, domiti sunt: ad Achaiam transitum est: Macedones subacti: cum Dardanis, Moesis, et Thracibus bellatum est: etiam ad Danubium usque perventum. In Asia, expulso Antiocho, primum pedem posuere Romani: Mithridate victo, Ponti regnum occupatum; et Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est: in Mesopotamiam Romanus pervenit exercitus: cum Parthis foedus initum est: contra Corduenos ac Saracenos et Arabas bellatum est, Iudaea omnis victa est: Cilicia et Syria in potestatem populi Romani venerunt. Aegypti reges foederati erant. Sub Imperatoribus vero per annos quadringentos septem, quum diversa Reipublicae fortuna multi principes imperarent, accesserunt tamen Romano orbi Alpes maritimae, Alpes Cottiae, Rhaetiae, Noricae: Pannoniae, Moesiae; et omnis ora Danubii in provinciam est redacta: Pontus omnis, Armenia maior, Oriens totus cum Mesopotamia, Assyria, Arabia, et Aegypto, sub imperii Romani iura transivit.

IV. Quo autem ordine singulas provincias Romana Respublica adsecuta sit, ostenditur ita. Prima provinciarum Sicilia facta est. Eam, victo Hierone, Siculorum rege, Marcellus Consul obtinuit. Deinde a Praetoribus recta est; postea commissa est Praesidibus: nunc a Consularibus administratur. Sardiniam et Corsicam Metellus vicit: qui et triumphavit de Sardis, *qui rebellavere saepe.* Iuncta administratio harum insularum fuerat: post quaelibet suos Praetores habuit: nunc singulae a suis Praesidibus reguntur. In Africam pro defensione Siculorum Romana transmissa sunt signa. Ter Africa rebellavit: ad extremum, deleta per P. Scipionem Carthagine, provincia facta est: nunc sub Proconsulibus agit. Numidia ab amicis regibus tenebatur: sed Iugurthae, ob necatos Adherbalem et Hiempsalem, Micipsae regis filios, bellum indictum est: et eo per Metellum Consulem attrito, per Marium capto, in populi Romani potestatem Numidia pervenit. Mauretaniae a Boccho rege obtentae sunt. Sed subacta omni Africa, Mauros Iuba rex tenebat; qui in causa belli civilis, ab Iulio Caesare victus, mortem sibi propria manu conscivit. Ita Mauretaniae nostrae esse coeperunt: ac per omnem Africam sex provinciae factae sunt: ipsa, ubi Carthago est, proconsularis; Numidia, consularis; Byzacium, consularis: Tripolis, et Mauretaniae duae, hoc est, Sitifensis et Caesariensis, sunt praesidales.

V. Hispanis primum auxilium adversus Afros per Scipiones tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per Decimum Brutum obtinuimus; et usque Gades ad Oceanum mare pervenimus. Postea ad Hispanos tumultuantes Decius Iunius Silanus cum exercitu missus, eos vicit. Celtiberi in Hispania saepe rebellavere: sed, misso minore Africano, cum excidio Numantiae subacti sunt. Omnes paene Hispaniae, occasione belli Sertoriani, per Metellum et Pompeium in ditionem nostram acceptae: postea, prorogato in quinquennium imperio, a Pompeio perdomitae sunt. Ad extremum quoque ab Octaviano Caesare

Augusto Cantabri et Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Ac per omnes Hispanias sex sunt nunc provinciae: Tarraconensis, Carthaginiensis, Lusitania, Gallaecia, Baetica. Trans fretum etiam in solo terrae Africae, provincia Hispaniarum est, quae Tingitanica Mauretania cognominatur. Ex his Baetica et Lusitania consulares; ceterae praesidales sunt.

VI. Cum Gallis gravissima bella populus Romanus habuit. Galli enim etiam illam partem Italiae, in qua nunc Mediolanum est, usque ad Rubiconem fluvium tenebant, in tantum viribus freti, ut Romam ipsam bello peterent, et, caesis exercitibus Romanis apud Alliam fluvium, moenia Urbis intrarent, Capitoliumque obsiderent; ad cuius arcem sexcenti nobiles et Senatores confugerant, qui mille auri pondo se ab obsidione redemerunt. Postea Gallos victores remeantes Camillus, qui in exsilio erat, collecta de agris multitudine, oppressit; aurum et signa, quae Galli ceperant, reportavit. Cum Gallis multi Consules, Praetores ac Dictatores eventu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit: et transcensis Alpibus, feliciter adversus eos pugnavit. Ceterum C. Caesar cum decem legionibus, quae quaterna millia militum Italorum habuerunt, per annos octo ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias subegit; cum barbaris ultra Rhenum positis conflixit: in Britanniam transivit; decimo anno Gallias et Britannias tributarias fecit. Sunt in Gallia cum Aquitania et Britanniis, decem et octo provinciae: Alpes maritimae, provincia Narbonensis, Viennensis, Novempopulana, Aquitaniae duae, Lugdunenses duae, Alpes Graiae, Maxima Sequanorum, Germaniae duae, Belgicae duae: in Britannia, Maxima Caesariensis, Flavia, Britannia prima, Britannia secunda.

VII. Illyricum ab ora maritima paullatim adgressi sumus. Laevinus Consul Adriaticum atque Ionium mare primus ingressus, maritimas obtinuit civitates. Creta per Metellum Proconsulem, qui Creticus dictus, provincia facta est. Graecis in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses adversus Philippum, Macedonum regem, auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicitiis nostris Achaia fuit: ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per L. Mummium Proconsulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. Epirotae, qui aliquando cum rege Pyrrho, etiam ad Italiam transire praesumserant, victi: atque Thessali, simul cum Achivorum et Macedonum regionibus, nobis accesserunt. Macedonia ter rebellavit; sub Philippo, sub Perse, sub Pseudophilippo. Philippum Flamininus, Persen Paullus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis Macedonia quoque populo Romano adiuncta est. Illyricos, quia Macedonibus auxilium tulerant, ex eadem occasione per Lucium Anicium Praetorem vicimus, et eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. Dardanos et Moesos Curio Proconsul subegit; et primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit. Sub Iulio et Octaviano Caesaribus per Alpes Iulias iter factum est: Alpinis omnibus victis, Noricorum provinciae accesserunt. Batone Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostram Pannoniae venerunt.

Amantinis inter Savum et Dravum prostratis, regio Savensis et Secundorum Pannoniorum loca obtenta sunt.

VIII. Marcomanni et Quadi, de locis Valeriae, quae sunt inter Danubium et Dravum, pulsi sunt: et limes inter Romanos ac barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Moesiam est constitutus. Traianus Dacos sub rege Decibalo vicit; et Daciam trans Danubium in solo barbarico provinciam fecit: quae in circuitu decies centena millia passuum habuit, sed sub Gallieno Imperatore amissa est; et per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duae Daciae in regionibus Moesiae [ac Dardaniae] factae sunt. Habet Illyricus septem et decem provincias: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Moesiam: Daciarum duas. Et in dioecesi Macedoniae sunt septem: Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duae, Praevalis et Creta.

IX. In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est. Saevissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thraciae regionibus Scordisci habitaverunt, pariter crudele et callidum genus; de quorum saevitia multa fabulose memorantur, quod hostiis captivorum Diis suis aliquando litaverint, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sint soliti. Saepe per eos Romanus est caesus exercitus. M. Didius vagantes Thracas repressit: M. Drusus intra fines proprios continuit: M. Minucius in Hebri fluminis glacie vastavit. Per Appium Claudium Proconsulem hi, qui Rhodopen incolebant, victi sunt. Europae maritimas urbes antea Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primum conflixit. Ipsam, caput gentis, Tratiam vicit: Haemimontanos subegit: Eumolpiadem, quae nunc Philippopolis dicitur; Uscudamam, quae modo Hadrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit: Calyben cepit. Supra Pontum positas civitates occupavit, Appolloniam, Calatin, Parthenopolin, Tomos, Istrum; ad Danubium usque perveniens, Romana Scythis arma monstravit. Ita ditioni Reipublicae sex Thraciarum provinciae sunt conquisitae: Thracia, Haemimontus, Moesia inferior, Scythia, Rhodope, Europa; in qua nunc secundae arces Romani orbis sunt constitutae, Constantinopolis.

X. Nunc Eoas partes, totumque Orientem, ac positas sub vicino sole provincias, qui auctores sceptris tuis paraverint, explicabo; quo studium clementiae tuae, quod in iisdem propagandis habes, amplius excitetur. Asia societate Attali regis nota Romanis est, eamque Attali testamento relictam hereditario iure possidemus. Ne quid tamen populus Romanus non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho, Syriarum rege maximo, est vindicata. Eadem occasione etiam Lydia, sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygiae in potestatem populi Romani iuncta deditione pervenerunt. Rhodiis, in insularum populis, primum infestissimis, post fidelissimis auxiliatoribus usi sumus. Ita Rhodus, et insulae primum libere agebant: postea in consuetudinem parendi Romanis, cle-

menter provocatae, pervenèrunt, et sub Vespasiano principe Insularum provincia facta est.

XI. Pamphyliam, Lyciam, Phrygiam, Pisidiam, Cariam, Isauriam, Servilius Proconsul, ad bellum piratarum missus, obtinuit. Bithyniam defuncti regis Nicomedis testamento sumus adsecuti. Gallograeciam, id est, Galatiam, (sunt enim, ut nomen resonat, e Gallis Galatae) quod Antiocho contra Romanos auxilium praebuissent, invasimus. Manlius Proconsul Galatas persecutus est; et confugientes partim in Olympum, partim in Magabam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detrusit, victosque in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus Tetrarches, nobis permittentibus, tenuit. Ad extremum sub Octaviano Caesare Augusto Galatia in formam provinciae redacta est. Eam primus Lollius pro Praetore administravit. Cappadoces primo societatem nostram sub Ariarathe rege per legatos petiverunt: posteaque Ariobarzanes rex Cappadocum a Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est; semperque in auxilia nostra fuere Cappadoces, et ita maiestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Caesaris Mazaca, civitas Cappadociae maxima, Caesarea nuncuparetur. Postremo quum sub Imperatore Claudio Caesare Archelaus ex Cappadocia Romam venisset, ibique diu detentus occubuisset, in provinciae speciem Cappadocia migravit. Pontus, per Pompeium victo Mithridate, rege Pontico, formam provinciae accepit. Paphlagoniam Pylaemenes rex, amicus populo Romano, tenuit. Saepe ex èa pulsus, regno a nobis est restitutus: quo mortuo, provincia Paphlagonibus imposita est.

XII. Ultra iuga Tauri montis, quemadmodum Romana perrexerit possessio, consequenti locorum magis, quam temporum servata digestione, monstrabitur. Antiochus, Syriae rex potentissimus, bellum formidabile populo Romano intulit. Trecenta millia armatorum habuit: falcatis etiam curribus ac elephantis aciem instruxit; a Scipione Consule, fratre Scipionis Africani, in Asia apud Magnesiam victus, pace accepta, intra Taurum montem regnare permissus est. Eius filii sub clientela populi Romani regnum Syriae retinuerunt: quibus defunctis, Syriarum provinciis potiti sumus. Cilices et Isauros, qui se piratis et praedonibus maritimis iunxerant, Servilius Proconsul, ad praedonum bellum missus, subegit, et viam per Taurum montem primus instituit; isque de Cilicibus et Isauris triumphavit, atque Isauricus est cognominatus.

XIII. Cyprus, famosa divitiis, paupertatem populi Romani, ut occuparetur, sollicitavit. Eam rex foederatus Ptolemaeus regebat: sed tanta fuit penuria aerarii Romani, et tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata per Publium Clodium, Tribunum plebis, Cyprus confiscari iuberetur. Quo accepto nuntio, rex Cyprius venenum sumsit, quo vitam prius, quam divitias, amitteret. Cato Cyprias opes Romam navibus advexit; ita, ut ius eius insulae avarius magis, quam iustius, simus adsecuti. Cyrenas, cum ceteris civitatibus Libyae Pentapolis, Ptolemaei antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo

Apionis regis arbitrio summus adsecuti. Aegyptus omnis sub amicis regibus fuerat; sed victa cum Antonio Cleopatra, provinciae formam Octaviani Caesaris Augusti temporibus accepit: et primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus [Romanus iudex] administravit.

XIV. Per confinia Armeniarum primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt. Phylarchi Saracenorum in Osroëne superati cessere. In Mesopotamia ab eodem Lucullo Nisibis capta est. Postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt: Syriae, Phoenice, bello a Tigrane, Armeniorum rege, receptae. Arabes et Iudaei in Palaestina victi sunt. Ad extremum sub Traiano principe, regi maioris Armeniae diadema sublatum est, et per Traianum Armenia, Mesopotamia, Assyria et Arabia provinciae factae sunt; ac limes Orientalis supra ripam fluminis Trigidis constitutus est. Sed Hadrianus, qui successit Traiano, invidens gloriae Traiani, sponte sua Armeniam, Mesopotamiam et Assyriam reddidit: ac medium inter Persas et Romanos Euphratem esse voluit. Sed postea sub Antoninis duobus, Marco et Vero, et Severo Pertinace, ceterisque principibus Romanis, qui adversus Parthos eventu vario dimicarunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est: ac Diocletiani temporibus, victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato rege Narseo, uxore eius ac filiabus captis, et cum summa pudicitiae custodia reservatis, pace facta, Mesopotamia est restituta: et supra ripam Tigridis limes est refirmatus, ita ut quinque gentium trans Tigridem constitutarum ditionem adsequeremur: quae conditio foederis in tempus Divi Constantii conservata duravit.

XV. Scio nunc, inclute Princeps, quo tua vergat intentio. Requiris profecto, quoties Babyloniae et Romanorum arma collata sint, et quibus viribus sagittis pila contenderint. Breviter eventus enumerabo bellorum. Furto hostes in paucis invenies esse laetatos; vera autem virtute semper Romanos probabis exstitisse victores. Primum a L. Sulla Proconsule Arsaces rex Parthorum, missa legatione, amicitiam populi Romani rogavit, ac meruit. L. Lucullus Mithridatem, regno Ponti exutum, ad Armeniam persecutus est. Tigranem, Armeniorum regem, cum septem millibus quingentis clibanariis, et centum viginti sagittariorum, ipse cum decem et octo millibus Romanorum vicit. Tigranocerta, maximam Armeniae civitatem, expugnavit. Madenam, opimam Armeniorum regionem, obtinuit: per Melitenam ad Mesopotamiam descendit: Nisibim cum fratre regis cepit. Tendere in Persas paratus, successorem accepit.

XVI. Cn. Pompeius expertae felicitatis, ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte adgressus, proelio superavit; caesis duobus et quadraginta millibus hostium, castra eius invasit. Mithridates enim cum uxore et duobus comitibus in Bosporum fugit: ibi desperatione rerum suarum venenum hausit; quum parum ageret vis veneni, a milite suo, ut ferro percuteretur, impetravit. Pompeius auxiliatorem Mithridatis Tigranem, Armeniorum regem, persecutus est: ille se

ei, oblato diademate, apud Artaxata dedidit. Receptae sunt ab eo Mesopotamia, Syriae, et aliquanta pars Phoenices; atque intra Armeniam maiorem regnare permissus est. Idem Pompeius Bosporanis et Colchis Aristarchum regem imposuit: cum Albanis conflixit: Oroesi, Albanorum regi, ter victo, pacem dedit. Iberiam cum Artoce rege in deditionem accepit. Saracenos et Arabas vicit. Iudaea capta, Hierosolymam obtinuit. Cum Persis foedus fecit. Rediens, apud Antiochiam Daphnensem lucum, delectatus loci amoenitate et aquarum abundantia, addito nemore consecravit.

XVII. Crassus Consul adversus Parthos rebellantes missus est. Is quum pacem, missa a Parthis legatione, rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait. Apud Zeugma traiecit Euphratem, et a transfuga quodam Abgaro inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. Ibi undique circumvallantibus sagittariorum agminibus cum Sillace et Surena, Praefectis regiis, est cinctus exercitus, et vi telorum obrutus. Ipse Crassus, quum ad colloquium sollicitatus, vivus paene capi potuisset, repugnantibus Tribunis, evaserat: et dum fugam petit, occisus est. Caput eius cum dextera manu resectum, ad regem perlatum est, atque ita ludibrio habitum, ut faucibus eius aurum liquefactum infunderetur: scilicet ut, qui ardens cupiditate praedandi, pacem regi dare rogatus abnuerat, etiam mortui eius reliquias auri flamma combureret. Caius Cassius, Quaestor Crassi, vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus. Contra Persas in Syriam irrumpentes, ter cum summa admiratione conflixit, eosque trans Euphratem redactos vastavit.

XVIII. Parthi, Labieno duce, (qui Pompeianarum partium fuerat, et victus ad Persas refugerat) in Syriam irruperunt, ac totam provinciam occupaverunt. Sed Publius Ventidius Bassus Parthos, qui ducente Labieno Syriam invaserant, occurrens in Tauro monte, cum paucis fugavit, Labienum occidit, persecutus est Persas, ad internecionem stravit: qua congressione Pacorum regis filium eadem die, qua Crassus victus fuerat, occidit, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis primus triumphavit. M. Antonius Mediam ingressus, quae nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit, et primis eos proeliis vicit: verum post, duabus legionibus amissis, quum fame, pestilentia, tempestatibusque premeretur, vix per Armeniam, Parthis insequentibus, revocavit exercitum; tanto per momenta temporum terrore perculsus, ut a gladiatore suo percuti postularet, ne vivus veniret in hostium potestatem.

XIX. Sub Octaviano Caesare Augusto Armenia cum Parthis conspiravit. Caius Caesar, nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, quam per maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se Armenii, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dedidissent, iudicesque ex instituto Pompeii dictis gentibus Caius Caesar praeficeret; Domnes quidam, quem rex Artageris praeposuerat, proditione simulata, libellum, in quo scripti thesauri continerentur, obtulit: quem quum imperator Romanus legeret intentius, cultro [Domnes] adgressus eum

vulneravit. Percussor quidem a militibus confossus est; Caius vulneratus, reversus in Syriam, obiit. Parthi ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primum Octaviano Caesari dederunt, et erepta sub Crasso signa retulerunt. Pacatis gentibus Orientis, Augustus Caesar etiam Indorum legationem primus accepit.

XX. Nero, quem turpissimum Imperatorem Romana est passa respublica, amisit Armenias duas. Tum Romanae legiones duae sub iugum a Parthis missae, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta foedarunt. Traianus, qui post Augustum Romanae reipublicae movit lacertos, Armeniam recepit a Parthis: sublato diademate, regi Armeniae maioris regnum ademit. Albanis regem dedit: Iberos, Bosporanos, Colchos, in fidem Romanae ditionis accepit: Osroënorum loca et Arabum occupavit. Corduenos et Marcomedos obtinuit. Antemusium, opimam Persidis regionem, Seleuciamque et Ctesiphontem ac Babyloniam accepit, et tenuit; usque ad Indiae fines post Alexandrum accessit. In mari rubro classem instituit. Provincias fecit Armeniam, Assyriam, et Mesopotamiam, quae inter Tigridem atque Euphratem sita, irriguis amnibus, instar Aegypti, foecundatur. Hadrianum gloriae Traiani certum est invidisse, qui ei successit in imperio. Hic sponte propria deductis exercitibus, Armeniam, Mesopotamiam, et Assyriam concessit, et inter Romanos et Parthos medium Euphratem esse voluit.

XXI. Antonini duo, Marcus et Verus, ille socer, hic gener, pariter Augusti, imperium orbis, aequata primum potestate, tenuerunt. Sed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus est: multaque et ingentia adversus Persas feliciter gessit. Seleuciam, Assyriae urbem, cum quadringentis millibus hostium cepit: ingenti gloria de Parthis cum socero triumphavit. Septimius Severus, natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos strenuissime vicit, Adiabenos delevit, Arabas interiores obtinuit [obtrivit], et Arabiam provinciam fecit. Huic cognomina ex victoriis quaesita sunt; nam Parthicus, Adiabenicus, et Arabicus est cognominatus. Antoninus Bassianus, cognomento Caracalla, filius Severi Imperatoris, expeditionem in Persas parans, in Osroëna apud Edessam propera morte obiit, et ibidem sepultus est.

XXII. Aurelius Alexander, quasi fato quodam in exitium Persicae gentis natus, iuvenis admodum Romani gubernacula suscepit imperii. Ipse Persarum regem nobilissimum Xerxen gloriose vicit. Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum iurisconsultum. De Persis pompa spectabili triumphavit. Sub Gordiano Augusto ex iuventutis fiducia rebellantes Parthi, ingentibus proeliis contusi sunt: isque de Perside rediens victor, fraude Philippi, qui Praefectus praetorio eius erat, occisus est. Milites ei tumulum in vicesimo milliario a Circesso castro, quod et nunc exstat, aedificaverunt, atque exsequias eius Romam cum maxima venerationis reverentia deduxerunt.

XXIII. Valeriani, infausti principis, fortunam taedet referre. Is cum Gallieno suscepit imperium: sed hunc exercitus, Gallie-

num Senatus Imperatorem fecit. In Mesopotamia adversus Persas Valerianus congressus, a Sapore, Persarum rege, superatus est; et captus in dedecore servitutis consenuit. Sub Gallieno Mesopotamia invasa, etiam Syriam sibi Persae coeperant vindicare, nisi, quod turpe dictu est, Odenathus, decurio Palmyrenus, collecta Syrorum agrestium manu, acriter restitisset; et fusis aliquoties Persis, non modo nostrum limitem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem Romani ultor imperii, quod mirum est dictu, penetrasset.

XXIV. Aureliani Imperatoris gloriae Zenobia, Odenathi uxor, accessit. Ea enim post mortem mariti feminea ditione Orientis tenebat imperium: quam Aurelianus, multis clibanariorum et sagittariorum millibus fretam, apud Immas haud procul ab Antiochia vicit, et Romae triumphans ante currum duxit. Cari Imperatoris victoria de Persis nimium potens superno numini visa est. Nam ad invidiam coelestis indignationis pertinuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, quasi nullo obsistente, vastavit: Cochen et Ctesiphontem, urbes Persarum nobilissimas, cepit. Quum victor totius gentis castra super Tigriden haberet, fulminis ictu interiit.

XXV. Sub Diocletiano principe, pompa victoriae nota de Persis est. Maximianus Caesar prima congressione, quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit: ac tanta indignatione a Diocletiano susceptus est, ut ante carpentum eius per aliquot millia passuum cucurrerit purpuratus: et quum vix impetrasset, ut, reparato de limitaneis Daciae exercitu, eventum Martis repeteret, in Armenia maiore ipse Imperator cum duobus equitibus exploravit hostes: et cum viginti quinque millibus militum superveniens castris hostilibus, subito innumera Persarum agmina adgressus, ad internecionem cecidit. Rex Persarum Narseus effugit; uxor eius et filiae captae sunt, et cum maxima pudicitiae custodia reservatae. Pro qua admiratione Persae non modo armis, sed etiam moribus, superiores esse Romanos confessi sunt: ac Mesopotamiam cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt. Pax facta, usque ad nostram memoriam Reipublicae utilis perduravit.

XXVI. Constantinus rerum dominus, extremo vitae suae tempore, expeditionem paravit in Persas: toto enim orbe pacatis gentibus, et recenti de Gothis gloriosior victoria, multis in Persas descendebat agminibus. Sub cuius adventum Babyloniae in tantum regna trepidarunt, ut supplex ad eum legatio accurreret, et facturos imperata promitteret. Nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantio Caesare per Orientem tentaverant, veniam meruerunt.

XXVII. Constantius in Persas vario ac magis difficili pugnavit eventu. Praeter leves excubantium in limite congressiones, acriori acie novies decertatum est; per duces suos, septies; ipse praesens bis adfuit veris et gravibus pugnis. Nimirum Singarenae, praesente Constantio; et iterum Singarenae, Constantiniensi quoque; et quum Amida capta est, grave sub eo principe Respublica vulnus accepit. Ter autem est a Persis obsessa Nisibis: sed maiore

sui detrimento, dum obsideret, hostis affectus est. Narsensi autem bello, ubi Narseus occidit, superiores discessimus. Nocturna vero in agro Eleiensi prope Singaram pugna, ubi praesens Constantius adfuit, omnium expeditionum compensatus fuisset eventus, si, locis ac nocte adversantibus, percitos ferocia milites, ab intempestivo pugnandi tempore Imperator ipse alloquendo revocare potuisset: qui tamen invicti viribus, improvisis adversus sitim aquarum subsidiis, incumbente iam vespere, castra Persarum adgressi, ruptis munitionibus, occuparunt, fugatoque rege, quum a proelio respirantes, praetentis luminibus repertae inhiarent aquae, nimbo sagittarum obruti sunt, quum stolide, ad dirigendos certius in se ictus, lumina ipsi per noctem accensa praeberent.

XXVIII. Iuliano, in externos hostes expertae felicitatis principi, adversus Persas modus defuit. Is enim ingenti apparatu, utpote totius orbis regnator, infesta in Persas signa commovit, instructam commeatibus classem per Euphratem invexit. Strenuus ingressu, multa Persarum oppida ac castella aut suscepit dedita, aut manu cepit. Quum contra Ctesiphontem in Tigridis et Euphratis ripa iam mixti castra haberet, ludosque campestres, ut hostis sollicitudinem demeret, per diem agitasset, noctis medio impositos navibus milites in ulteriorem ripam repente transvexit: qui per ardua nitentes, qua difficilis etiam per diem, et nullo prohibente, fuisset adscensus, Persas terrore subito miscuerunt; versisque agminibus totius gentis, apertas Ctesiphontis portas victor miles intrasset, ni maior praedarum occasio fuisset, quam cura victoriae. Tantam adeptus gloriam, quum de reditu a militibus admoneretur, intentioni suae magis credidit: et exustis navibus, quum a transfuga, qui se ad fallendum obiecerat, inductus in Imaum devium [Eumandeviam], viae compendia sectaretur, dextrum in adversa Tigridis ripa, nudato militum latere, iter relegens, dum incautius per agmen errat excito pulvere, ereptus e suorum conspectu, ab hostium obvio equite, conto per ilia ictus, inguinum tenus vulneratus est. Inter effusionem nimii sanguinis, quum suorum ordines, licet saucius, instaurasset, cunctantem animam, multis suos allocutus, efflavit.

XXIX. Iovianus proeliis superiorem, sed confusum subita morte amissi Imperatoris, suscepit exercitum. Quum commeatus deficerent, et via in reditu prolixior immineret, et Persae crebris excursibus nunc a fronte, nunc a tergo, mediorum quoque latera incursantes, iter agminis morarentur, consumtis aliquot diebus, tanta reverentia Romani nominis fuit, ut a Persis primus de pace sermo haberetur, ac reduci confectus inedia exercitus fineretur, conditionibus (quod numquam antea accidit) dispendiosis Romanae reipublicae impositis, ut Nisibis et pars Mesopotamiae traderetur; quibus, cupidior regni, quam gloriae, Iovianus, imperio rudis, acquievit. Quam magno deinceps ore tua, o Princeps invicte, facta incluta sunt personanda? quibus me, licet imparem dicendi nisu, et aevo gravior, praeparabo: maneat modo concessa Dei nutu, cui credis, et ab amico, cui creditus es, numine indulta felicitas, ut ad hanc ingentem de Gothis, etiam Babylonicae tibi palma pacis accedat, gloriosissime Principum, Valens Auguste.

# M. VALERII
# MESSALAE CORVINI
## DE
# AUGUSTI PROGENIE
## LIBELLUS.

# M. VALERII
# MESSALAE CORVINI
## AD
## OCTAVIANUM AUGUSTUM
## DE
## PROGENIE SUA LIBELLUS.

### IN QUO SIMUL ET PRIMA URBIS REGIMINA AB EXORDIO BREVISSIME EXPONUNTUR.

I. Quum frequenter me digna moveat postulatio tua, gentium gloriosissime Imperator, ut progeniem tuae scilicet inclytae posteritatis, simul et urbis Romae prima regimina ab exordio litteris distinguere mihi persuadeam: parebo clementiae tuae, et operam dabo, aliquid ingenii, sed parum laboris occupare. Nam quae poscis, quum ab historicis, studiosissimisque veterum auctoribus longe lateque sint declarata, et te copiosissime rerum maximarum studiis deditum haud ignorem: tamen, quia iubes, opus expediam, et tuae vetustissimae gentis prosapiam, quae nunc in amplissimo maiestatis culmine locata solum ad sidera spectat, arctato itineris limite insistam declarare. Nam quamquam a profundo originis fonte, cursus pedetentim subsequendus foret, accelerare maturabo, serenissime Caesar Auguste.

II. Totius orbis terrarum ambitus, quem undique Oceanus verberat undis, ab historicis et cosmographis trifarie dividitur. Cuius partium prima, inter Septemtrionem et Meridiem ad Orientem extenditur, Asia: secunda, ab ostio fluminis Tanais, Hyrcanorumque finibus, ubi iungitur Asiae, inter Septemtrionalem Oceanum et Mediterraneum aequor, ad ultimas Hispanias in occasu terminat, Europa: tertia, ab Aegypto Niloque flumine exordium trahens, relictis terminis Asiae, inter Meridiem et Mediterraneum fretum producta, ad Occasum in Atlantici Oceani littore desinit, Africa.

III. Asia ergo, si ad numerum spectamus, orbis terrarum pars tertia erit: si ad magnitudinem, medium terrarum orbem in se continere videri poterit: sic dicta a nomine cuiusdam mulieris, Orientis reginae. In ea igitur inter ceteras provincias Minor Asia est; in qua Phrygia regio, sic dicta a Phrygia Aesepi et Europae filia, et, ut alii tradunt, ex Iove et Europa nata. Dardanum, Iove et Electra Atlantis filia progenitum, Deorum monitu ab Italia, et, ut aliis placet, e Creta insula, patrios deserentem lares, multitudine gentium, ad hanc Phrygiam devenisse ferunt, urbem condidisse, eamque ex se Dardaniam nuncupasse: unde gens Dardana, et incolentes terras Dar-

danidae dicti. Hoc regnante, de Creta cum manu electissimorum iuvenum forte novi regni fama concitum Teucrum, ad Phrygiam, patriis sedibus expulsum, dicitur convenisse: qui a Dardano, et dextra et fide data, in parte regni consors susceptus est, ut numerosiore populo nova implerentur moenia. Ita sub duobus regibus haud discrepantibus, Dardania, potentia et magnitudine aucta, pacifice aliquamdiu stetit. Huius Teucri in regendo et rempublicam augendo bonitas comitasque tanta fuit, ut eo defuncto, superstite Dardano, ob ipsius inclytae memoriae gloriosissimum decus, qui Dardanidae nuncupabantur, deinceps Teucri cognominarentur; ut Virgilius Maro [Aen. VI, 645]:

*Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles.*

IV. Dardanus filium habuit Erichthonium, quem post sui obitum regnantem reliquit. Erichthonius Troum genuit; qui, iustitia et pietate insignis, mutato Dardaniae nomine, ex se urbem Troiam nominari permisit. Hinc Troianum nomen ortum. Duos filios Trous habuit, Ilum scilicet et Assaracum. Ilus vero, quia maior natu, defuncto patre, regnum obtinuit, et intra urbis moenia illam eminentissimam atque gloriosissimam arcem edidit, quae ex sui nomine Ilium nuncupata: unde Ilienses Troiani dicti. Is Laomedontem filium reliquit: quo regnante, Iason et Hercules, validissimorum iuvenum Graecorum comitatu, quum ad Colchos ob velleris aurei cupidinem transfretarent, a maritimo fastidio se recreandi gratia in Phrygiam terram legerunt, quos Laomedon, vel sui superbia, vel famosissimae gentis terrore concitus, minaci nuntio extemplo abire praecepit.

V. Hi quum alio contenderent, nec vires, nec arma ad resistendum haberent, ob illatum dedecus indignati, excidium austerrimo regi continuo minitantes, obtemperavere mandatis: ac perfecto velleris negotio, ubi in Graeciam rediissent, Hercules, Phrygii regis opprobrii non immemor, maximorum iuvenum ac principum Graecorum manu armata classe, ad Troiam vela remosque direxit; et, in littore expositis armis, ad moenia impetuose contendit. Quod ubi sensisset Laomedon, audacter magis, quam caute, inordinato agmine extra moenia hostili impetu ausus congredi, insidiis interceptus, fortiter dimicando exstinctus est, suorum parte maxima vel capta, vel peremta.

VI. Hinc ad exterrita moenia Hercules contendens, nullo custode nec in muris, nec in portis obstante, introit urbem; et, igne ac ferro omnibus consumtis, Hesionam, Laomedontis sororem, Telamoni, Salaminae regi, quia muros Troiae primus invaserat, ac in portas irruperat, dedit. Ex qua natus est alter ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alteram Salaminam condidit: de quo Virgilius noster, inducens Didonem effari ad Aeneam [I, 619.]:

*Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,*
*Finibus expulsum patriis, nova regna petentem.*

Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus, qui tum forte alio in armis aberat. Is et patris et patriae excidio cognito, rediit; dirutamque urbem impensa et opere adeo reparare institit, ut brevi marmoreis saxosisque turribus, et aedificiis publicis ac privatis, augustiorem tutioremque redderet.

VII. Assaracus vero, Troi filius, Ili frater, ut supra memini' genuit Capym, Capys Anchisen, Anchises Aeneam, Aeneas Ilum' cognominatum Ascanium, ex Creusa matre natum, qui et Iulus fuit, a quo gens Iulia, unde tuae gentis vocabulum trahis, serenissime Auguste; ut Virgilius [Aen. I, 267.]:

*At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo*
*Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.*

VIII. Priamus vero, ubi in Graeciam postulatum misisset, ut Hesiona soror, quae a Telamone turpi servitio concubina tori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel saltem restitueretur, derisus, neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui et Paris dictus, Priami filius, manu electissimorum iuvenum in Graeciam aequora sulcavit, Helenamque Menelai regis uxorem, Graecarum pulcherrimam, rapuit. Quamobrem Graeciae reges armantur; et Agamemnone duce post decennem obsidionem Troiae moenia capta, in ruina ac cinere iacuere solo.

IX. Hinc, Graecorum assensu, duo incolumes principum Troianorum recessere, qui auctores pacis et reddendae Helenae semper fuerant, et Graecorum legatorum, Ulyssis ac Diomedis, honoratissimi hospites; Antenor scilicet et Aeneas: quorum alter ex Laomedontis, vel, ut quibusdam placet, Priami sorore natus, Assyeti, viri nobilissimi, fuerat filius, Antenor: alter, ex regio sanguine ortus, Aeneas, ut supra demonstratum est. Hi navium classe parata, et patriis rebus, hominibusque, quos arbitrio sui delegerant, onusta, pansis velis tenuere altum; et per Aegaeum Ioniumque, praetereuntes Argolicas urbes, suadentibus fatis, ad Italiam remigraverunt.

X. Antenor, ex Ionio aequore, ad dexteram flectens, inter Dyrrachium et Brundusium, per latissimas superi aequoris fauces ad Septemtrionem conversus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos; illinc Apulos atque Picenum; ad caput Adriatici maris cursum tenuit, et, relicto aequore, adverso flumine, quod Brentesia dicitur, sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit: et expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit. Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinem numerosam secum duxerat, qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exsules ad Troiam, quae bello tum laborabat, concesserant. Hi in proxima finitimorum praedia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleverant, ex se gentibus nomen dedere, et Venetiae regio dicta. De hoc Antenoris adventu sic meminit Virgilius [Aen. I, 242 sqq.]:

*Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,*
*Illyricos penetrare sinus atque intima tutus*
*Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi:*
*Unde per ora novem vasto cum murmure montis*
*It mare praeruptum, et pelago premit arva sonanti.*
*Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit*
*Teucrorum; et genti nomen dedit, armaque fixit*
*Troia; nunc placida compostus pace quiescit.*

XI. Hoc loco, Imperator maxime, quum te, persaepe altiloquio tuo disserentem, dubitare animadvertissem, quod insigne

vexillis Antenori et Aeneae fuisset, sine quadam rei memoria haud praetereundum arbitror, sed cum Virgilio nostro instandum, ubi de Antenore sic profatur: et genti nomen dedit, id est, utramque gentem, Italicos scilicet et Phrygios, qui ea incoluerunt loca, Troianos, vel, ut alii tradunt, Antenoridas cognominari statuit; armaque fixit, hoc est, in templis arma et insigne armorum suspendit. Nam post exactam militiam laboresque militiae, mos antiquitus fuit, in Deorum templis suspendere arma: ideo arma fixit Troia. Troia fuit inter arma templis affixa, armorum insigne: quod nonnulli adserunt. Troia namque vulgo Italice Latineque scropha vel sus dicitur. Cui vocabulo licentia sui allusit poeta: quod animal, quia eius nomen urbi Troiae congruebat, aureo vexillo insigne armorum statuit Antenor, absumtae urbis Troiae memoria. Verum in gestis Aeneae, alia evidentior ratio, cur ita, videri poterit; quare progredior.

XII. Aeneas, eodem itinere per Graecorum oras Achaicumque fretum delatus, in Epiro revisit Helenum, inter Argolicas urbes dominii ditionem tenentem. Narrat historia, Pyrrhum, Achillis filium, deleta Troia, Andromachen, Hectoris quondam uxorem, et Helenum, Priami filium, servitio secum duxisse. Inde quum sibi matrimonio iungeret Hermionem, Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus, quia sine prole interiit, in regno praesidem reliquit Helenum; ut ibidem Maro, ubi de se Aeneas ad Didonem profatur [Aen. III, 282.]:

— — *iuvat evasisse tot urbes*
*Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.*

Et paulo post [ib. 294.]:

*Hic incredibilis rerum fama occupat aures,*
*Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,*
*Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.*

Is Helenus, Aeneae futura praedicens, monitus interpres Deorum profatus fuerat, ibi locum sedis ei fore et quietis, ubi Italia iuxta Tybridis ripas scropham, seu suem triginta natorum foetu iacentem videret, ut Maro in tertio [v. 388], ad Aeneam locutus Helenus:

*Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.*
*Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam*
*Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus*
*Triginta capitum foetus enixa iacebit:*
*Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.*

XIII. Aeneas hinc discedens, et extrema Italiae vadens, circumvectus per Siciliam senem Anchisen patrem amisit. Inde per Inferum mare diu fluctibus ex iniquo sidere vexatus, Afrum tenuit littus. Mox pacato aequore ad Italiam revectus, appulit Tiberis ostio. Ibi tunc temporis Latinus rex, Fauni filius, gentibus imperitabat: qui ad rei novae tumultum excitus, ut Tito Livio placet, in armis obviam pergit. Inde colloquio utrinque pacatis animis, duci Troiano filiam, quam Turno, Rutulorum regi, primo desponsarat, matrimonio iungit, Laviniam Aeneas conditum oppidum ex uxoris nomine Lavinium appellat.

XIV. At Virgilius noster hac in parte aliter sentit [Aen. VII, 152 seq.]; id est, Latinum non in armis obviam processisse, sed Aeneam legatos regi misisse: quibus auditis rex placatus, et monitis Deorum adductus, Laviniam filiam advenae Troiano tradit. Quamobrem Turnus, impatiens opprobrii ereptae coniugis, bello petit Aeneam, nec vetante nec permittente Latino. Aeneas, ut vires et arma in hostem externo robore firmaret, ad Evandrum, qui tum his oris, ubi nunc Roma, auctoritate ditionem tenebat, sursum adverso flumine pergens, auxilii exposcendi gratia, suem, id est, scropham, triginta natorum foetu, ut Helenus praedixerat, iacentem advertit, quietae sedis certissimum omen; quam Iunoni, Deorum reginae, immolando sacravit; ut Virgilius in octavo [v. 81 seq.]:

*Ecce autem subitum, atque oculis mirabile monstrum,*
*Procubuit viridique in littore conspicitur sus:*
*Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi, maxima Iuno,*
*Mactat sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.*

Eodem Aeneam Lavinium oppidum struxisse aiunt; simul et hinc scrophae signum Troianis ortum quidam tradidere; seu ob iecti fundamenti regiae sedis memoriam; seu quia quietis genti scropha signum dederat; seu ob aeternum insigne nominis Troiae, quae huic vocabulo animalis vulgo Italice includitur, ut supra memini.

XV. Praeterea et nonnulli referunt historici, Aeneam more navigantium, inter cetera animalia ad usum vescendi, ut fit, sue mvivam secum detulisse, ac ex oraculo responsum habuisse, quum teneret Italiam, dimitteret eam: inde, quo reperta foret, sedi eius conderet urbem; quam in Campaniae oris, apud Avernum lacum Baiarumque fines, dimissam volunt, mox supra Tybridis ripam. Quare elatum scrophae vexillum. Quocirca Helenus ad Aeneam in tertio [v. 462.] Virgilii:

*Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam*;

id est, insigne Troianum. Ac quum hac in parte te dubitare, serenissime Principum, crebro percepissem, et in ambiguitate rei huius multos vagari, tulit calamus prolixius, et a proposito longius, quam exposceret intentio. Quis enim rem tot saeculis remotissimam scrutaturus, per vetustissima litterarum volumina sine ambiguitate evadere potuit? Sed ad propositum redeundum.

XVI. Ad Evandrum concessit Aeneas; et optato potitus, Pallantem, Evandri filium, et ingentis roboris armatorum auxilia secum duxit. Turnus, post aliquot proelia clarissima victus tandem ac peremtus, Troiano cessit. Victor Aeneas post Latini obitum in regno successit; quem mortuum, et super Numicii fluminis ripam conditum, Indigetem Iovem dixere, expleto anno tertio regni.

XVII. Superfuit Ascanius, eius filius, Troiae ex Creusa natus. Is Lavinium oppidum novercae Laviniae, et Silvio ex Lavinia fratri relinquens, haud inde longe in Albano colle condidit Albam. Inter Lavinium et Albam conditam triginta annorum spatium datur.

XVIII. Absumto Ascanio, frater eius Silvius, qui et Iulus,

a quo gens Iulia, et antiquum tuae generosae prolis derivatum cognomen, Auguste, regnat: quamquam inter auctores veterum in ambiguo constet, utrum hunc Silvium, an Ascanium cognominatum fuisse Iulum. Is Silvius, post obitum patris ex Lavinia Italiae natus, Posthumus dictus: quem Lavinia praegnans, privignum timens Ascanium, secedens, in quadam silva, apud Tityrum pastorem peperit; unde Silvius nuncupatur, ut Maro, inducens Anchisen ostentantem suorum progeniem Aeneae [Aen. VI, 760.]:

*Ille (vides) purae iuvenis qui nititur hastae,*
*Proxima forte tenet lucis loca, primus ad auras*
*Aetherias Italo commistus sanguine surget,*
*Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:*
*Quem tibi longaevo serum Lavinia coniux*
*Educes silvis regem, regumque parentem;*
*Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.*

XIX. Hic Silvius Silvium Aeneam filium reliquit: ex quo Latinus filius; a quo prisci Latini cepere nomen, et Silvium cognomen Albae regnantibus datum, ut quidam tradidere: quamquam Virgilius hoc cognomen regibus Albanis a Silvio Postumo derivatum sentire videatur.

XX. Genuit hic Silvius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetum, Capetus Tiberinum; qui, in Albula flumine demersus, mutavit fluvio nomen, Tiberi deinceps nuncupato.

XXI. Ex Tiberino superfuit Agrippa: ex quo Romulus Silvius, qui sine prole, fulmine ictus, stirpis eiusdem Aventinum in regno reliquit. Is decedens, in quo sepultus fuerat, colli nomen dedit.

XXII. Huic successit Proca: quo defuncto, duo eius filii, Numitor et Amulius, superstites fuere: quorum alter Amulius Numitorem, fratrem maiorem, e solio deiecit; cuius virili prole interemta, filiam Rheam Silviam, ut partum averteret, Vestalem virginem sacrat. Rhea geminos edidit, Remum scilicet et Romulum; a Marte compressa, ut traditur. Quod regi Amulio notum, in vincula tradita matre, regio edicto in Tybridis alveo exponuntur gemini. Fama est, in lupam, geminos lambentem, regium pastorem Faustulum casu quodam incidisse; qui uxori Laurentiae nutriendos dedit. Iam adulti iuvenes, corporis et animi vires adepti, per silvas ac nemora non modo infestare feras, sed et finitimis pastoribus dominari occeperant. Tandem insidiis Remus interceptus, ut praedae reus ad Amulium ducitur. Inde, quia eum cum fratre Romulo in agrum Numitoris impetum fecisse dicebatur, ad poenas supplicii materno avo traditur: a quo mox et ipsi nepotes, praesidio pastorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, et restituunt Numitori regnum. Hunc scito, Caesar Auguste, gentis Iuliae Albanorum regum ultimum; eamque gentem ad Iulium usque Caesarem, teque, principum decus, sine imperio private in tuae felicitatis tempora terminasse. Namque Romulum, Romanae urbis imperiique tui conditorem, materna linea incognito patre ortum, *tuae stirpis* non censeo, si maiorum genealogiam recte complector.

num in duodecim menses divisit. Postremo, ubi maxima cum reverentia et suorum et finitimorum tres et quadraginta regnasset annos, obiit.

XXV. Tullus Hostilius exinde rex tertius creatur, ad *bella* promtissimus, animosior Romulo. Cum Albanis armorum negotium habuit, sed paucorum cruore ac fortuna finitum. Nam trigeminis Horatiis Romanorum, et trigeminis Curiatiis Albanorum res hoc foedere committitur, ut civitas, pro qua, qui pugnarent, qui vicissent, alteri imperaret. Vicerunt Horatii, Albani sub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Romanum impetum faciunt; quibus victis ac fugatis, Metium, Albanorum dictatorem, quia ex foedere in armis accitus, proditor rem Romanam maximo in discrimine absentando deseruerat, Tullus quadrigis in diversum actis alligatum discerpi, Albamque dirui, ac omnes Albanos Romam devehi iussit. Coelium montem intra moenia clausit, numero et potentia crescente Roma. Cum Sabinis, qui patriis in sedibus T. Tatii tempore manserant, bellum grave gessit, hostemque vicit. Demum fulminis ictu cum tota domo absumtus, anno regni tricesimo secundo interiit.

XXVI. Ancus Marcius Tullo successit, vir pace et bello clarissimus. Ad arma et religionem paratus, ad sacra primum et templa condenda ornandaque animum flexit. Mox, quum res postularet, a sacris ad arma concitus, adversus Latinos, qui primo in eum moverant bella, se contulit, et Politorium, unicum Latinorum praesidium, expugnat et diruit: omnesque in oppido repertos, Romae cohabitandos destinat. Ianiculum collem Urbi adiecit, pontem sublicium supra Tiberim fecit: tum Quiritium fossa per plana deducta, et carcer primus structus; usque ad mare dilatati fines, ubi Tibris in aequora prorumpit; Ostia urbs condita, et Salinae circumfactae. Feretrii Iovis templum ampliatum. Decessit Ancus anno regni vicesimo quarto.

XXVII. Priscus Tarquinius, a Tarquiniis Etruriae profectus, exinde regnum occupat. Cum Latinis is bellum habuit; et Apiola urbe expugnata, ingenti praeda victor rediit. Ludos instituit: Circum erexit; adversus Sabinos centurias auxit: quibus industria ac viribus superatis, arma cruenta hostium in Anienem flumen eiicere fecit: quae ex Aniene in Tiberim devecta, summae victoriae nuntium Romae detulere. Iterum eisdem hostibus secundo proelio attritis, Collatiam oppidum sui iuris fecit. Romam regressus, insigni gloria primus triumphat, ut quidam volunt: cum priscis Latinis bello orto pugnavit: quibus devictis pacem dedit, vi et armis oppidis captis, Corniculo, Ficulea, Cameria, Crustumerio, Ameriola, Medullia, et Nomento. Demum ad aedificia publica intentus, muro lateritio circuit Urbem: valles interiacentes collibus, ceteraque loca limosa, et sordibus repleta, cloacis vacuat. In Capitolio Iovis aedem, grande opus, inceptarat: tum interfectus a duobus Anci filiis, obiit anno regni tricesimo septimo.

XXVIII. Servius Tullius post hunc rex declaratur, ex captiva et nobili femina, a Corniculo oppido gravida educta, in domo

Tarquinii natus, et adultus. Cum Veientibus et Etruscis primum bellum sumsit: quibus fortissime victis, insigni gloria victor rediit. Censum primus instituit, quo et paci et bello opportuna redimerentur. In classes centuriasque populum divisit, Domi pace tranquilla, et foris in armis, quod necesse fuerat, sollertissima statuit industria. Cives omnes, pedites equitesque, qui arma ferre possent, in campum Martium convenire edicto iussit; ibique exercitum instructum ordine, porco, ove, et tauro lustrat. Inde ad posteros lustrum nuncupatum: quo octoginta millia civium censa referuntur. Duo colles Urbi tum additi, Viminalis et Quirinalis, et Esquiliae, ubi ipse regiam habuit. Aggere, fossa et muro, quae Urbi adiecerat, circumclusit. Dianae templum condidit. Postremo a Lucio Tarquinio, Prisci Tarquinii filio, et genero suo, anno regni tricesimo quarto, in vico Cyprio obtruncatur.

XXIX. Tarquinius inde regnum invadit: qui male partum imperium ita contumaciter rexit, ut cognomen Superbo sibi vindicaret. In Patres ac Senatum saeviens, iniussu populi, ad libitum agere omnia coepit. Occidere, carcerare, afficere supplicio, sui iuris fecit. Cum Volscis bellum habuit: quibus expugnatis, oppida Suessam et Pometiam eripuit. Fraude et non bello Gabios subiugavit, et cruciatibus attrivit. Cum Aequicolis et Etruscis foedera tenuit. Iovis templum, quod in Capitolio pater inceptaverat, maximo impendio ac labore, ad culmen erexit. Demum ob Lucretiae per vim illati stupri dedecus a Sexto Tarquinio, eius filio, Iunii Bruti opera regno pulsus in Etruriam exsulatum cum scelesta coniuge ac filiis fuga perrexit, anno regni tricesimo quinto, ab Urbe vero condita ducentesimo quadragesimo quarto.

XXX. Depulsis regibus sub Consulibus annuo imperio iura Romana fuere. Senatus, ut [rerum] solidum corpus, immutabile erat; Consules, velut membra: Senatus, consilium, et rerum deliberatio; Consules, ad consulta peragenda parati.

XXXI. Dictatoris imperium, quod ceteros magistratus excedebat, ad terrorem cunctorum, tum, quum res Romana in extremis periculis nutare cerneretur, creabatur, summae potentiae unicum robur. Inde ob truculentissimas inter patricios et plebeios seditiones, plebs armata, maximo cum terrore nobilium, in Aventinum, et, ut aliis placet, in Sacrum collem secesserat: nec inde abduci potuit, donec, ad favorem sui, Tribuni plebeii primum crearentur.

XXXII. Mox ad Decemviros res venit. Nam Decemviros creari placuit, qui sine alio magistratu annuo imperio Reipublicae praeessent. Anno ab Urbe condita uno et trecentesimo, hoc imperium in Appio Claudio, atrocissimi ingenii viro, desinere voluit eiusdem obstinata perfidia: ob cuius scelestae libidinis nefas violandae Virginiae, virginis pudicissimae, se abdicare magistratu Decemviri coacti sunt. Tum ad Consules res redierat.

XXXIII. Verum paullo post, Tribunis plebis auctoribus, seditione, ut alias, orta, inter cetera obtinuere plebeii, ut et Tribunos militares haberent, sicut et plebeios. Sed hi promiscue vel

patricii, vel plebeii esse poterant; qui aliquando consulare gessere imperium.

XXXIV. Sed demum Consules regnum obtinuere: quorum fasces adusque Iulii Caesaris, patris patruique tui, principatum defluxere, expletis ab Urbe condita annis septingentis decem.

XXXV. Sub quorum magistratuum, Consulum, Dictatorum, et Tribunorum militarium ductu, per quadringentos quadraginta et septem annos, omnis Italia viribus armorum subacta est, simul et Alpes Cottiae, Penninae, et Graiae atque Romanae, cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis, in ditionem convenere. Africa ter victa, primo et secundo et tertio bello Punico, inaestimabili vulnere, utrimque accepto, Romano imperio tandem parta: Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta, insulae obtentae. Numidia victo Iugurtha in potestatem redacta. Hispaniam, genus armorum ferox, nostrorum, nec sine Romano cruore, subiugavere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnisque Gallaecia, flexere cervicem. Gallia atque Britannia novem annorum Iulii Caesaris labor fuere; tributariae demum factae. Post haec Illyria, Istria, Liburni et Dalmatae obsecundavere perdomiti. Proinde in Graeciam transitus fuit; qua perdomita, Epirus, Thessalia et Achaia paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus suis debellata, et in provinciae formam demum redacta. Thraces saevissimos omnium, Propontidem, et Thracium Bosporum cum ipso Byzantio virtus Romana superatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumque tuis auspiciis, victoriosissime principum, penetretum, et utriusque fluminis utramque ripam tuae industriae subiugavere vires. Duae Germaniae, inferior ac superior, tibi unico cessere; Norici, Pannonii, Suevi, Marcomanni, Daci, Moesi, ceteraeque nationes ad Arcton, superati. Europa in extremis finium suorum per te undique exterrita, et armis concussa. In Asiam iam ante perventum fuerat; et victo Antiocho, potentissimo Syriae rege, victo Mithridate, Syria, Phoenice, Ctesiphon, Babylonia, Iudaea, Palaestina, Arabia, Cilicia, et omne Ponti regnum, cum ipsa minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlogonia, Isauria et Cappadocia regiones continentur, mandatis obtemperavere. Cessit et utraque Armenia armis attrita. Mesopotamia inter Tigridem et Euphratem, sanguine Parthorum et Persarum crebro cruenta, multiplici bello demum Romano paruit. Diversis temporibus cum Persis et Parthis assidue pugnatum; et utrimque cladibus acceptis, Romanus superior fuit, et obstantibus imperavit. Ad Arcton Colchi, Iberi, Albani, Scythae, Assyrii, Caspii, cum Amazonibus suis, ductu nostrorum ducum subiugati sunt. Aegyptiorum reges ultro in amicitia et foedere steterunt. Cyrene, ac tota Libya et Mauretania, exstincto Iuba, obsequentes fuere. Indi ex ipso extremo Oriente postremo ad te, gloriosissime Principum, in extremo Occidente tum bella gerentem, legationem misere, ad obsequia se paratos profitentes, ut nonnihil, te imperante, haud superesset indomitum. Aeternum vale, tui saeculi perenne ac immortale decus, Caesar Auguste.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DUE OCT 13 1928

L 571
Scriptores historiae Romanae minore
Widener Library
004817621
3 2044 085 181 691